BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XLII
A
64
NAPOLI

XLII
A
64

TRIVM DISERTISSIMORVM VIRORVM PRÆFATIONES ac Epiſtolæ Familiares aliquot: Mureti, Lambini & Regij.

QVIBVS, PROPTER ARgumenti ſimilitudinem, doctiſſimi ac eloquentiſſimi viri Pauli Manutij prȩfationes adiunximus, cum indice copioſiſſimo.



Antonini de Galiani

PARISIIS,
Apud Ægidium Maugier, ad diuini amatoris inſigne, in vico ſeptem viarum, è regione Collegij Rhemenſis.
1579.
CVM PRIVILEGIO REGIS.

INDEX EPISTOLARVM PRAEFATORIARUM M. Ant. Mureti.

Muret. Epiſt. Præf. in Iuuenil. ad Ian. Brinonem, Sæpè ſum admiratus 48
Eiuſd. epiſt. præf. in ſuas Orat. ad Scipion. Gunz. Offero tibi meum 54
Eiuſd. epiſt. præf. in var. Lectio. ad Hippo. Aeſtenſ. Card. Magnopere peccare 58
Eiuſd. epiſt. præf. in Terent. ad Iac. Suria. Quidem eſſe cauſæ 65
Eiuſd. epiſt. præf. in Horat. ad Io. Auanſon. Ingrati animi vitio 71
Idem ſtudioſis: Bernardinus Lauredan. 76
Eiuſd. epiſt. præf. in Catull. ad Bernard. Laureda. Præſtantium poëtarum 77
Eiuſd. epiſt. præf. in Tibull. ad Torqua.

Bemb. Magna felicitate 84
Eiuſd. epiſt. præf. in Propert. ad Franciſc. Gonz. Non iniuria dubitatum 87
Eiuſd. epiſt. præf. in Philipic. Cicer. ad Adria. Turneb. Cum ex Italia 92

Index Epiſtol. Famil. M. A. Mur.

Mur. epiſto. famil. Næ tu mirificus homo. ad D. Lamb. 3
Eiuſd. epiſt. famil. De litteris tuis. ad D. Lamb. 5
Eiuſd. epiſto. famil. Reſpondebo iis potiſſ. ad D. Lamb. 11
Eiuſd. epiſt. famil. Tuas litteras hodie. ad D. Lamb. 13
Eiuſd. epiſt. famil. Tuas omnes litteras. ad D. Lamb. 15
Eiuſd. epiſt. famil. Iam ſcripſeram ad liberos. ad D. Lamb. 17
Eiuſd. epiſt. famil. Sciebam me illud. ad D. Lamb. 18
Eiuſd. epiſt. famil. Quòd ad te rarius. ad
D.

D.Lamb. 19
Eiuſd.epiſt.famil Petrum paganum quibus ad D.Lamb. 20
Eiuſd.epiſto.famil.Primum de iis. ad D. Lamb. 26
Eiuſd.epiſt.famil. Mihi iratus es. ad D. Lamb. 31

Index Epiſtol.præfator.D. Lamb.

Lamb.epiſt.præf.in Orat.de laudibus liter.ad Erric. Memm. Orationem noſtram 97
Eiuſd.epiſt.præf. in Orat. de philoſophia cum arte dicendi coniungenda, ad Io. Moruiller. Quamuis hæc noſtra 98
Eiuſd.epiſt.præf.in Orat.de laudibus moralis philoſophiæ.ad Baptiſt. Menill. Si quanta tua 101
Eiuſd.epiſt.præfa. in Orat.de ratio. princi.& recta inſtitu.ad Erric. Engoliſ. Cum ſæpenumero interſim. 105
Eiuſd.epiſt.præf.in Orat.de linguæ græcę

vtilitate, & pronunciandi ratione. ad Philipp. Huralt. Cum muſam plautinam 113
Eiuſd. epiſt. præf. in Orat. De iis qui primi literas græcas docuerunt. ad Ludouic. Turnon. Si quanta bene 117
Eiuſ. epiſt. præf. in Orat. pro Milon. ad Iacob. Amiot. Cum aßiduis & quotidianis 122
Eiuſd. epiſt præf. in Horat. ad Carol. Non. Gal. Reg. Si quis vmquam puer. 123
Eiuſd. epiſt. præf. in Ethic. ad Fran. Turno. Duæ res eſſe dicuntur 140
Eiuſd. epiſt. præf. in Oper. Cicer. ad Erric. Memm. Cum Gallis tuis 148
Idem erudit. & humanitate polito lectori. Sæpe multumque apud. 159
Ad Erricum Valeſium, Errici 2. Galliarum Regis F. Caroli IX. Gallorum Regis Fratrem Andium ducem, D. Lāb. Monſtrolienſ. præf. in Politic. Alexandrum magnum Regem 176
Lamb. epiſt. præf. in Alcinoo. ad Erric.

Engo-

Engoliſ.magnum Prior. Socratem illum omnium 204
Eiuſd.epiſt.præf.in Æmil.prob. ad Erric.Valeſ.Andi.du.Cum ſemper antea 217
Eiuſd.epiſt.præf.in Plaut.ad V.German. Valent.Guell.Non id ago(vir clariſsime.) 233
Eiuſd.epiſt.præf.in Lucret.ad Carol.Non. Si quod eſt in his 236
Eiuſd.epiſt.præf.in Lucret.ad Erricum Mem.Quamobrem hunc primum 206
Idem erudit.lectori fuit mea ſemper 264
Idē tertię editionis lectori fuerat olim 271
Eiuſd.epiſt.præf.in Lib.2. Lucret. ad P. Ronſ.Cum primum T.Lucretij 289
Eiuſd.epiſt.præf.in lib.3 Lucret. ad Germa.Valen:Cum multis ac magnis 291
Eiuſd.epiſt.præf.in lib. 4. Lucret. ad M. A.Mure.Si quis ex iis 296
Eiuſd.epiſt.præfat. in libr.5: Lucret. ad Adri.Turneb.Ex T.Lucretij 300
Eiuſd.epiſt.præf. in lib.6.ad Io. Aurat.

Index Epiſtol. Famil. D. Lamb.

Lamb. epi. fa. ad Mur. Nihil erat quod 7
Eiuſd. epiſt. Fam. ad Mur. Pontifex veſontinenſis. 22
Eiuſd. epiſt. fam. ad Mur. Poſtridie quàm tabellarius. 27
Eiuſd epiſt. fam. ad Mur. Excuſationem tuam. 34

Index Epiſtolarum Præfatoriarum Ludouici Regij.

Lud. Regij epiſtol. præf. in lib. de Franciæ motu, & aliarum gentium caſibus. ad Ludoui. Berengarium. Quàm ſit difficilis 405
E*iuſdem epiſt. præf. in vitam Budæi, ad Guil. Poietum. Philippus Coſſæus.* 408
Eiuſd. epiſt. præf. ad Guil. Poyet. Philippus Coſſæ. 327

Eiuſd.

Eiuſd.epiſt.præf.in Politic.Ariſt.ad Nicol.Baufremont.Vtrum graue. 416
Eiuſd.epiſt.præfat.in Vit. Bud. ad Guill. Poietum.Si quis conuerſiones. 411

Index epiſt.famil.Lud. Regij.

Lud.Reg. epiſt.famil. ad Carol. Lothar. Vereor ne qui me. 311
Eiuſ.epiſt.fa. ad P. Stro.Sanè quàm 314
Eiuſd.epiſt.fami.ad Ioan. Bertran. Non ego 315
Eiuſ.epiſt.fami.ad Ioan.Bella. Guill. Pagetus. 322
Eiuſd.epiſt.fami. ad Geor. Armeniac. Cum pene eodem tempore 323
Eiuſd.epiſt.Fam.ad Steph. Poncher. Vehementer dolui. 326
Eiuſd.epiſt.fam. ad Franciſc. Cheman. Cum his diebus. 329
Eiuſd.epiſt.fami. ad Franciſc. Oliuar. Nunquam ego penitus. 331
Eiuſd.epiſt.fam.ad Curiam Pariſ. Quod

erat mihi. 351
Alia epiſt. in ſchol. Toloſa. Pythagoram Samium. 356
Eiuſd. epiſt. fam. ad Lancelot. Charl. Amor tuus ac iudicium. 360
Eiuſd. epiſt. fami. ad P. Bunell. Iacobus Faber Caſa-Dei. 367
Eiuſd. epiſt. fam. ad Franciſc. 2 Franciæ Reg. Cum memorabilem. 373
Eiuſd. epiſt fam. ad Philipp. Reg. Hiſpa. Poſteaquam reſcitum. 375
Eiuſd. epiſto. fam. ad Edoar. VI. Anglor. Reg. Et ſi Britannia. 377
Eiuſd. epiſt. fam. ad Phil. Emanu. ſabaud. Du. Nondum ſatis. 379
Eiuſd. epiſt. fam. ad Carol. Lothar. Vellem. Deus feciſſet 380
Eiuſd. epiſt. fami. ad Franciſ. Lotharin. Vetus eſt mos. 383
Eiuſd. epiſt. fami. ad Fran. Oliuar. Iam ſextus decimus eſt. 386
Eiuſd. epiſto. fam. ad Anto. Perennot. Tãtus eſt ſplendor. 389

Eiuſd.

Eiuſd.epiſt.fami. Ioan.Monlucio.Sic fuit ſemper 390
Eiuſd.epiſt.fam.ad Mich. Hoſpital. Magno in dolore. 392
Eiuſd.epiſt.fam. ad Carol. Mariliac. & Io.Moruill.Ea res me maxime. 394
Eiuſd.epiſt.fam.ad Carol.Lotharin. Cum nuper amicitiam. 401
Eiuſd.epiſt.fami.ad Philipp.Reg. Hiſpa. Abſolueram ſuperiorem. 402
Eiuſd. epiſt. fami.Diuæ Cathar.Reginæ. Cum maximè 404

Index Epiſtolarum Præfator.P. Manutij.

P.Manutij epiſt.præf.in epiſt.Ci.quæ Famil. appellantur, ad Matth. Senareg. Tuo ne Matth. 420
Eiuſd.in epiſt.ad Attic.ad Carol.Piſaur. Beneficiorum Carol.Piſaur. 426
Eiuſd in orat.Cicer.par. primam. ad Benedict. Accolt.Maxime eſſet. 431

Eiuſd.in orat.Cicer.par.ſecund. ad Guil. Bellai.Magni refert. 436
Eiuſd.in Orat.Cicer.part.tert. ad Alexand.Cæſar.Bene mereri. 439
Eiuſd.in Cicer. oratorios libros. ad Ioan. Monluc. Quod te non fugit. 442
Eiuſd.in libr.de offic.ad Benedict.Rhamb. Non ignoras. 449
Eiuſd.in philoſ.Cicer.part. primam. ad Diegũ Hurt. Superioribus diebus. 453
Eiuſd.in philoſo.Cicer.par.alter.ad Marcell.Ceruinum. Eſto genus 460
Eiuſd.in ſuos Comm.Cicer.ad Attic. ad Rainutium Farneſ. Bene audire qui eſt. 465
Eiuſd.in ſuos Comm.Cicer.epiſtol. ad Q. frat. ad Alfonſum Caraſam. Si ſuo quæque res. 410
Eiuſd.in orat Cicer.pro P. Sextio Comm. ad Anton.Aelium. Cum alia multa. 485
Eiuſd.in quatuor Demoſthenis philippicas latinitate donatas.Quã difficili in loco.
ad

ad Io. Moruill. 493
Eiuſd. in lib. de Romanis legibus. ad Hipolytum Eſten. Omnes artes atque. 496
Eiuſd. in Editione Kalendarij Romani. Factum eſt à me ſane. 503
Eiuſd. in ipſius poëmata. ad Hieronymum Faletum. Magna laus eſt. 506
Eiuſd. in Scipionis Capicij poëmata. Ex omnibus rebus. ad Iſabellam Villamarinam. 513
Eiuſd. in Virgilium. ad Torquatum Bembum. Quod ego de poëtica. 516
Eiuſd. in Comm. Cæſ. ad P. Rham. Qui magiſtram vitæ 522
Eiuſd. in Hiſt. Saluſt. ad Ant. Triuult. Cum omne. 530
Eiuſd. de lingua lat. ad Aloyſ. Garz. Conſtare tibi 538
Eiuſd. in li. de Locutione Dei. ad Michael. Ghiſl. Rerum humanarum 542
Eiuſd. in Sanazar. poëmat. ad An. Carlo. Vt eſt præclarum. 545

LECTORI S.

Quia Typographus non ſatis exactè rationem paginarum libri noſtri ſubduxerat, his Epiſtolis Familiaribus P. Manutij, quas vacuas paginas reliquerat, impleuimus.

KALENDARII ROMANI EXPLANATIO.

NON. nonæ. AGON. Agonalia. Ouidius. EN. Endotercisus, pro intercisus. CAR. Carmẽtalia: quòd ſacra tum, & feriæ Carmentis: Varro. EID. idus. LVPER. Lupercalia: quòd in Lupercali luperci ſacra faciunt. Varro. QVIR. Quirinalia: à Quirino: quòd huic Deo feriæ. FERAL. Feralia: ab inferis, & ferendo, quòd ferũt tum epulas ad ſepulcrum, quibus ius ibi parentare. TER. Terminalia: quòd

quòd is dies anni extremus cõſtitutus. duo decimus enim menſis fuit Februarius. REGIF. Regifugium. Ouidius. quanquã eſt inter Ouidium & Kalendarium de die Regifugij controuerſia. ille enim aſſignat ei Februarij diem XXIII. in Kalendario autem video ad XXIV. eſſe appoſitũ. nec ſane, ſi modo Regifugij dies N fuit, videtur eſſe potuiſſe die XXIII, hoc eſt Terminalibus: qui NP dies fuit, alioqui dies idem & NP & N fuiſſet. EQ. Equiria. Varro, Feſtus, Ouidius. LIB. Liberalia. Varro. QVIN. Quinquartus. Varro. TVBIL. Tubiluſtrum: quòd eo die in atrio ſutorio ſacrorum tubæ luſtrantur. Varro, Ouidius, Feſtus. Q. REX. C. F. quando rex comitiauit, fas. Varro, Feſtus. CIRC. Circenſes. FORD. Fordicidia: à fordis bubus. bos forda, quæ fert in ventre, quòd ea die publice immolantur boues prægnantes in curiis. complures à fordis cædendis fordicidia dicta. Varro. CER. Cerealia. Varro. PAR. Parilia: à pariendo, vt ait Victorinus Afer. Alij, Palilia, à Pale: quòd eo die feriæ ei deæ fiunt, Varro, Ouidius lib. v. Faſt. Feſtus in verbo, Pales, & Parilibus. VIN. Vinalia: à vino. Varro. ROB. Robigalia: dicta ab Robigo, ſecundum ſegetes.

Varro. FLOR. Floralia. Ouidius, Plinius. COMP. Compitalia. LEM. Lemuria. Varro, Ouidius. LVD. MART. IN CIRC. Ludi Marti in Circo. Ouidius. MART. CAR. MONET. Marti, Carnæ Deæ, Monetæ Iunoni. Macrobius, Ouidius, IN CAPIT. In Capitolio. VEST. NF. PR. Veſtæ, nefas Prætori. MAT. Matri Matutæ. Ouidius. Q. ST. D. Quando ſtercus defertur. Varro, Feſtus, Ouidius. POPLIF. Poplifugium, pro populifudiũ. APOLLIN. Apollinares. MERK. Merkatus. VICT. CAESAR. Victoriæ Cæſaris. NEPT. Neptunalia. FVR. Furinalia. FER. Feralia. HISP. Hiſpaniam vicit. PORT. Portunalia. VIN. FP. Vinalia. fas Prætori. Varro, Plinius. CONS. Conſualia. Plutarchus. VOLC. Volcanalia. Varro. OPIC. Opiconſiua. Varro. VOLT. Volturnalia. Varro. H. D. ARA VICTORIAE IN CVRIA DEDIC. EST. hoc die ara Victoriæ dedicata eſt. FER. NEP. Feriæ Neptuno. F. EQVOR. PROB. Feriæ equorum probandorum. Valerius Max. lib. II. LVD. CIR. Ludi Circenſes, in Auguſti die natali. Suetonius, Dio. MEDITR. Meditrinalia, à Meditrina dea. Varro. AVGVST. Auguſtalia.

ſtalia. FONT. Fontanalia. Varro. ARM. Armiluſtrum. Varo. EPVL. INDICT. Epulum indictum. LVD. PLEB. IN CIRC. Ludi plebeij in Circo. Suetonius. AGO. Agonalia. SAT. Saturnalia. Macrobius. OPALI. Opalia. Var. Macrobius. DIV. Diualia, Diui Iulij dies feſtus. LAR. Larentinalia. Varro, Ouid. Plutar.

Proëmium libri De Magiſtratibus Romanis.

QVod in priuata domo paterfamiliâs, idem in ciuitate præſtat lex, ille præcipit filiis, quid agant, & qua ratione agant: hæc iura ciuibus mandat, & ad pietatem, ad rectum ſpe præmiorum inuitat, à delicto, propoſita pœna, deterret. quẽadmodum autem rei priuatæ non hoc vno conſulitur, ſi ſit qui imperet: verùm illud præterea requiritur, vt imperanti domeſtici omnes pareant: ſic in ciuitate, niſi legem aliquis tueatur, &, vt ei ciues, quaſi parenti optimo filii audientes ſint, poteſtate imperióque perficiat: non eſt in ipſa lege præſidii ſatis, optiméque ac laudabiliter viuendi præſcripta norma negligitur. quo fit, vt tam legi neceſſarius videatur eſ-

de magiſtratus, quàm lex ipſa ciuitatis. Ac mihi, hoc de genere conſideranti, longè videtur optabilius eſſe, vt iniquæ legi præſit optimus magiſtratus, quàm vt improbus æquiſſimæ: nam, ſi ſummam poteſtatem cùm optima mente coniungas, vir bonus in iure dicendo, præter æquabilitatem, & iuſtitiam, nihil ſpectabit: ſi quid erit in lege vitioſum, pro ſua ſapientia corriget: ſi quid ambiguum, in eam partem interpretabitur, quæ ad pietatem, ad communem ciuium vtilitatem, ad Reipu. ſalutem propenſior eſſe videatur. ſin autem, qui non optimè ſunt à mente conſtituti, iis poteſtatem addas, & voluntatem viribus confirmes: legis vocem magiſtratus non exaudiet, quid maiores voluerint, ſanxerint, ſeruarint, non attendet: ad ſuum arbitrium, ſuámque libidinem omnia reuocabit. quod cùm faciet, Reipub. quæ tota à iure, & æquitate pendet, non ſolùm facto, ſed multò etiam magis exemplo nocebit. nam, quia præeuntem ſequi non difficile eſt, propterea, qui imitentur, quàm qui inueniant, plures non modò in Rep. adminiſtranda, verùm etiam in omni arte reperias. malè C. Cæſar, qui libertate vi & armis oppreſſa, ea quæ omnium erant, poſ-

ſedit

ſedit vnus: ſed longè improbior, ac nequior L Sylla, qui, vt auderet ſperare Cæſar ea quæ conſecutus eſt, exemplo ſuo perfecit. quòd ſi, qui legibus præfuerunt, tales fuiſſent, quales eos, qui leges ipſas condiderant, fuiſſe legimus: ſtetiſſet in ſuo gradu Reſpub. quæque artes in ciuitate libertatem auxerant, eædem facilè conſeruaſſent. verùm in hominibus, non in legibus vitium fuit primi omnium duo fratres è Sempronia familia, Tiberius & Caius Gracchi, malo publico eloquentes, & ingenioſi, ſerere inter ciues diſcordias cœperunt, infimæque plebis animos nouorum commodorum in ſpem turbulentis concionibus excitare. qui & ſi decreto ſenatus iuſta vi oppreſſi, debitas eorum audaciæ pœnas exſoluerunt: tamen exitioſæ conſuetudinis initium attulit ille dies qui ciuili ſanguine gladios primus infecit: quod enim non modò iuſtum, ſed nunc vſitatum antea fuerat, id poſtea ne nouum videretur, effectum eſt: itaque cùm aliquot poſt annis P. Sulpitius primum, vt viſus eſt, non peſſimè animatus: deinde, ſiue ambitione inductus, ſiue iracundia concitatus, ab optima cauſſa deſciuiſſet, eadémque ferè, quæ duo Gracchi, in tribunatu

pleb. aut certè non diſſimilia moliretur: facilè ad vim & ad cædes prolapſa res eſt: neque prius amare quieuerunt, quàm ciuium magna parte trucidata, aut eiecta, vnius libido antiquis legibus par, atque etiã ſuperior eſſe cœpit, quod neque tunc, neque poſtea contigiſſet, ſi, quàm ſapientes in ſcribendis legibus maiores fuerant, tam in creandis magiſtratibus cauti poſteri fuiſſent. nam, etſi non rectè geritur publica res, niſi præſtantibus viris, acríque ac magno animo præditis committatur: tamen periculoſa in primis hæc eſt, & lubrica ſanè deliberatio: propterea quòd non languentibus in animis, ſed in erectis mẽtibus, ac maximis ingeniis dominandi cupiditas exoritur. bonorum ſpe, fateor ad labores, ad induſtriam, ad ſubeunda etiam pericula homines incitantur: ſed in libera ciuitate eſt, quatenus cuique credatur: & in danda poteſtate ſi modus retinebitur, modus item in gerenda ſeruabitur, legitimis enim poteſtatibus, & moderatis imperiis alitur libertas: neque facilè quiſquã vult, quod ſe poſſe deſperat: &, qui tantum poteſt, quantum ſi conſequatur, cæteri nihil poſſent, hic ſi malus eſt, poteſtate fit deterior: ſin ita moribus exploratis, vt antea nihil

nihil neque fecerit indignum bono viro, neque voluerit, interdum tamen, vt humana mutantur, à rectis cogitationibus ad iniquas libidines traducitur: & peccat eo ipſo, quia peccare permittitur vt poſſit. Quocirca patriam meam ſingulari ſapientia inſtitutam, ac diuino quodam conſilio temperatam licet exiſtimare: in qua neque magiſtratus iidem continuantur, quod eſt ſeruandæ ac diutiſſimè Reip. retinendæ vinculum firmiſſimum: neque cuiquam tãtum vni committitur, vt extraordinario iure elatus, libertati communíq; otio moliri periculum poſſit. qua moderatione factum eſt, vt poſt annos M C X X I V. (tot enim ab vrbe condita numerantur) non modo Reſp. ſit, verùm etiã ita ſit, vt omnibus rebuſpublicis, quæ nunc ſunt, magnitudine opum: iis autẽ quæ fuerunt, imperij diuturnitate antecellat. quæ quibus inſtitutis, ac magiſtratibus vſa, ab humili, tenuique principio ad tantam dignitatem, atque amplitudinem peruenerit: neque eſt hic narrandi locus, & hoc argumentum viri ſapientiſſimi ita non modò copioſè, verùm etiam peritè ornatéque tractarunt, vt ſi quid velis adiungere, idem ſit, ac ſi in Apellis aliqua perfectiſſima imagine, puta

in Venere illa Coa elabores. Nobis Romana ciuitas propoſita eſt, quę quàm multas habuerit partes ad imitandum præclaras, ex eo patet, quòd ita bello ac pace viguit, vt illius vim & potentiam omnes reges populíque extimeſcerent, æquitatem & abſtinentiam ſubiectæ vrbes nationéſque diligerent. Formam ſenatus, quòd in ea publicum conſilium fuit, ordinem comitiorum, iura legum tribus libris expoſuimus. Nunc de magiſtratibus, eorúmque poteſtate diſputabimus: tum quia locus ipſe admonet, (hoc enim legibus adiunctum, & tanquam adnexum videtur) tum etiam, quia Ciceronem, cui video in iis libris, quos de Legibus conſcripſit hunc ipſum ordinē placuiſſe, libenter imitamur.

Marco Antonio Mureto Romam.

GAudeo, mi Murete, quod profectò etiam me tacente exiſtimas, te nauare operam regibus, ingeniúmque tuū, quod ego ſemper vnicè dilexi, extulíque laudibus, à tanto Pontifice, & ab vniuerſo Cardinalium collegio vehementer probari. nam, ſi qui aliter ſentiunt: quanquàm quis eſt, qui aliter ſentire poſſit? veruntamen ſi

qui

qui fortaſſe reperientur, quos liuor impediat, quo minus rectè ac ſinceré iudicare poſſint, de iis laborandum non erit: cùm te præſertim ille noſter, quem ſequũtur multi, ſed ille præter cæteros, qui nobis quaſi μαντικὰ ζῶς debet eſſe, non mediocriter ornet, atque diligat. Hæc altera tua oratio priorem illam vel æquat, vel vincit, ſentẽtiarum, verborum, ordinis præſtantia. quo in officio, ac munere cupio te pergere. ſimul enim perges in expedita, maximéque directa gloriæ via, per quã proceſſiſti iam longiſſimè, nemine præcurrente, me fauẽte plurimum. De tua in me beneuolentia, cùm recordor meam, dubitare non poſſum? meum in te animum expertus iam es: eundem ſi & eſſe nunc, & perpetuò futurum arbitraris, non fallam opinionem tuã. nam & mea non ſolùm conſuetudo, ſed etiam natura ita poſtulat: & tu perficis eas laudes, quarum principia me olim, expectantem id, quod præſtare te nunc video, in tui amorem impulerunt. Habeo ſummas gratias, quas agi à te cupio, Archiepiſcopo Beccatellio: eúmque meo nomine, vt quàm licebit officioſé, quámque plurimũ ſalutes, valde rogo Duditius, vt ſcribit

ad amicos, floret honoribus in patria, charus imperatori, iucundus omnibus, noſti humanitatem, & ingenium: doctrinam auxit à diſceſſu tuo, quantum vix credas: itaque ſumma omnia de illo adoleſcẽte ſperare nobis licet. Duareni obitu, de quo heri primùm à Germano homine, qui ex Gallia recens venerat, accepi, damni plurimum in iure ciuili factum eſt. equidẽ dolui vel tua cauſſa, quod eum à te amari ſenſeram. quanquàm hæc ſi ferret humanitas, prorſus dolenda nõ eſſent: quid enim proficimus? angi quidem grauius, neque communis conditionis neceſſitas concedit, & vitæ commutatio, breuiſſimæ cum æterna, miſerrimę cum beatiſſima, valdè vetat. Ego nunc, quod acceptum diuinæ benignitati refero, quódque tibi puto fore iucundiſſimum, valetudine vtor ſatis commoda, oculis quidem optimis, quod aliquot annis non contigit. itaque, cùm otiũ non ferrem, (ſcis enim me quieſcere non poſſe) commentarios in reliquas Ciceronis epiſtolas cœpi texere: &, vt initia ſunt, prorſus induſtria non οἰχέτωι abſolui, vt mihi quidem videtur, maiorem partem, id eſt, tres primos libros, &, extra ordinem, octauum, in quibus, vt dixi iam, niſi me

com-

communis φιλαυτία decipit, nõ videtur opera malè collocata. Habebis in clauſula de Petro Fabro, tuo dicam, an meo? ita me triduo cepit, ſibíque deuinxit ingenio, humanitate, prudentia. planè vixi, quàm diu mecum fuit: nec mediocri ſum amore diſcedentem proſecutus: næ tu, ſi nihil præterea mea cauſſa velles, qui & vis, & egiſti iam plurimum, tamen hoc vno munere, quod auctus per te ſum, tam ornati adoleſcẽtis amicitia, meis omnibus in te ſtudiis quę tu merita vocas, optimam gratiam retuliſti. Vale. Venetiis.

Marco Antonio Mureto Patauium.

BEaſti me tuo iudicio: ſi modò plus eſt à te veritati, quàm amicitiæ tributum quod ego, quia faueo meę laudi, facilè mihi patiar perſuaderi. ſed, amabo te, víſne mihi legem illam diutius deberi? neſcis, quàm ſim ſtudioſus huius generis monumentorum? deſcribe aliquando, aut, ſi, ſtãtem in media via deſcribere, minus honeſtum videtur, nec pudor tuus fortaſſe fert, da negotium homini diligenti, quando Achilles noſter vel negat, vel certè prorſus agit eo modo, vt negare videatur: ſaluta-

bis tamen cum meis verbis: cui certè fortunam opto, qualem ſi magiſter eius haberet, omnia bona merenti peſſimè contingerẽt. Si quid peperit ingenium tuum, dignum pene dixi vtroque noſtrum, ſed ſi quid te ipſo dignum, mitte: vt conſtes humanitati tuæ, atque etiam conſtantiæ: es enim pollicitus. Quid Carneſeccus meus, flos omnium leporum, omniúmque virtutum? vt valet? iube eum ſaluere quàm potes humaniſſimè. Charta me deſerit, vt vides, tecùm ſuauiſſimè loquentem.

Vale.

TRIVM DISERTISSIMORVM VIRORUM PRÆFATIONES, AC EPIſTOLÆ

rum prȩfationes, ac epiſtolæ Familiares aliquot: Mureti, Lambini & Regij.

M. Antonius Muretus Dionyſio Lambino Monſtrolienſi S.D.

NÆ tu mirificus homo es. Certò ſcio, atque hoc magis, ac magis in dies perſpicio, & penè oculis cerno, te rerum mearum, commodorumque meorũ ſtudioſiorem, & cupidiorem eſſe, quàm meipſum. Quare peto abs te, vt tibi perſuadeas, te in dies magis, ac magis mihi quodammodo vim afferre, vt te impẽſius diligam. Et, tametſi mihi iampridem videbatur meȩ

erga te beneuolentiæ, meoque in te ſtudio afferre non poſſe incrementum dies: amorem meum tamen in horas augeri ſentio. Sed hũc ſermonem in aliud tempus reſeruemus. Iamiam puerum mittam ad eum, qui ἐπιςαθμία præeſt, vt cum primùm venerit ille (ſcis quem dicam) mihi ſignificet. Velim Cardinalis tuus litteras ad alterum meo nomine det commendatitias. Si quid ſcribet, &, cùm ſcripſerit, ſi compertum habueris, aut certè ſubodoratus fueris, quid ſcripſerit, mihi gratiſſimũ facies, ſi totam rem ad me reſcribes ſine fuco ac fallaciis more maiorum, aut, vt verius dicam, more tuo. De verſibus, & epiſtola ne dubita. Nihil amplius habeo, quod ſcribam. Card. tuo verbis quàm honorificẽtiſſimis meo nomine ſalutem dicito, & toti eius cohorti. Nam ſingulos enumerare lõgum foret: quod me mones, vt obdurem, & permaneam in mea poſteriore ſententia: tu verò memorem mones. Ego compedes, ne aureas quidem, libens tulerim. ſcribam ad te ἀκριβέςατα καὶ λεπτομερέςατα, quæ ego, & is, quem ſuprà deſignaui, inter nos locuti erimus. Vale, Patauij pridie Nonas. Febr. anno CIↃ.IↃ.L I I X.

M.A.

M. A. Muretus D. Lambino S. D.

DE litteris tuis libero te metu: omnes mihi ſunt redditæ. Niketus venit. De ſermone quem vltro, citróque habuimus, ἔδιν μνημονευέδιν. Pauciſſimis verbis confecta tota res eſt. Ita eum à me dimiſi, vt ipſe quoque fateretur, nullam omnino in me hærere culpã. id adeò ex ipſius ad Cardinalem Ferrarienſem litteris intelligere poteris, quæ ad te vnà cum his in eundem incluſæ faſciculum perferentur. Mi Lambine optime & amiciſſime, quæſo te, quæ, quænam ego tandem verba reperiam, quibus communi hero noſtro, ampliſſimo, atque ornatiſſimo Cardinali Turnonio gratias agam? Adiuua me, ſi quid potes. nam ego quidem magnitudine beneficiorum ipſius in me obſtupefactus, hæreo. Tãtam fuiſſe in illo heroë humanitatem, vt, quod ego nunquam neque petere, neque ſperare auſus eſſem, id ipſe bis iam, primùm apud triumuiros gymnaſij Patauini, deinde apud Card. Ferrarienſem ſuapte ſponte fecerit? Itaque, ne viuam, ſi non dies, noctesſque cogito, quibus modis & me gratum oſtendere, & conſeruare tam prolixam ipſius erga me voluntatem queam. Scribere

ad eum vehementer cupio. Sed mehercule tantum me ei debere ſentio, vt verba mihi deſint idonea. Veruntamen conſtitui ſcribere, idque quàm primùm. Interea mi Lãbine, peto abs te, vt cures ne ſuam erga me, voluntatem immutet. Nam deum immortalem teſtor, ſi is me amare deſinet, vitam mihi inſuauem futuram. Meas ad Card. Ferrarienſem litteras, tibi mitto vulgari Italorum ſermone ſcriptas propterea, quòd Niketus mihi, vt ita facerem, auctor fuit: vnà cum eis Niketi ad eũ litteras in eundem faſciculum incluſi. Neutras obſignare volui volebam enim te vtraſque legere. Si tibi videbitur mea intereſſe illas Card. tuo & meo recitari, per me facias licet. Vſus ſum modica παρῥησία. Sed quid agas? Nõ poſſum eam meo ingenio vim afferre, vt non liberè quod ſentio, ſcribam. Poſteaquàm vtraſque legeris, peto abs te, vt eas annulo tuo obſignes, Florentinumque roges, vt in faſciculum tui Cardinalis conijciat, & Ferrariam perferendas curet. Scribito ad me quàm ſępiſſimè tuo more. Ego reſcribam meo. Vale, Patauij Ibid. Feb. anno CIↃ. IↃ. LIIX.

D. Lambinus M. Antonio Mureto S. D.

Nihil

NIhil erat, quod ſcriberem: ſed te imitari volui, atque idipſum ſcribēdum eſſe exiſtimaui. expecto tuam ad lectorem epiſtolam, & verſus. tùm de illo loco τὸν προτεθέντα νόμον διαθεῖναι καλῶς, qui eſt fol. 98. & de nomine διάτασις, quod iam contētionem Latinè reddideram, quid ſentias. Nondum venerunt ab illo (tenes quem dicam) litteræ. Simul vt venerint, quid in eis ſcriptum fuerit, odorabor. ſagacem me dices fuiſſe. Verùm quid ad te? Nunc expeditus, nunc liberatùs es. Nullus eſt illi de te querendi relictus locus. Iam verò de Franc. Turnonio Card. is te in ore, is te in oculis. Nunquam hîc de litteris ſermo habetur, quin continuò de te mentio fiat & honoris, & amoris plena. Omnes eius familiares & comites tibi omnia læta & ſecunda exoptant: teque quia ad maiora natum exiſtimant, tendiculis illis, & plagis, quibus captabaris, extricatū eſſe, magnopere lætantur. Tuas ad illum acutiſſimas & prudentiſſimas litteras Cardinali meo recitaui, probauit. eaſdem paucis quibuſdam (quos noſti) legendas dedi. Negant quicquam maiore conſilio à quoquam fieri, aut ſcribi potuiſſe. gaudent te tuam libertatem ei homini non commiſiſſe, qui,

cùm te primùm cupidè & honorifice arceſſiuiſſet, atque vltrò appetiuiſſet: deinde faſtidioſè propemodum excluſiſſet: idem poſteà mutato iterum conſilio reuocarit. Præterita igitur omnia tibi ita pulchrè & honeſtè ceciderunt, vt nihil interuenire poſſit, quod tantam εὐτυχίαν conturbet. De futuris, quæ ſunt τοῦ μύθου λύσιν conſecutura, dormito (ſi me audis) in vtranque aurem. Dij immortales in te omnia naturæ bona contulerunt: fortuna te adiuuat, virtus tibi non deeſt, conſilio abundas, ingenio præſtas: tantùm tibi ne ab inuidis ac maleuolis opprimare, magnopere cauendum eſt. quod hac vna ratione facillimè aſſequêris, ſi neminem ſciens lęſeris: ſi integrè, piè, temperanter vixeris: ſi denique totus teres, atque rotundus fueris, ne quid in tua vita criminis, atque adeò ſuſpicionis hærere poſſit. Hoc inſtitutum ſi tenebis, nihil eſt, quòd τῶν δυναςῶν τούτων πλοῦτον ἐνδεῖ καὶ τύχην ἀτυχῆ deſideres. Quanquam cui hęc ſcribo? nempe ei homini, qui quanti κίβδηλα ταῦτα καὶ ταραχώδη εὐτυχήματα æſtimet, re declararit. ſed videto primùm vt tibi cōſtes: deinde vt Turnonij Card. qui te tuæ virtutis opinione incenſus vnicè diligit, cohortatio purgatam

crebrò

crebrò tibi perſonet aurem. Nihil ne præterea eſt, quod ſcribã? nihil niſi quòd miratus ſum, & miror etiam nunc, te, cùm ego de Gallo quodam nuper ad te ſcripſiſſem, hoc eſt noſtrate, ita mihi reſcripſiſſe, veſtratem hominem. Amabo te, non tu etiam Gallus es? Quid reſpondebis Lemouicibus ciuibus tuis ex Italia te reuocantibus, ac vendicantibus! Gallum te eſſe negabis! Romanum, aut Venetum, aut Patauinum eſſe dices! Audio. duarum ciuitatũ eſſe iure ciuili poſſe eſſe neminem, & ſtatim, vt quis in aliam ciuitatem receptus ſit, illius ciuitatis, cui ſe dicarit, ciuẽ eſſe ſcio. Sed quando ciuis Romanus, aut Venetus factus es! Quòd ſi neque Romanus, neque Venetus, neque alîus ciuitatis ciuis es, relinquitur, vt aut nullius, aut eius ciuitatis ſis, quæ te ſuſcepit, quæ edidit, quæ aluit, quæ inſtituit, quæ denique talem, qualem nunc admirãtur exteræ nationes, perfecit, ac perpoliuit. Dices te nullo tuo merito ab ingratis Gallis eſſe è patrię finibus eiectum, atque expulſum. Nõ eſt ita, mi Murete. Non enim, ſi pœnam legibus ijs, cõtra quas nihil (vt ego quidem arbitror) cõmiſeras, conſtitutam, volũtario exilio declinare, quam inimicis tuis iugulum præ-

bere maluiſti:non ſi certorum hominum tuæ præſtantiæ,& gloriæ inuidentium cõſilijs occultis, & inſidioſis cedere, quàm vitam tuam præcipiti & turbulento iudicio committere,tutius eſſe duxiſti,iccircò exul es. Exules ſunt facinoroſi homines, flagitioſi,ſcelerati,ſicarij,venefici, impuri impij:Te,quem olim Galli litteris dediti præſentem attentiſſimis,atque auidiſſimis auribus audierunt:nunc abſentem ſollicitis animis deſiderant,& calamitate leuatũ volunt:quem Veneti per quadriennium, modeſtiſſimum,continentiſſimum , integerrimum, religioſiſſimum , innocentiſſimum cognouerunt:quẽ principes,& pontifices ſecum viuere , ſibíque contubernalem eſſe cupiunt:cuius litteris , ſermone, congreſſu delectantur : cuius doctrinam cum ſingulari eloquentia coniunctam admirantur:quem incredibili amore cõplectũtur,quis exulem appellabit! Dices hæc præclarè, & magnificè dici:te intereà tamen patria carere . Atqui aliud eſt carere, aliud perpetuò carendum eſſe. Non dico hoc temere. Audiui cùm diceret Frãc. Turnonius Card. ſeſe pro ſua erga te beneuolentia,habere in animo,omni ſtudio elaborare,vt tibi pateat in Galliam reditus: ídque

idque vt obtineas &cum Rege,& cũ Pontifice Maximo Pio IIII. diligenter acturum: vtriuſque autem auctoritate in hac cauſa vſurum,vt tu non ſolùm pœna, verùm etiam culpa,ſi quid forte abs te peccatum eſt,liberatus, in Gallia noſtra reliquam ætatem agere poſſis. Itaque niſi tibi deeſſe voles:niſi patriam tuam tibi vltro dextram porrigentem, complectíque cupientem aſpernabere,magnam te video & eius recuperandæ, & viuendi cum tuis facultatem eſſe habiturum. Atque hac de re ego,Villarius, & Sandrinus nudiuſtertius accuratè locuti ſumus. quem ſermonem tibi totum perſcriberem, niſi ad congreſſum noſtrum potius reſeruãdum eſſe exiſtimarem. Fuit enim in te & honorificus& amoris plenus. Cùm igitur hæc ita ſint (fui enim lõgior, quàm debui, atq; adeò, quàm volui) velim mihi quãprimùm reſpõdeas, quamobrem, cùm ad me ſcriberes, Gallum hominem veſtratem potius, quàm noſtratem dixeris. Vale a. d. x. Kalend. Mart. in Corneliano.

M. A. Muretus D. Lambino S. D.

RESpondebo ijs potiſſimùm tuarum litterarum capitibus, quæ mihi vidẽ-

tut maximè reſponſionem flagitare. Veſtratem hominem eò dixeram, quia tu, & ille Belgæ eſtis. Nam quod ad Galliam attinet, ego & Gallus ſum, & me quandiu viuam, Gallum profitebor. ſed gaudeo te id quod ſcripſeram, in eam partem accepiſſe, & occaſionem hinc tibi natam eſſe ſcribēdi ad me de honorificis, & amicis ſermonibus, quos tu, Villarius, & Sandrinus de me habuiſtis. Ego quidem neque illis, neque tibi gratias agere debeo, ne pro ſalute ipſa cuius mihi vel pariendæ, vel reſtituendæ à vobis conſilia capiuntur, vili munere defungi velle videar orationis. Vulgaribus & vſitatis beneficiis gratiarum actio debetur: hoc, quo maius homo ab homine accipere nullum poteſt, ὡς δαιμόνιόν τι, ſilentio potius eſt & cogitatione venerandum. Sed quòd meam ſuper ea re ſentētiam requiris, dicam. ἐγὼ περὶ μὲν τοῦ ἐπανέρχεσθαι εἰς τὴν πατρίδα οὐδὲν πώποτε, ὡς ἔπος εἰπεῖν, ἐφρόντισα, καὶ αὐτὴν τὴν ἐπάνοδον οὐ περὶ πολλοῦ ποιοῦμαι τὴν ἐμὴν τύχην παραμυθούμενος τῷ τοῦ κωμικοῦ, πατρὶς γάρ ἐστι πᾶσ' ἵν' ἂν πράττῃ τις εὖ. καὶ μὴν οὕτω τὴν ψυχὴν διακείμενος τὴν τοῦ ἐπανέρχεσθαι δύναμιν ἓν μοι τῶν ἐν τῷ βίῳ ποθεινοτάτων εἶναι νομίζω.. ac, quod, ſi liceret, nunquam tamen fortaſſe

ſe facerem, id non licere, vix ſatis æquo animo fero. Ego autem conſtitutum in animo habebã annos aliquot expectare πρὶν τοῦ τὰ τοιαῦτα κινεῖν, atq; eniti, vt mea bona exiſtimatio, & fama bonorum mihi ad hanc rem adiumento eſſet. Veruntamen tuo iudicio rem omnem permitto. Interea velim ex te audiat P. Villarius, quantũ ego, & mihi conſcius ſim, & profitear me ſibi debere, quámque beatum me futurum putem, ſi mihi aliquando referẽdæ gratiæ poteſtas detur. Eum igitur, & Iãnoctium, & Laureum, & Torodem meis verbis ſaluere iubeas velim. Vale mi Lambine omnium meorum amicorum amiciſſime. Patauij, a. d. VII. Kal. Mart.

M. A. Muretus D. Lambino S. D.

TVas litteras hodie accepi. meas puto heri à prandio tibi fuiſſe redditas cũ ijs quas ad Rufillum dabam. Videor mihi tuis omnibus reſpondiſſe ſaltem ad ea capita, quæ reſponſione aliqua indigere videbantur: niſi quòd non ſatis cõmemini, ſcripſerim, nécne περὶ διαστάσεως quam contentionem interpretaris, lib. nono de morib. ad Nicom. quo de nomine, cùm me in omnes partes cogitatione conuerterim,

nihil potui reperire melius tuo. Nam de illo loco qui eſt in extremo decimo, ὅν τινα καὶ τὸν προτεθέντα, poteſt ne cuiquã (Perioniũ ſemper excipio: de quo ita ſentio, nihil poſſe eſſe tam abſurdum, quod non ei interdum & veniat in mentem, & probetur) Sed poteſt ne cuiquam dubium eſſe, quin ita intelligendus ſit, vt tu cenſes? Quin Argyropylus quoque & Aretinus à te faciũt. Diuus Thomas autem more ſuo fecit, vt ex interpretatione neque bona, neque vera, bonam tamen & veram ſententiam eliceret. itaque eum quoque habes aſtipulatorem. De his hactenus. Litteras Cardinalis Ferr. ad me, & Sandrini ad te, cum tuis accepi. Vtraſque remitto. eas, quas princeps ille clariſſimus mittit ad me, leges: & lectas remittes, vt eaſdem cõſiderem per ocium, & reſcribã. Quicquid cõſilij cepero, tu primus eris particeps, & conſcius, quemadmodum amicitia noſtra poſtulat: ex qua equidem maiorem in dies & fructum, & ſuauitatem percipio. Simul atque remiſeris, (quod cras fiet, aut perendie) aggrediar ad reſcribendum. ſimúlque de eodem oleo, & opera ſcribam aliquid ad communem herum noſtrum Cardinalem Turnonium. Sed te mihi adiutorem

eſſe

eſſe neceſſe eſt in re leui & puſilla, quam tamen ipſe per me nō ſatis commodè explicare poſſum: id eſt, in litterarum inſcriptione. Niketus cùm ad Card. Ferr. Gallico ſermone ſcriberet, in inſcriptione ſuarum nihil præter vocem domini iteratam ad nomina illa ſolēnia & neceſſaria. Card. Ferr. adiũxit: eiúſne exemplum ſequi debeo: an magnifica illa verba adhibere Italis vſitata REVERENDISS. ILLVSTRIS? Inepta hæc καὶ φορτικὰ eſſe intelligo: ſed tamen ne in his quidem minimis rebus ruſticus videri velim. Vale. Pataui j a. d. v. Kal. Martias.

M. A. Muretus D. Lambino S. D.

TVas omnes litteras accepi: hoc primũ ſequitur nunc, vt ad eas reſpondeam. Quando vir clariſſ. Card. Turnonius precisè, & ſine vlla exceptione iubet, vt dedã me Hippolyto Eſtenſi Card. Ferrarienſi, geram ei morē σὺν θεῷ. hoc enim tibi perſuaſum habe, mi Lãbine, Cardinalis Turnoni j voluntatem mihi, quandiu viuam, inſtar Helicæ, aut Cynoſurę cuiuſdam futuram, ad quam totus conſiliorum meorũ curſus dirigatur. Quod imperabit ille, ſi modò in mea poteſtate erit ſitum, faciam,

quoquo modo potero. Quin etiam ſi mihi ea imperet, quæ facultatem habere non videantur, ea tamen efficere conabor non perficiendi ſpe, ſed obtemperandi voluntate. Hoc certum, hoc deliberatum, hoc fixum eſt. Hac de re ego ad eum triduo, aut quatriduo ſcribam: ſimúlque ad Cardinalem Ferrarienſem litteras dabo. Hoc ipſo die ſcripſiſſem: verùm extra occupationes quibus diſtrictus ſum, ita me Deus amet, vt cùm ad hos populi primores ſcribendũ eſt, nihil mihi venit in mentem, quod ſcribam, niſi diu, multúmque meditato. Interea pro me ſpondebis, ac recipies Cardinali tuo, me, quòd vult, facturum. tum tu priſtinam tuam erga me voluntatem retinebis. De obligatione illa altera noli laborare. Mecum erit iſte labor. Fata viam inuenient. Atque etiam confido me eis ſatisfacturum, qui videãtur de me iure queri poſſe. Mittas ad me velim epiſtolam illam Gallicam, in qua de me fit mẽtio. Nihil prçterea video in tuis litteris, quod reſponſionem deſideret. Amo te immenſum quantum: téque orarem, vt paria redderes, niſi exploratum haberem te tua ſponte facere. ſalutem omnibus meo nomine: ſed in primis P. Villario. Quid ſibi vult autem tã ſubi-

ſubitus, atque inopinatus veſter ex Italia diſceſſus? Iocóne, an ſerió iſta ſcripſiſti? Si quid eſt τῶν ἀποῤῥήτων, taceo: ſin, fac vt ſciam. Vale Patauij Pridie Kal. Mart.

Muretus Lambino S. D.

IAm ſcripſerã ad liberos Valgriſij, cùm allatæ mihi ſunt tuæ litteræ. Itaque etſi valde ſperabam, meis precibus nihil opus fore, tamen, quòd erant iam ſcriptæ litteræ, mittendas cenſui: ídque feci. Aſſueſieri paulatim aures tuas, quaſique occalleſcere, gaudeo. Manutius heri ad me ſcripſit, ſi quid mutare vellem in notis illis meis ad Terentium, aut ad eas aliquid addere, vt primo quoque tempore facerem. ſe de eis denuo propediem excudendis cogitare. Denuncio igitur tibi, ſi quid adiuuare in ea re me potes, (potes autem plurimùm) vt facias. Alliano noſtro, quem talem tibi videri, qualis mihi ſemper viſus eſt, id eſt optimum, ac modeſtiſſimum virum, imprimíſque φιλόφιλον, immortaliter gaudeo ei igitur plurimùm meo nomine ſalutis imperties. Vale amicorum meorum optime, & integerrime. Id. Mart. Pataui.

Muretus Lambino S. D.

SCiebam, me illud de irritandi verbo alicubi legiſſe: ſed nolebam obſtinatè contendere, niſi locum etiam ipſum indicare poſſem. hodie reperi. eſt autem in ijs, quæ notauit Pierius in librum decimum Virgilij, his verbis: Irritátque virum telis. Impreſſi codices omnes, irritat, geminato r ſcribũt: ſonet vt de nare canina littera. Irrito tamen ab ira eſt. Hęc Pierius. Sed tamẽ ſcrupulus adhuc aliquis meo in animo inſidet: propter verbum, Prorito. ne forte ambo ex eodem fonte fluxerint. Tu cogitabis. Sed amabo, quid tibi venit in mentem, vt iuberes, à me concerpi, quæ in notis illis tuis Terentianis minus probarem? Ego verò omnia ita approbo, vt nihil ſuprà. itaque, quę ad meum inſtitutum pertinebũt, ijs vtar: cetera ad vſum meum aſſeruabo, ídque ἐν κειμηλίοις. Cucuronis noſtri munuſculum mihi longè iucundiſſimum fuit: ídque velim abs te ei omni aſſeueratione affirmari. profectò quibuſcũque locis putabo teſtimonio meo, ac prędicatione aliquid ipſius nomini celebritatis afferri poſſe, non deero. ita enim eum in arte illa, cui ſe dedit, excellere video, vt

ſit

ſit cum ijs, qui principes habentur, meo quidem iudicio conferendus. De viginti quattuor illis librorum tuorum exemplis noli laborare. ego rem, cùm tu voles, confecero: ídque ad me recipio in his litteris aliena, vt vides manu vſus ſum: quòd recenti à prandio ne ſcriptio mihi non ſatis firmo obeſſet, verebar. Saluta mihi communes amicos, & Vale, Idib. Apr. Patauio.

Muretus Lambino S.D.

QVòd ad te rarius ſcribo, quàm aut tu cuperes, aut amicitia noſtra fert: peto à te, ne id potius negligentiæ, quàm negociorum, quibus aſſiduè premor, multitudini aſcribas: nam illud, non puto petẽdum eſſe, vt ne quid propterea de amore erga te meo imminutum putes. ego enim ſi quicquam tale ſuſpicarer, mihi crede, iſtuc accurrerem, tibíque modis omnibus probare conarer, te mihi ita carum eſſe, vt vix ipſe tibi ſis carior. quare noli, ſi quid vnquam de te benè merui, ſi me mihi carum viuere cupis, ſi me ſaluum vis denique, noli deponere eam voluntatem, quam erga me iampridem ſuſcepiſti. ego te eximiè amare, ita vti tua eximia virtus promeretur, non deſinam, niſi ipſemet

amare me deſinam: quod tuus Ariſtoteles ait eſſe τῶν ἀδυνάτων. Propediem mittam ad te Catullum, Tibullum, & Propertium cum ſcholijs quibuſdam meis: in quibus eſt aliquot locis facta tui mentio. Sed amice magne noli quicquam elimatũ, aut elaboratum expectare. omnia vulgaria ac protrita, & à Decimo Lælio, non à Perſio, legi digna. quæ tamen tu, qualiacunque ſunt quia noſtra ſunt, probabis, & non inuitus leges. Vale. Illuſtriſſimo Cardinali ſi meo nomine ſalutem dixeris, erit gratiſſimum. Villarium item, Laureum, Torodẽ, ceteros mihi diligenter ſaluta. Donatum Iannoctium nuper vidi Patauij. nam hæc ſcripſi Venetijs in taberna quadam libraria, cùm hodie Patauio veniſſem, hodie Patauium cogitarem. Iterum vale κεφαλὴ μοι προσφιλεστάτη. id. Quinctil. cIↃ. IↃ. LVIII.

Muretus Lambino S.D.

PEtrum Paganum, quibus apud te laudibus ornauerim, ſcis: quámque diligenter & accuratè tecum egerim, vt eum in amicitiam tuam reciperes, hominẽque & probum, & eruditum, & perſtudioſum tui toto pectore complecterere. Eius ego nunc

nunc ex ædibus hæc ad te ſcribo : téque verbis ipſius rogo, ſi quando erit tibi hâc iter, vt eum tibi inuiſendum, ſalutandum: etiam, ſi videbitur, domo ipſius æquè atque ſi tua eſſet, tibi vtendum putes. Mihi crede, cognoſces hominem tua amicitia dignũ Nunc cùm ex ipſo audierim, fore, vt die craſtino Hieronymus Amaltheus, ad ſuos rediens, hâc tranſeat: cúmque ita ferat itineris ratio, vt Corneliano quoque eum iter facere oporteat: putaui obiectam eſſe mihi occaſionem, qua tibi, qua vobis omnibus, ac imprimis ipſi ampliſſimo atque illuſtriſſimo Cardinali rem gratiſſimam facerem. Hic ille Amaltheus eſt, quem tibi affirmaui, magíſque ac magis affirmo, omnium, qui hodie viuant, Italorum, quos ego quidem nouerim, præſtantiſſimum poëtam eſſe : eundémque medicum οὐ τῶν τυχόντων, immò, vt ille ait, πολλῶν ἀντάξιον ἄλλων. Velim, patefacias ei aditum ad Cardinalem : nam & ille non vulgari ſe honore à te affectum intelliget, ſi, productus à te poſſit ei καταφιλεῖν τὰς χεῖρας: (agnoſcis caſtrenſe verbum) &, niſi me valde fallit animus, Cardinalis ipſe magnam ex eius ſermonibus percipiet voluptatem. Id autem vt facilius

fieret,has ad te literas ſcripſi, quę Amaltheo darentur, vt eas ipſe perferret. Sed cœnandum eſt. Vale. Taruiſij IV. Kal. Decemb.

Dio. Lambinus M. A. Mureto S. D.

POntifex Veſontionenſis, qui Patauiū (vt ſcis(non ita pridem ſe contulit, vt iuris ciuilis, & Philoſophiæ, & litterarum humanarum doctoribus operam daret: nndiuſquartus venit in Cornelianū, Franciſci Turnonij Cardinalis ſalutandi, & inuiſendi gratia. Erat in eius comitatu theologus quidam notus mihi nomine tātùm Gilbertus Coſinus. is non ita longo, poſtquàm in cubiculum Cardinalis cum Pontifice introiuit, tempore, me requiſiuit, vt videret. Inambulabā tum fortè hora diei decima ſub dio, quà denſiſſimis diffuſæ ramis arbores locum ab arbitris remotū, ac liberum opacabant. Comes eratnullus, præter vnum libellum, quem mecum tuleram, vt, ſi forte deficeret me, quod inter ambulandum animo agitarem, lectiūcula me oblectarem. Aliquot iam ſpatia cōfeceram neſcio quid meditans nugatū, totus in illis, cùm puer currens nunciat mihi, Pontificem Veſontionenſem veniſſe: quen-

quendam eſſe ex eius comitibus, qui me ſalutare,& conuenire vellet: Quòd ſi in cubiculo meo fuiſſem, vltrò ad me venturum fuiſſe. Quibus auditis puerũ ad eum præcurrere iubeo, eíque renunciare, me in propinquo ſaltu ambulare, & mox affuturum. Ita præmiſſum puerum è veſtigio conſecutus ſum. Coſinus autem, ſimulatque audiuit de meo, vbi eſſem, properanti mihi venit ipſe quoque cupidè obuiam. Cùm in congreſſum veniſſemus, poſt illa quæ ἐν τῇ ἀπαντήσει dici ſolent: primum multa ille de me, more hoc inſulſo, in os, & coràm: quæ ego (noſti enim me πρὸς πᾶσαν κολακείαν δύσκολόν τε καὶ ἀντίτυπον ὄντα) perinuitus, & penè dicam, recalcitrans audiui: deinde non pauca de Genua, Robertello, Fallopio, & ceteris. De te percunctans tandem, & ἔῤῥηξας φωνὴν (longum enim erat de aliis dicenti aures tam patiẽtes, & facileis præbere: de te autem ab eo, qui Patauio recens veniret, nihil audire:) Sed Muretus noſter (inquam) quid agit? vt valet? nihílne noui ſcribit, quod alios delectet, ipſum laudibus æternis illuſtret? Ille verò, inquit, Patauio dies aliquot abfuit: quam ob cauſam, neſcio: niſi quòd Patauij diſſeminatus eſt ab inuidis (opi-

nor)hominibus rumor de eo non bellus. Itaque nobiles aliquot adoleſcentes Veneti pudentes & boni,qui cum eo viuebãt recepiſſe ſe ad ſuos dicuntur. Muretus autem, cùm paucis poſt diebus illos conſecutus eſſet, hoc conſilio, vt ſe purgaret: atque aliquantum temporis, dum rumor ille deferueſceret, Venetiis conſediſſet: Patauium rediit triſtis ac demiſſus. dicitúrque prioribus ædibus, in quibus laxiſſimè habitabat, relictis, alias anguſtiores conduxiſſe. Hæc cùm audiſſem, valdéque ea auditione perturbatus, & propemodũ exanimatus obſtupuiſſem, & vix tandem me collegiſſem; quæſiui, certóne ſciret, tuos abs te diſceſſiſſe. negauit ille ſe certò ſcire. eorum, quæ diceret, rumorem ſibi eſſe nuncium, præthereà neminem. hoc vnum ſe exploratum habere, te Venetias profectum eſſe: ibíque dies aliquot conſtitiſſe: deinde Patauium reuerſum eſſe: ædes tuas non ea, qua antè, frequentia celebrari. Hæc mihi theologus ille. quæ me planè perculerunt, atque afflixerunt: neque extollar, aut recreabor prius, quàm ex tuis literis, quid acciderit noui, cognouero. Quamobrem, ſi me amas, fac vt de toto hoc rumore diligẽter ad me ſcribas:

vt,

vt, ſi verus ſit (quod dij immortales omen auertãt) nos ſubueniamꝰ: ſin falſus (quod ſpero & opto) cura metúque liberemur, & gaudeamus, & tibi gratulemur. Scis quanti te Fran. Turnonius Card. quanti te faciamus. meminiſti, commendationem noſtram tibi ad amicitiã & gratiam Cardinalis colligendam magno adiumento fuiſſe. Si ea de te audiet, quæ nos rubore perfundant, quid nobis miſerius? Non enim iam nobis erit integrum Horatio obtemperare illa præcipienti & monenti, Qualem commendes etiam atque etiam aſpice, ne mox Incutiant. tenes cetera. Piget me plura hac de re ſcribere. Vehemẽter ſollicitus ſum: valdè hoc nuncio territus. Tu, vt primo quoque tempore mihi metum, in quo nunc verſor, adimas, videto. Significaui tibi aliis literis, me libros de moribus ad Nicomachum à me conuerſos Lutetiam miſiſſe, vt ibi de integro, & quidem emendatiores, quàm Venetiis, excudantur: certiorem etiam te feci de theologorum Pariſienſum ſeueritate, ſeu potius (non enim puto hæc Theologis curæ fuiſſe) inimicorum & inuidorũ tuorum acerbitate, qui nomen tuum è libris meis tolli iuſſerunt. Vale. pridie Idus.

Sext. CIↃ.IↃ.LIIX. in Corneliano.

Muretus Lambino S. D.

PRimùm de ijs, quæ iſtuc allata ſunt: metu omni te libero. Ego Patauio pedem non moui: niſi quòd nuper negociorum cauſſa Venetias profectus ſum. Mei omnes adhuc mecum ſunt: niſi quod tres, cùm febre correpti eſſent, ad ſuos ſe contulerunt: vt ibi melius curarentur. Næ ego, mi Lambine, ſingulari quodam ſum ad inuidiam fato. nam quid mirum eſt, iſtuc perueniſſe falſos quoſdam de me rumuſculos, cùm Venetijs, hoc eſt, in ea vrbe, in qua, hæc quàm vana eſſent, oculis videri poterat, eadem illa, quæ iſtuc allata eſſe ſcribis, diſſeminata ſint? De libro tuo, nodus eſt ad ſoluendum difficilis. dabitur enim magna occcaſio hominibus quærẽdi quid acciderit: vt ſatius fuerit me nunquàm initio inſeri, quàm nunc euelli. Tu cogitabis. Catulli exemplaria duo, ante quàm Venetijs diſcederem, curaui danda Donato Iannotio: quorum vnum, mea cauſa, ſibi aſſeruaret, alterum ad te ferret. Itaque miror, quid factum ſit. Litteræ illæ tuæ ſuperiores ad me non peruenerunt. poſthac cùm ad me voles ſcribere, nihil

potius,

potius,quàm vt ad Caualcantem mittas. Equidem valde conturbatus ſum: ac parũ abeſt,quin cogitẽ in aliquas ſolas terras, vbi nec Pelopidarum nomen, nec facta audiam. Eius autem rei mihi ſeſe offert occaſio ſane luculẽta. ſunt enim,qui me honeſtiſſimo ſtipendio,in Græciam conentur abducere. Quid enim faciam, qui neminem lædẽs omnibus omnium inuidorum,ac maleuolorum dentibus petor? Vitæ me prope ipſius odium capit. Tu bene vale,ne ego deterius etiam valeam, ſi tecum minus bellè agatur. Cardinalis ſaltẽ Turnonius,columen meum, ne me amare deſinat,vt cum Villario, Donato, Laureo, Torode,ceteris,quãtum in vobis eſt, præſtate. Litteras tuas valde expecto. Pataui j VI. Kal. Sept. quo ipſo die tuas litteras acceperam,quæ tamen à te datæ erant Prid. Id. Sextileis.

D. Lambinus Mureto S. D.

POſtridiè quàm tabellarius Cardinalis Turnonij Venetias ire ſolet, tuas poſtremas litteras accepi. Itaque eis non potui citius,quàm hodierno die reſpõdere, niſi vellem meas incertis hominibus committere. De rumore illo, ſcito me magno

metu,magna cura, magna denique animi moleſtia tuis litteris eſſe liberatum. Dij malè faciant iſtis talium ſermonum, qui ad alterius exiſtimationem lædendam valent,artificibus. Atqui, vide quàm ſis incautus:immo verò,quàm credulus,&εὐήθης.Is,qui mihi primus hanc fabulam narrauit, dicebat ſe eam Patauij è quodam, qui te quotidie inuiſere ſolet,&quo tu familiariſſimè vti conſueuiſti,accepiſſe:nomen ſe negabat ſcire. Tantùm in Mediomatricum finibus natum eſſe dicebat: eũque ſic mihi deſcribebat:breui collo,capite obſtipo,rufo capillo, ſparſo ore, cęſijs oculis,narib⁹ amplis,atque obtuſis. Huic homini,ſi ſapis, caue quicquam poſthac credas:qui tibi domi tuæ blanditur, foris obtrectat:fronte,& vultu amici ſpeciem præ ſe fert,conſilio & voluntate inimicus eſt:verbo & ſermone liberalis, humanus, & officioſus eſt:re,& factis illiberalis, inhumanus, & capitalis eſt: cuius denique blanditiæ inſidioſæ,oratio infidelis, congreſſus peſtilens,&pernicioſus.Is quidem quod in eo fuit,te propemodum perculit, atque euertit. Quòd niſi tua innocentia, integritas, veritas denique tibi maturè ſubueniſſent,periculum erat, ne macula ſempiter-

ſempiterna tuo in nomine, tuáque in fama hæreret. Nunc autem tot clariſſimorũ & grauiſſimorum virorum, quibus tu notiſſimus & cariſſimus es, teſtimonio conuictis, atque compreſſis inuidorum tuorũ obtrectationibus, falſiſque criminationibus, tua viui quidem vox, oratio, conſuetudo præſtãtibus & principibus in repub. viris erit optabilis & iucunda: mortui verò gloria creſcet, & vigebit memoria hominum ſempiterna. De libro, quid futurũ ſit, neſcio. ſcripſi quidem ad eos, qui Lutetiæ negocia mea gerunt, ne patiantur excudi potius, quàm tanta iniuria tibi inferatur. Vnum vereor, ne, quo tempore meæ litteræ ad eos peruenient, res iam non ſit integra. quod ſi accidet, quid conſilij capiendum cenſes? aut quo modo, quod erit ab illis inceptũ, reuocari, & corrigi: quod factum, infectũ eſſe poterit? ſcis hoc belli tempore, cùm ex Italia longo flexu, longóque circuitu per Rhœtos, & Vindelicos itur in Galliam, litteras Roma vix viceſimo die Lutetiam peruenire: vt omittã ſexcentos caſus, qui in tam longo itinere nec opinatò interuenire poſſunt. Omnino res difficilis, vt ſcribis: eóque difficilior, quo minus loci conſilio relictum eſt. De

inuidis,dubium iſtuc quidem nõ eſt, quin ab hoc genere acriter oppugneris . Sed quid tum poſteà?num tibi iccirco aut Italia altera tua patria relinquenda eſt:aut in peregrinas terras cogitandum? Quaſi verò locus vllus ſit in orbe terrarum , quem quidem homines incolant ab inuidis purus & vacuus.Nam quod ſcribis parum abeſſe,quin ſolas terras cogites,vbi nec Pelopidarum nomen,nec facta audias: conſilium tuum laudarem,niſi homo natus eſſes, nõ fera:aut ſi in ſolitudine homo humanitate politus vitam agere poſſet.Multa nobis in hac vita,Murete,natura cõmoda:multa incommoda propoſuit. multa nos ſuauia & iucunda in vita retinẽt,multa perpeſſu aſpera,atque acerba vitam odioſam,amaram,atque inſuauem reddũt. Sed ſapientis eſt,cum his incõmodis, tot huius lucis opportunitates & commoditates compenſantem,&comparantem,vitæ dulcedine,dũ licet,frui:quæ in ea ſunt aliquanto amariora,animi æquitate condire. Dum hominum genus erit , inuidia præſtantiſſimum quenque inſequetur & petet.quam vna ratione facillimè placabis,ſi te inertię,deſidiæque virtute relicta, dedideris:hoc eſt, ſi contemni, & latêre,

quàm

quàm in pretio eſſe,& excellere malueris, quod te factutum non puto. Noui enim tuos ad virtutem,& veram laudẽ impetus. Quòd ſi mutare conſilium velles, tibi tamen non liceret. Non enim tibi iam integrum eſt, tot ſcriptis, tanquam tuæ conſtantiæ obſidibus implicato, atque irretito, totas vitæ tuæ rationes cõturbare, nouámque ac longe diſſimilem viuẽdi viam inire. Reliquum igitur eſt, vt, quem à puero vitæ curſum inſtituiſti, eum conſtantiſſimè tenere perſeueres: vitæ integritate, innocentia, continentia, pietate, inuidorum morſus & criminationes, quo ad eius fieri queat, debilites: clarorum, potentiũque virorum amicitia, opibus, auctoritate tuum ocium ſuſtẽtes, tuas fortunas augeas, tuum caput tegas, tuam vitã munias. Vale, a. d. xv. Kal. Sept.

Muretus Lambino S.D.

MIhi iratus es, ſcio: & quidem meritò: nihil enim totos hos duos menſeis ad te ſcripſi. Verum ſi ſcias, quàm fuerim occupatus, tãtiſper dum Venetiis fui, non in libris meis Variarum Lect. deſcribẽdis: ſed in ambulationibus, ſeu potius in traiectionibus Venetis, in ſalutationibus

obcundis, in ceteris officijs prętſtãdis, quibus me hi iuuenes patricij diſtrictum tenuerunt, tum te mihi æquum, placatúmque præbeas. dices me ex meis neceſſarijs occupationibus ſemihorã ſuffurari, eámque in ſcribendo inſumere potuiſſe. Quid tibi reſpõdeam vis? Dixi me pigrum proficiſcenti tibi: dixi talibus officijs propè mancum. Fateor me omnium populariũ, & tribulium meorum eſſe pigerrimum, maximè in ſcribẽdis epiſtolis. Quid tum? animi hic morbus eſt. Pręclara verò laude dignus ſit, qui amicos ſuos amare deſinat tum, cùm ęgrotent. Non continuò, ſi non ſcripſi, te amare, de te dies, noctéſque cogitare, de te loqui, de te ſcribere deſtiti. In eo dũtaxat peccaui, quod, cùm eſſem plurimis, & neceſſariis negocijs impeditus, &, cùm mihi ſcribendi deeſſet argumentum, præter hæc communia, & vulgaria, me valere, tuum eſſe, tibi perbenè cupere, & ſimilia, quibus apud nos tali neceſſitudine coniunctos, nihil loci debet eſſe, dies aliquot ſcriptionem, & miſſionem litterarũ ſolitam intermiſi. In ſumma, ſi cui culpæ ſum affinis, ignoſcito: ſin culpa, vaco iraſci deſinito. Sed hæc miſſa faciamus. Mitto ad te vnum è libris meis Var. lect.

Peto

Peto abs te, vt errata librariorum corrigas, quomodo vides in eo, quem ad Fran. Turnonium Cardinal. miſi, eſſe correcta. Sublatis illorum mendis, mea tolles, & de iis me admonebis, quemadmodum amicitia noſtra poſtulat. Turnonij Cardinalis mentionem feci cap. I. lib. VIII. tui, locis tribus, vt legendo cognoſces. Plura exẽpla miſiſſem, quæ diſtribuerentur Villario, Iannotio, Laureo, Torodi. ſed ſudaſſet gerulus, præſertim his diebus æſtiuis, quibus rubra Canicula findit infanteis ſtatuas. alioqui eiuſcemodi ſunt mei libri, vt vnus vni loco ſit ſatis, ſupérque. Si quis è veſtra cohorte pranſus horam legendo perdere volet, tuũ ei cõmodabis. Præterea hoc tempore frigidum aliquid quærendum & prouidendum eſt ad hos calores tam acreis leniendos: & ego in meis libris ſuſpicor pleraque ita frigida viſum iri, vt vel iſtas aquas quantumuis calidas refrigerare poſſint. Sed quando in aquarũ mentionem incidi, tibíne profuerunt aquæ iſtæ Lucenſes, quibus te dies aliquot vſum eſſe audio? Quo (malũ) cõſilio, aut qua ſpe, cùm valeres, tot aquarũ cyathos hauſiſti? quaſi verò vinum, præſertim refrigeratum, hoc tempore non ſit & melius

& ſalubrius. Veruntamen, ſi benè ceſſit, vt ſpero, & cupio, gratulor. Defeſſus ſum ſcribendo, non tu etiam legendo? Vale mi Lambine amicorum meorum prime, & me ama: tibíque perſuade te mihi in animo inſculptum eſſe. Non audeo te orare, vt mihi reſcribas culpæ meę cōſcius. Verùm ſi tua ſponte feceris, tāto humaniùs, atque amiciùs feceris. Cucuroni primùm ſalutem: deinde dices me iamiam ei propinare hoc vini albi liquidiſſimi, & optimi poculum: quod quidem vinum ego nunc in hoc cyatho vitreo video trepidare, & flammę vibrantis in morem micare. Ego te quoque ad cōbibendum inuitarem: ſed vtrùm ſis etiam nunc δύστροπός τις καὶ ὕδωρ πίνων, an ad victum priſtinum redieris, neſcio. Iterum Vale, Ferr. a. d. XIII. Kal. Sext. anno CIↃ.IↃ.LIX.

Lambinus Mureto S. D.

EXcuſationem tuam, cur tandiu nihil ad me ſcripſeris, accipio, itaque iam non ſum iratus. Librū vnū Var. Lect. Cardinali dedi: alterum mihi ſeruo, gratiáque habeo. librariorum mēda, quemadmodū tu præſcripſeras, ſuſtuli. tua, quæ me corrigere voluiſti iocans (ſic enim interpretor)

tor)nulla reperi.paucos tantùm locos notaui, in quibus abs te diſſentio. Sed eſt, quòd tecum expoſtulem. Miror te, cùm ſcires me commentarios in Horatium iã pridem ſcripſiſſe, & propediem in lucem proferre, atque edere cogitare: cúmque adeò pleraque in eis partim meo rogatu, partim tua ſponte legiſſes: amicitiam noſtram: age, mitto amicitiam: humanitatẽ, æquitatem, omnium conſuetudinem vſque adeò neglexiſſe, ac parui feciſſe: vt mihi meas vindemiolas præripere, mearúmque vigiliarum fructum præcerpere conareris. Nondum queror de ijs, quæ à me ſcripta, & tractata, & occupata tu tibi in tuis libris πλεονεκτικῶς vẽdicaſti. Eſt ne hominis politi, & communem hominum ſocietatem ſanctam, & inuiolatam tueri cupientis, parteis alienas ſibi vltrò arrogare, & vendicare? Libros Variarum lectionum ſcribere cogitabas. Quàm multi ſunt alij veteres ſcriptores, è quorum interpretatione & explicatione libros tuos ita cõcinnare poteras, vt eum ſcriptorem, quem ego mihi totum explicandum ſuſceperam, non tãgeres? At habebas res quaſdam ſingulares, quas ſi tum non ederes, verebare ne tibi nullum fructum ferrent, poſtea-

quàm commentarij mei exiiſſent. At erat tuum, qui te amicum meum profitebaris, amici tui gloriæ conſulere magis, quàm tuæ. Verùm eſto. pauci ſunt, qui gloriæ iacturam facere velint. Quamobrē tu, cùm Venetias veniſſes nocte ferè intempeſta, pridie quàm inde proficiſceremur: & me dormientem è ſomno excitaſſes: in cubiculum meum intromiſſus, atque adeò in lectum, in quo quieſcebam, receptus eſſes: totam noctem inſomnem duxiſſemus: cōplures locos è tuis libris memoriter recitaſſes: nunquam mihi ſignificaſti, te quicquam, quod ad Horatium pertineret, in tuis libris attigiſſe? Quamobrem hæc tacebas, & celabas, cùm cetera ferè omnia mihi aperires, niſi quòd facilè intelligebas, te mihi in eis iniuriam facere, méque, ſiquid eorum cognouiſſem, petiturum abs te fuiſſe pro amicitia noſtra, vt illorum lo corum editionem in aliud tempus reſeruares? Omnino magnum cogitatæ iam, & meditatæ iniuriæ argumentum eſt, me de Horatio eſſe celatū, cùm ceteros propè omneis auctores aperuiſſes. Verùm demus, te laudis, & glorię ſtudio, quo optimum quenque virum duci videmus, inflammatum in iſtam fraudem incidiſſe.

Quid

Quid ad hoc reſpondebis, quòd ea quæ in municipio Corneliano apud me legeras, cùm Cardinalem Turnonium Ferrariam proficiſcens inuiſiſſes, paulùm immutata in libros tuos tranſtuliſti? Negare id non potes: &, ſi negabis, teſtibus te locupletibus coarguam. Quæ quãuis te meminiſſe ſciam, tibi tamen in his litteris ordine perſcribam. Primus locus eſt Ode II. lib. II. Illum aget penna haud metuente ſolui, &c. quem ego ex veteribus codicibus emandaui ſublata negatione. Veteríſque ſcripturæ rationem pluribus verbis in meis commentariis oſtẽdi. eámque emendationem vnà cum explanatione à me auditam magnopere probauit Cardinalis. Ne te quidẽ celaui: probaſti tu quoque: & paucis poſt menſibus id totum in cap. VII. lib. I. Var. lect. retuliſti. ſi quid mentior, Deus immortalis mihi perpetuò ſit iratus. Secundus eſt, Od. XVII. eiuſdem lib. Nec dijs amicum eſt, nec mihi &c. ex quo XII. caput tui libri II. concinnaſti. Tertius eſt, Od. XXI. lib. III. Narratur & priſci Catonis &c. ex quo caput VIII. tui lib. III. conflatum eſt: ego autem hanc nominis circunlocutionem annotaui ad Od. V. lib. III. ídque tibi Venetijs demonſtra-

ui. Quartus eſt in Od. x v i i. epod. Luxêre matres Iliȩ &c. quẽ tractas cap. xix. lib. iii. eum tibi totũ recitaui in Corneliano domi meæ. Quintus eſt Ode v i. lib. i i i. ex quo confeciſti caput x v. lib. i i i. quãquam, quod ad hunc attinet, non ſatis cõmemini vtrùm eum tibi legendum dederim, néc ne, hoc ſcio, me ea de re tecum aliquando eſſe locutum. &, cùm Horatium in Corneliano vnà cum Cardinali legerẽ, verſus Arati, qui cum Horatianis congruunt, in commentarijs meis deſcriptos ei oſtendiſſe locum illum de poëtis non laceſſendis, de quo tu ἐν παρέργῳ cap. i. libr. v i i i. ego ſuo loco, nempe ad ſatyr. i. lib. i i. tractaui: cui rei mihi teſtes ſunt Villarius, Laureus, Iannoctius, & ipſe Cardinalis, ſi modò memoria tenent. Hæc igitur de te queror. Non enim mihi videris in his, non dico amici, ſed viri ſimplicis, & aperti, & candidi (qualis ego & eſſe, & haberi volo) officio functus eſſe. Quòd ſi quando Romam proficiſcemur, & ibi te videbo (quod ſpero breui fore, propterea quòd hic pontifex aqua inter cutem, morbo inſanabili, præſertim in ſene, afflictus, & penè confectus, nullis medicamentis excitari, nec recreari poteſt)

ego tibi coràm probabo te amicitiam noſtram læſiſſe. Intereà tamen te amare non deſinā. &, cùm te conuènero, quibus conditionibus voles, mecum in gratiam redibis. Venio nunc ad ea, in quib⁹ abs te paulùm diſſentio. Cap. VII. lib. I. vocem Græcam *ἀμφιθάλασσος*, Latinæ bimari reſpondere putas. nō ita mihi videtur. *διθάλασσον* dicerem potius. Prætereà ſi epithetum *ἀμφιθάλλασσος*, quod ſignificat locū vndique mari cinctum, conuenit Athenis, vt apparet ex verbis Xenophòntis, quæ tu producis, non poteſt Corintho, cùm Athenarum ſitus à Corinthi poſitione plurimum differat. in primo capite lib. II. Petri Victorij ſententiam, & explicationem verborum Ariſtotelis in primo de arte dicendi refellis. non eſt meum tantas inter vos componere lites. Ego ſcripturam, quam ſubſtituis, non probo. denique totum illum locum ſic legendum arbitror. *οὐ γὰρ ὥσπερ ἔνιοι τῶν τεχνολογούντων οἵ οὐ τιθέασιν ἐν τῇ τέχνῃ τὴν ἐπιείκειαν τοῦ λέγοντος*. Quorum verborum hæc ſententia mihi videtur eſſe. Non enim ita ſe res habet, vt quidam magiſtri, qui de arte ſcripſerunt, exiſtimant: qui non ponunt in ijs, quę ſunt artis, probitatem dicentis. Verba autem

illa ὃ γὰρ, ſic eſſe intelligēda, & in eis ſubaudiendum eſſe οὕτως ἔχει, vel quippiam ſimile, vt ſit ὃ γὰρ οὕτως ἔχει, apparet ex illo loco, qui eſt lib. I I I. non longe à principio. ὃ γὰρ ὡς ἔφη βρύσων, οὐδένα αἰσχρολογεῖν. Iam ea, quæ ſequuntur, ὡς ὃ συμβαλλομένην, &c. meminiſti cùm Venetiis eſſemus, & hos libros in manibus haberemus, me tibi dicere libri veteris ſcripturam συμβαλλομένην mihi videri veram, & rectam. Cap. XIII. eiuſdem, vocem ſcriptum pro lapide malim per b. ſcribi, quàm per p. & ita Feſti vet. cod. Cap. X I I I. nomen coæuus, quo tu vteris, non puto Latinum eſſe. nam quòd in orat. in Vatinium vulgò legitur, nunquam puer, aut adoleſcens inter coæuos fueras? mendoſa ſcriptura eſt: legendū enim eſt inter coquos, ſeu cocos, vt noſter Adr. Turnebus docuit. In X V I I. eiuſdem libri apud M. Tull. in orat. pro M. Cælio, cenſes legendum, ne quam vocem eiiciat, non, vt in omnibus libris legitur, ne quam vocem eliciat: hoc vno fretus, quòd putas M. Tullium hęc verba Euripidis exprimere voluiſſe οὐδὲ σκότον φρίαισοι τὸν ξυνεργάτην τέγεμι ἅτ' οἴκων μήποτε φθογγὴν ἀφῇ. Demus ita eſſe, non tamen iccircò vulgata & recepta lectio immutanda eſt. nam hæc verba

non ipſam domum metuet, ne quam vocem eliciat? ſic interpretabor, nónne Clodia metuet domum ipſam, ne ex ea domo vocem eliciat? & ita locutus eſt in orat. pro Deiotaro. in qua quæſtione dolor veram vocẽ elicere poſſit &c. & de orat. dolor & ardor animi etiam ex infantium ingenijs elicere voces, & querelas ſolet. manet igitur eadem ſententia, quam tu vis ex Euripide eſſe expreſſam, ſcriptura manente. Nam quòd addis *ἀφεῖναι φωνὴν*, ſeu *φθογγὴν*. Ciceronem reddidiſſe Latinè eijcere vocem: videtur mihi apud eum vſitatius eſſe mittere vocem. Cap. 11. lib. v. *νύκτα ἄστρων τροφὸν*, noctem ſiderum alumnam Latinè interpretaris: nutricem dixiſſem potius. Nam alumnus & alumna ſine dubio apud probatos Latini ſermonis auctores, eos qui aluntur, ſignificãt. Cap. xv. verbo inſoleſcendi vteris; & rectè, & eo vſus ſum ſemel in ſcholijs meis ad lib. 4. Ariſtotelis ad Nicomach. Nam quòd ſuſpicatus ſum aliquando verbum eſſe inuſitatum, indicauit mihi P. Magnus tuus & meus, eo verbo Salluſtium vſum eſſe in coniurat. Catil. Cap. xix. ita loqueris, Aeneæ autem, propter ſingularem ipſius pietatem, eos potius quàm cuiquam alij, ap-

paruiſſe credibile eſt. Primũ hoc apparuiſſe Aeneę, inſolẽs: deinde Aeneæ eos poti⁹, perturbatũ: ita enim collocãda verba fuerũt, Aeneæ autem potius, propter, &c. eos apparuiſſe, &c. Ca. I. lib. VI. Ariſtot. locum ex principio lib. III. analy. puto mẽdo vacare, hoc modo ὅτι, ἔστι γνωρίζειν τὰ μὲν πρότερον γνωρίζοντα, τῶν δὲ καὶ ἅμα λαμβάνοντα τὴν γνῶσιν. Cap. v. nõ vidẽtur M. Tullius, & Lyſias eodem argumento vſi eſſe. Nam M. Tullius quidem ait, non eſſe veriſimile M. Cęlium conſilium de Clodia veneno necãda eius ſeruis crediturũ fuiſſe: quos ſciret licentius, liberius, familiarius, cum domina viuere. Lyſias autem eum, qui arguebatur ſacram oleam incidiſſe, ſic defendit, non eſſe credibile id facinus admiſiſſe: quia ſeruos ſuos, eius facinoris conſcios: & ita nõ iam ſeruos, ſed dominos per totam vitam habiturus eſſet. eodem capite facinoris nomen, & flagitij confundis: quaſi vtriuſque eadem ſit ſignificatio. Atqui ex lectione Latinorum ſcriptorum intelligere licet, flagitium ſemper locum habere in re turpi, & cum dedecore coniuncta, vt ſi quis libidinoſus, ſi quis ignauus eſſe arguatur: facinus autem, cùm in vitio ponitur, (nam interdum etiam in re laudabili locum habet

bet,& propemodum idem valet, quod fa-
ctum) vel audaciam, vel immanitatē quā-
dam non ſine cruore, aut certè non ſine
manuum miniſterio, atque opera ſignifi-
cat. vno & altero exemplo contentus ero.
M. Tull. orat. 1. in Catil. Quæ libido ab o-
culis? quod facinus à manibus tuis vnquā?
quod flagitium à toto corpore abfuit? idē
pro Milone, cui nihil vnquam nefas fuit,
nec in facinore, nec in libidine. In cap. VI.
ita loqueris, ad ſpernendam pro patria vi-
tam, dixiſſem contemnendam. Nam ſper-
nere dicimur, quod reijcimus, repudiamus
reſpuimus. contemnere, quod nobis vile
eſt, quod parui facimus. Itaque ſic loquun-
tur boni ſcriptores, contemnere vitam,
pecuniam, honores: non ſpernere. Contrà,
ſpernere voluptates, amicitiam improbo-
rum, ſtudium malarum artium. neque ve-
rò me mouet T. Liuius, qui videtur inter-
dum verbo ſpernendi aliter vti. magis me
mouent Ennius, Lucretius, Plautus, Terē-
tius, Cęſar, M. Tullius, Virgilius, Tibullus
Horatius. in Cap. XVIII. Euripidis lo-
ci nihil te adiuuant καλὸν ὄνειδος, κάκιστον
ὄνειδος. dicam enim ita Latinè, ſi quis rem
laudabilem mihi vitio vertat, verbi gratia,
quòd tyrānum interfecerim. vel quòd fal-

ſam religionē oppugnarim, Chriſtianam & veram defenderim: glorioſum probrum mihi obijcis. & contrà ſi quis laudet quempiam, quòd patriam prodiderit, aut quòd alicui virgini generoſę pudicitiam eripueri:: dicam turpes & infames eſſe laudes. Iā de Aulo Gellio alius erit diſputādi locus. hoc tantùm dicam in oratione Metelli, peiorem mihi videri poſitum pro minorē, vt Græci χείρονα dicunt pro ἥττονα. Fugit me admonere te de ijs, quę ſcribis in cap. vltimo, lib. I I I I. vbi mihi videris dormitaſſe. nam verborum illorum Euripidis in Electra, ὥστε χέρας ἐμὰς λιπεῖν βέλος, non eſt ea ſententia, quam tu putas. ita enim interpretaris, quaſi ſignificet Oreſtes, cúm mater flens ipſum oraret, atque obſecraret ne ſe interficeret, telū ex ipſius manu fugiſſe: id eſt, Oreſtem imprudentem matri necem intuliſſe. quo nihil abſurdius fingi aut excogitari poteſt: & miror id tibi vnquam in mentem veniſſe. Nam hæc ſententia eſt potius: ita miſerabiles & flebiles voces mittebat: ita me ſuis precibus commouebat mater, vt telum, quod ego diſtrictum tenebam ad eam necandam, penè mihi è manibus excideret. In Cap. X I. lib. V I I. primùm nō placet, quòd, nouos. Grę-

cè,

cè interpretaris *νέους καινούς* potius dicam. ſic enim Plutarch. in Catone maiore: *εἰωθότων δὲ τῶν ῥωμαίων τοὺς ἀπὸ γένους δόξαν οὐκ ἔχοντας ἀρχομένους δὲ γνωρίζεσθαι δι᾽ αὐτῶν, καινοὺς προσαγορεύειν*, &c. Deinde ſententia, quam elicis ex his verbis Q. Tullij Ciceronis, de petit. conſulat. habes enim ea quæ noui: (deles enim verbum habuerũt) publicanos, totum ferè equeſtrem ordinẽ, &c. mihi probari non poteſt. Quis enim ita loquitur: habes ea, quæ noui, id eſt quæ ſcio? dicerem potius: habes ea, quæ tute ſcis. Poſtremò, nihil puto tollendum: ſed addendum negationem, non: quæ ex ſimilitudine vocis propinquæ, noui, à librariis prætermiſſa eſt. Itaque totus hic locus ſic mihi videtur eſſe legendus. habes enim ea, quæ noui nõ habuerunt &c. in Cap. x v i i i. locum Ciceronis, qui eſt in principio eius libri, qui inſcribitur Lucullus, ſine dubio corruptum, alio modo corrigis, alio Pauli Manutij emendationem probo. Ego iampridem propiùs (niſi fallor) accedens ad ſcripturam corruptam, ſic emendaui; ſed præſtat verba M. Tullij aſcribere. Nam quòd dicunt omnia ſe credere ei, quem iudicent fuiſſe ſapientem: probarem, ſi idipſum rudes & indocti iudicare potuiſſent.

ſtatuere enim, quis ſit ſapiens, vel maximè videtur eſſe ſapientis. ſed vt potuerũt omnibus rebus auditis, cognitis etiam reliquorum ſententijs, iudicauerunt: aut re ſemel audita, ad vnius ſe auctoritatem contulerunt. totum hunc locum à principio ad illa verba, ſed vt potuerunt &c. integrũ & incorruptum eſſe conſtat: ab illis verbis ad extremum, planè mendoſus eſt. Sic igitur eum emendandum cenſeo. ſed vt potuerint; potuerunt omnibus rebus auditis, cognitis etiam reliquorum ſentẽtijs iudicare. Nunc autem re ſemel audita, ad vnius ſe auctoritatẽ contulerunt. ſententia nunc eſt aperta. ſcripturæ autem non magna fit cõmutatio. Vocem potuerint, quam probabile eſt à librario, propter ſimilitudinẽ vocis ſequentis eſſe prætermiſſam, repono: ex his verbis, iudicauerunt aut re; facio iudicare. nunc autem re. Cap. I I. lib. V I I. ita loqueris. ira enim ex opinione iniuriæ naſcitur: quibus verbis illa Ariſtotelis (opinor) interpretaris ὀργὴ ὄρεξιν ἐπὶ φαινομένῃ ἀδικίᾳ: puto planius futurum fuiſſe ſi dixiſſes: ira enim ex opinione iniuriæ acceptæ naſcitur. De illo loco, qui eſt li. II. rhetor. Ariſt. ἡ γὰρ αὐτὴ δύναμις τῶν ἐναντίων, ᾗ ἐναντία, de quo diſputas cap. V I I. diſſentiens

tiens à P. Victorio, nõdum conſtitui vtrius veſtrum ſententia ſit probabilior. Vellem caput XXI. de mulieribus eruditis & libidinoſis, admiſcere tibi non veniſſet in mẽtem. Videris ignorare quàm ſit iracundum mulierum genus. Atqui debebat te miſerabilis Orphei caſus erudire, & à mulieribus irritãdis deterrere. Sed plura quàm volueram: vt minus ſit mirum, ſi me dicam ſcribendo, te ſuſpicer legendo defeſſum eſſe. Hæc tantùm addam. ſcis libros de moribus ad Nicomachum Lutetiæ paulò accuratiùs & emendatiùs, quàm Venetijs, excuſos eſſe. Veruntamen non vſquequaque vacant erratis aut librariorum, aut meis ego omnes relegi, & perpurgaui mea quidem ſententia. Vbi primùm Lugduni fuero, curabo vt de integro excudãtur. de Græca voce φορτικὸς, placet, quòd mihi coràm dixiſti in Corneliano. φορτικὸν vno nomine Latino non ſatis cõmodè exprimi poſſe. pluribus poſſe, vt eum vel ineptum, vel ſtolidum, vel ridiculum, vel tardũ, & pinguem, & ſimilibus interpretemur. nomen διαφορὰ, quod eſt pag. 111. malè interpretatus ſum, diſſimilitudo. diſſenſionem potius vertere debui, Iam de verbo ποιεῖζειν, quod eſt lib. IIII. in editione Pariſiẽſi præ-

bere & largiri repoſitum eſt:& Græco *ϖροΐ ξασθαι* quod eſt lib.x. curaui vt Latinum reſponderet ſibi comparare,ſeu parare. Vale & me,vt ſoles,ama.& facito, vt intelligam te libera amicorum oratione offendi non ſolere. Lucæ. Kal. Sextilibus cIↄ.Iↄ.L I X.

M. A. Muretus ad Clariſsimum virum Ianum Brinonem in ſenatu Pariſienſi conſiliarium Regium.

SÆpenumero ſum admiratus, IANE BRINO, vir illuſtriſſime, quo tandem fato contigerit, vt cùm è Gallia noſtra penè innumerabiles extiterint in omni genere ſcientiæ præſtantes viri, poëtarum tamẽ magna ſemper à nobis fuerit inopia laboratum. Idque eò admirabilius videri poteſt, quòd quæ ad poëtas efficiendos plurimum valere dicuntur, ingenii bonitas, linguarum peritia, & multarũ magnarúmque rerum comprehenſa cognitio, ea in perplurimis noſtrorum hominum, nihilo cæteris nationibus, ne quid arrogãtius dicam, inferiora reperiri queunt. Neque verò illud dicere poſſumus, grauiorem artiũ ſcientiæ addictos homines Gallos operã ponere in his leuioris operæ ſtudiis noluiſ-

ſe:

ſe: eorum enim qui ad verſus faciendos animum adiecerunt, quædam propè infinita vis facilè non tam voluntatem eis, quàm euentum defuiſſe declarat. Quòd ſi id nobis Græco tãtùm, aut Latino ſermone cõtigiſſet, fortè cauſſam illius paucitatis in earum linguarum peregrinitatem reiicere liceret: nunc verò cùm idem in eo contigerit, quem à nutricibus, vnà cum ipſo, vt dicitur, lacte combibimus, aliam omnino cauſſam neceſſariò cogimur ſuſpicari. Scio hoc quod dicturus ſum, quantopere nonnullorum animos mordeat: ſed tamen & veriſſimum eſt, & mehercule iam notius, quàm vt negari amplius poſſit. Qui ſe vernaculo noſtro ſermone poëtas perhiberi volebãt, perdiu ea ſcripſere, quæ delectare modò ocioſas mulierculas, non etiam eruditorum hominum ſtudia tenere poſſent. Primus, vt arbitror, PETRVS RONSARDVS cùm ſe eruditiſſimo viro IOANNI AVRATO in diſciplinã dediſſet, eóque duce, veterum vtriuſque linguæ poëtarum ſcripta, multa & diligenti lectione triuiſſet, trãſmarinis illis opibus ſua ſcripta exornare aggreſſus eſt: cuius poſtea exemplum inſecuti, I. ANT. BAIFIVS, I. BELLAIVS, aliíque permulti, breui

tempore tantos fecere progreſſus, vt res vel ad ſummum perueniſſe iam, vel certè haud ita multo pòſt peruentura eſſe videatur. Idem in lingua Latina multum abeſt, vt dicere liceat: in qua cùm ex veteribus ab Auſonio, ex recentioribus à Salmonio, & aliis duobus fortè, aut ſummùm tribus diſceſſeris: vt Græci prouerbio dicunt eſſe multos quidem qui boues ſtimulent, ſed raros aratores: ita dicas, licebit, multos quidem eſſe qui verſus faciant, ſed raros, planéque ἐναριθμήτους poëtas. De iis loquor, qui ſcripta ſua in publicum edidere: ſcio enim & alios eſſe ſat multos, & imprimis eum quem ſupra nominaui, Ioannem Auratum, qui vel ſolus, vel præcipuè, ſi quando ſua emiſerit, effecturus eſt, ne vlterius ſuos Iouianos, Actios, Molſas, Flaminios Italiæ inuideat Gallia. Cùm igitur, vt ad inſtitutum redeam, in tanta ingeniorum bonitate, in tanto doctiſſimorum virorum prouentu, in tanta adoleſcentum poëtices ſtudioſorum æmulatione, quaſique riualitate, tantam poëtarum raritatem animaduerto: nihil ferè aliud comminiſci poſſum niſi eſſe quandam, vt cæterarum rerum, ita ſtudiorum quoque tempeſtiuitatem: ſtatiſque quodammodo cœli conuerſionibus

fieri

fieri, vt modò in hac, modò in illa facultate certi homines præſtantes & egregii exiſtant. Quod ſi eſt, bona ſpes me tenet fore, vt ſub HENRICO rege Chriſtianiſſimo, tanquam olim ſub Auguſto, poëtarum ingenia excitentur. At de his quidem ſatis: nunc tempus eſt, vt de meipſo tibi dicere aliquid incipiam: qui cùm etiam puerulus, & à teneris, vt Græci dicunt, vnguiculis admirabili quodam poëtices amore flagraſſem, multa etiam penè in omni genere carminis, veteres, quoad per vires licuerat, imitatus conſcripſeram: quorum, paulò grandior factus, nonnulla tardipedi, vt ait Catullus, deo dicaram; nonnulla proieceram, nonnulla etiam, vt fit, penes me retinueram. Ea igitur cùm haud ita pridē amicis quibuſdam meis, quib⁹ ego plurimum in hoc genere tribuo, communicaſſem, nō eis ſolùm illi calculum ſuum adiecere, verumetiam auctores mihi fuerunt, vt edenda eorum ſaltem aliqua parte iudicia hominum experirer. Aſſenſus ſum, vt quod verum eſt, ingenuè fatear, non admodum grauatè: tum quòd non magni periculi videretur: tum quòd facilè confiderem fore me, ſi nòn, vt ait Horatius, extremum primorum, at certè extremis vſque priorem.

Subſeciuis igitur horis, aliquod mihi tempuſculum à philoſophiæ, & iuris ciuilis prælectionibus, quibus aſſiduè occupatus diſtineor, ad hęc exſcribenda, & in ordinē vtcunque redigenda ſumpſi: nam perpolire & limare accuratius neque magnopere libebat, neque per eas, quas modò dixi, occupationes licebat. Feci autem, quod locupletes interdum œnopolæ ſolent qui multa hoſpitibns vini genera guſtanda proponunt, electuris quod ad palatum maximè fecerit: nam ita & nos multa poëmation genera propoſuimus, vt ſi fortè in aliquo lectorib⁹ feciſſemus ſatis, in eo plura porrò emittere pergeremus. Hoc autem quicquid erat libelli, Iuuenilia inſcribere placuit, vt ſi quid fortè interdum laſciuius dictum eſſet, ipſa nos apud ſeueriores excuſaret inſcriptio. Ac initio quidem decreuerā eum nemini cuiquam dicare, vt qui tanti eſſe non ducerem: quod conſilium cur poſtea mutauerim, intelliges. Cùm iam in eo excudēdo librarii eſſent, fortè die quodam accidit, vt ex ſtudiorum laborib⁹ peiuſculè me haberem. Venêre ad me, pro noſtra familiaritate Comes Alſinous, I. Antonius Baïſius, Stephanus Iodellus, vt alloquio ſuo & partem meæ moleſtiæ alleuarent

leuarent,& paulatim eximerent diem. Ibi multis vltrò citróque habitis verbis,tandẽ de his etiam nugis iniectus eſt ſermo: primúſque Baïfius rogauit ex me, eccuinam librum meum dicare meditarer: Tum ego, id quod res erat, nemini. Ibi tum Comes valde hortari me cœpit,tibi vt eum inſcriberem:pergratum id tibi, pérque acceptũ fore:ſimúlque nactus dicendi campũ,cùm alia multa de te honorificentiſſimè cõmemorare cœpit,tum ea quæ tu in Ludouicũ Querculum hominẽ optimum,& doctiſſimum,inſtitutorem olim tuum: benigniſſimè &feciſti,& quotidie facis:quæ etſi omnes optimè noueramus,nemo tamen erat, qui non in Comitis de tua laude dicentis oratione libenter acquieſceret. Quid quæris? Cum aliquãdiu reluctatus fuiſſem, veritus ne parum decorum videretur iſta tã puſilla in tuo tanti viri nomine apparere, ad extremum tamen me perſuaderi paſſus ſum:quod eò dico,vt ſi fortè mea tibi parum probabitur audacia, Comes ipſe mecum culpæ ſuſtineat partem. Valde autẽ te oro,vir illuſtriſſime,vt dum tibi alia grauiora molimur:hoc, qualecunque tandem eſt, æqui boníque conſulas. Tibi quidem integrum eſt,huius veluti glebæ apprehẽ-

ſione totum agrum, vti optim⁹, maximũ ſ-que eſt, ſi collibuerit, vendicare. Quod vt facias, vehementer te etiã atque etiam rogo. Vale. Lutetiæ. 8. Calen. Decemb. 1552.

M. Antonius Muretus Scipioni Gonzagæ Marchioni, & S. R. I. Principi. S. P. D.

OFfero tibi meum Scipio Gonzaga ſi aut ex ſua, aut ex tua dignitate ſpectetur, perexiguum: ſi ex viribus meis, mediocre: ſi ex animo, magnum. Orationes quædam ſunt, variis à me temporibus habitæ: quas, cum partim diſperſæ atque errantes vagarentur, partim apud me in aduerſariis neglectæ iacerent: nunc in vnum corpus collectas vt edi ac diuulgari paterer, amici quidam, multo mei, hac quidem in parte, quàm par eſt, & quàm ego ipſe vellem, ſtudioſiores, impulerunt. Satis ſupérque fuerat, earũ partim in ſcholaſtico puluere, atque in illis eruditorum hominũ vmbraculis, non tantum recto, vt dicitur, ſtetiſſe talo ſed plauſum etiam & ἐπισημασίας tuliſſe, partim in illo cõſeſſu, quo nullum habet terrarum orbis auguſtiorem, & ſilentio auditas, & principum virorum teſtimonio

ſtimonio commendatas fuiſſe. Superarat fortuna ſpes meas: quam ſæpius ſine cauſa experiri, negant eſſe ſapiẽtis. Neque neſcius erã moroſiora ac difficiliora eſſe legentium, quàm audientium, iudicia: ſæpéque accidere, vt quæ audiẽtes mirabamur, eadem legentes rideamus. Sed quid facerẽ? Cupiẽti mihi iam latere, amici obſtiterũt: quibus parendum fuit: ne, ſi in negando pertinax eſſem, ſuperbiæ denique id poti⁹, quàm moleſtię, adſcriberetur. Cùm igitur inibi eſſet, vt ederentur, libẽter arripui occaſionem diu optatam inſcribendi tibi, vt nunc fit, aliquid depromptum ex ſtudiis meis, eadémque opera teſtificandi & iudicij de te, & mirifici cuiuſdam amoris erga te mei. Verè enim hoc dicam SCIPIO: cùm omnes qui te norunt, ita te ament, vt eorum nemo ſit, qui ſe ſtudio atque obſeruantia tui cedere cuiquam putet, ego tamẽ mihi videor diuturna & accurata notatione & obſeruatione earũ rerũ, quæ te vſq; eo omnibus amabilem reddunt, ſingulare quiddam præter cæteros κἰπον θἰναι. Quid eſt enim, quod ad conciliendas ac deuinciendas hominum voluntates valeat, quin id in te omni ex parte perfectum reperiatur? Nihil hic de ſumma atque antiquiſſi-

ma gentis veſtræ aut nobilitate, aut potẽtia dicam: nihil de toto illo genere bonorum, quod ita tuum eſt, vt & aliorũ ſit. Alios & iſta amatores habent. Ego in te nihil amo, niſi teipſum. Itaque vt ille rex potentiſſimus ex amicis ſuis alium dicebat eſſe φιλοβασιλέα, alium φιλαλέξανδρον: ita tu, alios eſſe, qui & alia in te ament, me planè & ex animo φιλοσωπίωνα eſſe tibi pſuadeas licet. Ac teipſum cum dico, ne illam quidem dico & oris & totius corporis dignitatem, quæ tibi omnium elegantiorum hominum animos primo ſtatim aſpectu cõciliat, conſtituem, quoad eius fieri poteſt, ante eorum oculos & ingenium & mores tuos. Quãuis enim verè dixit neſcio quis poëtarum, gratiorem in pulchro corpore eſſe virtutem: ea tamen eſt in te veriorum ac ſolidorum bonorum copia, quæ te his ſecundæ, vt ita dixerim, notæ bonis cenſeri non ſinat, Ingenium excellens, & in quo, tanquam in pingui ac feraci ſolo, omnes te dignæ artes ita facilè cõprehendãt, vt eas non ab altis accipere, ſed ex te ipſe parere ac proferre videaris. Quo tu vſus ita vt decuit, à Græcæ Latinæque linguæ intelligẽtia, à poëtarum, hiſtoricorum, rhetorum cognitione ad philoſophiam, & ad eam,

quam

quam tibi ab ineunte ætate propoſueras, quæque tibi nunc in amoribus ac deliciis eſt, theologiam in celeritate properaſti, vt quæ honoris ac dignitatis præmia cõfecto ſtudiorũ curriculo tribui ac decerni ſolent, ea tu tunc meritiſſimo conſecutus ſis, cum adhuc maturum videri poterat, de animo ad illas grauiores diſciplinas adiiciẽdo cogitare. Atque vt iſtius generis ingenium nunquam ita eſſe otioſum poteſt, vt omnino nihil agat: quod tibi dabatur à ſeuerioribus ſtudiis exceptis ac ſubſeciui temporis, eo tu quaſi ludibundus, eas artes, in quibus ingeniis adoleſcentes excitari olim Athenis ſolebant, ita omnes didiciſti, itaque te in eis exercuiſti, vt in earum qualibet cum ſummis artificibus comparari facilè poſſis. Quid nũc ego mores illos tuos planè vt poëtæ loquuntur, aureos laudem? Potuítne quiſquam vnquam bon⁹ tecum biduum viuere, tuæque ſuauitatis partem aliquam guſtare, quin, vt ſibi totã ætatem tecũ exigere liceret, optauerit? Ita tu quod rariſſimi exempli eſt ſummam integritatẽ vitæ cũ ſumma comitate ac facilitate, copulaſti. Sed nolo nũc plura de te: ne ipſi tibi moleſtus ſim. Equidem tum de ſcriptis meis nõ magnopere laborare ſoleam, ta-

men hunc librum præcipuè cupio & cele- brari nunc,& ad poſteros peruenire: vt exſtet aliquod teſtimoniũ iudicii de ſingularibus tuis virtutibus mei. In quo ne fortè quis eorum,qui te nõ norunt, (nam de iis, quibus tu not⁹ es,nihil tale metuo,)aſſentationi & conſuetudini datum eſſe aliquid ſuſpicetur. Deum immortalem teſtor, nihil vnquam à me verius,magíſque ex animi mei ſententia ſcriptum eſſe, quàm ea, quæ de tuis laudib⁹ ſcripſi. A te peto, vt me ames,quo me ipſi mihi officias cariorem Vale. Romæ Kal. Mai. 1571.

M. Ant. Muretus Hippolito Eſtenſi, Cardinali, ac principi illuſtriſsimo, ſingulari omnium honeſtarum artium patrono. S. D.

MAgnopere peccare mihi viderer HIPPOLYTE, Cardinalis illuſtriſſime. ſi ocium illud, quod & plurimum & honeſtiſſimum tua mihi benignitate conceditur, alia vlla re, quàm litterarum, & earum artium, quibus te inſigniter oblectari video, aſſidua tractatione conſumerem. nã cum ea te præcipue cauſſa commouerit, vt

aditum

aditum mihi ad familiaritatem tuam vltro patefaciendum putaris, quòd ad te de mea erga illas incredibili voluntate, meis fortaſſe ſcriptis, & amicis de me ſummorum hominum nō citata ſermonibus fama peruenerat: qui me ferendum putet, niſi quam de me opinionem incognito adhuc & abſente conceperas, eam præſens ipſo omni ſtudio, omníque corporis & animi contẽtione confirmem? Ita igitur facio, quarum artium ſingularis pulchritudo mentem meam, vſque à puero, admirabili quodam ſui deſiderio incenderat, eas nunc demum beneficio tuo alijs omnibus curis ſolutus, magno & alacri animo perſequor: neque ſane committo, vt qui me tibi tanquam hominem & non ineruditum, & eruditionis ac doctrinæ ſitientiſſimum commendarũt, cum in illo priore indulſerint amori erga me ſuo, in hoc etiam altera eidem obſecuti, ac non potius id quod exploratum haberent verè apud te teſtati eſſe videantur. quod cum facio, primum, quod nihil dulcius eſt, nihil optabilius, naturæ meæ propenſionem ſequor. Vere enim hoc tibi affirmare poſſum, ſi quis mihi deus omnes opes, omnia commoda, omnem potentiã proponat, ea lege ac conditione, vt ſemel

deponam hæc ſtudia, & has qualeſcunque litterulas, altrices adoleſcentiæ meæ, fidiſſimas meorum omnium temporum comites deſeram: nunquam id faciam: neque quicquam tanti eſſe ducam, quod mereri velim, vt à ſuauiſſimo earum amplexu & contubernio abducar. quare, vt dixi, cum in eas toto pectore incumbo, naturæ meæ pareo: idque facio, quod ſi facere vetarer, vitalem mihi eſſe vitam non putarem. deinde, quo mihi nihil prius ac potius neque eſt, neque eſſe debet, voluntati tuę morem gero. ſæpe enim mihi, quæ tua eſt humanitas, affirmaſti, nullum tibi à me genus obſequij præſtari poſſe iucundius, quàm, ſi omne tempus arbitratu meo ponerem in litteris, & aliquid aſſiduè, quantum in me eſſet, excuderem, quod & mihi ornamēto, & alijs vſui, & tibi oblectationi eſſe poſſet. neque verò me, vt id faciam oratione tantùm cohortaris, verùm etiã exēplo. Quid enim facere nos oportet, quicũque tuis opibus non aliam ob cauſam fouemur, ſuſtentamur, ornamur, quàm vt in his ſtudijs omni cogitatione defixa, dies noctéſque exerceamur: cum te, te inquam ipſum, quē moderatrix humanarum rerum prouidentia in altiſſimo dignitatis gradu collocatũ,
perpe-

perpetua grauiſſimorum munerum procuratione diſtrictum teneri voluit, inter tot, tam graues, tam multiplices curas, tantopere ad tranquillitatem & ſalutem publicã pertinentes, quotidie tamen aliquid temporis harum artium tractationi tribuere videamus? Nimirum & vnuſquiſque noſtrum naturæ ſuæ, vt ait poëta quidem: ſemina ſequitur: & quibuſcum diu ac familiariter vixit, eorum mores & inſtitutà viuendi facile ac libenter imitatur. Te verò cum omnis honeſtatis ac dignitatis amantiſſimum, omnium, quæ ad comparandam veram ac ſolidam gloriam pertinent, appetentiſſimum natura genuiſſet: conſecuta deinde FRANCISCI VALESII, Galliàrum Regis optimi, ac maximi, intima illa, qua tot annos vſus es, conſuetudo magis etiam incitauit ad eaſdem illas vias, in quas ipſa te natura deduxerat, animoſius & conſtantius perſequendas. Ille homines eruditos ad ſe ex omnibus orbis terrarum partibus, ampliſſima eorum induſtriæ prę-mia ſtatuens, conuocabat. idem illud exẽplum iamdudum Italia te, maxima cũ tua laude, renouantem intuetur. Ad regalem illius menſam non vllum acroama aut libẽtius, aut ſæpius, quàm vox alicuius eru-

diti hominis, audiebatur. epulæ quoque tuæ quotidie nulla re magis, quàm grauiſſimis, & honeſtiſſimis virorum doctrina præſtantium ſermonibus, condiuntur. Ille igitur ad cæteras ſuas laudes eam addidit, qua nulla, meo quidem iudicio, maior eſt, nulla præclarior, vt communi omnium populorum conſenſu literarum pater nominaretur. Idem illud cognomẽ tibi apud poſteros tributum iri, cuiuis perfacile eſt, qui tuam erga homines liberaliũ artium ſcientia excultos munificam, planéque regiam voluntatem cognouerit, augurari. Nos interea, qui per te hoc ocio fruimur, omnem induſtriam eò conferre oportet, vt quacunque ratione poſſumus, heroicas ac prope diuinas virtutes tuas omni genere monimentorũ ad immortalem poſteritatis memoriã conſecremus. non quòd rerũ à te geſtarum gloria noſtro teſtimonio indigeat: ſed quòd alia nobis via nulla relinquitur, qua ingrati animi notã effugere valeamus. Igitur alij quidẽ, quibus maior doctrinæ copia eſt, alia tibi grauiora, & maioris operæ inſcribent. ego autem, qui nondũ eam facultatẽ conſecutus ſum vt à me quicquam egregiũ expectari debeat, ſcribam tamen, qualiacunque potero, &

hiſce

hiſce paruis ac tenuibus munuſculis teſtabor hominibus magnitudinem obſeruãtiæ erga te meæ. Illud quidem certe omni ope conabor efficere, vt ſcripta mea, ſi nullam aliam ob cauſam in precio ſint, vtilitate tamen tueantur ipſa ſe, & hoc ſaltem nomine à ſtudioſis hominibus non negligantur. quod & alias feci, & in ijs maximè, quos nuper apud te ſcripſi, Variarum lectionum libris. Primùm enim cũ in præſtantiſſimis vtriuſque linguæ ſcriptoribus multa, vel temporum vel hominũ culpa, corruptè & deprauatè legantur: eàque res vel nõ animaduerſa errorem, vel animaduerſa moleſtiam, & difficultatem legentibus obiicere ſoleat: eius incommodi vt pars aliqua per me tolleretur, operam dedi. deinde, cum & illud conſtet, veteres latinos ſummo ſtudio eſſe in Græcorum imitatione verſatos, & eorum locorum quos illi ab his acceptos in vſum ſuum tranſtulerunt, diligens, & accurata notatio magnam his temporibus vtilitatem habere credatur: huius quoque generis inſpergenda nonnulla eſſe duxi. narratiunculas etiã aliquot admiſcui quarũdam hiſtoriarũ, quæ neque contritæ ac cõmunes eſſent, neque fore iniucundæ cognitu viderẽtur.

Vbi autem ita res tulit, vt ab ijs, qui vel ætate noſtra, vel etiam ſuperioribus temporibus in hoc ipſo curriculo induſtriã ſuam exercuerant, diſſentirem: feci id, vt & natura & conſuetudo mea fert, libere: ſed ea tamen moderatione ſeruata, vt, imminutam eſſe à me dignitatem ſuam, nemo conqueri poſſit, niſi qui tantum ſibi tribuat, vt errare ſe poſſe non putet, quod neque cuiquã vnquam contigit, & maius eſt, quàm vt cõuenire in humanam fragilitatem queat. ſed nos quid fecerimus, ipſa res indicabit. teſtatum quidem omnibus eſſe volumus, nihil aliud nobis propoſitum fuiſſe, quàm vt ſine cuiuſquam offenſione, auxilij aliquid attuliſſe huic ſtudiorũ generi diceremur. A te autem HIPPOLYTE Principum decus, etiam atque etiam petimus, vt qua nos humanitate te in familiariũ tuorũ numerum recipere dignatus es, eadem hos labores noſtros, qui nulla te magis, quàm tui nominis auctoritate, nixi, in publicum prodeunt, tibi accipiendos putes: neque tã, quid amplitudini tuæ conueniat, quàm quid præſtari à nobis poſſit, expendas. nã & hęc ipſa nouis in dies acceſſionibus creſcent, & alia ſuo tempore, quæ tibi gratiora fore confidimus, proferentur.

M.

M. Antonius Muretus Iacobo Suriano, Patricio Veneto, S. D.

QVidnam eſſe cauſæ dicemus, Iacobe Suriane, cur, cum omnium voluntas, ipſa duce atque impellente natura, dirigatur ad bonum, tam pauci tamen ex hominibus ea, quæ vere bona ſunt, conſequãtur: tibi quidem in primis facile id ad explicãdum fuerit, qui cum cæterarum artiũ ſcientia perpolitus es, tum in philoſophiæ ſtudio ita excellis, vt cætera quidem tibi cõmunia eum multis, huius tua quodammodo propria poſſeſſio videatur, ſed tamen, quia nos quoque neque vnquam alieni à philoſophia fuimus, & nunc maxime, vel voluntate noſtra, rebus ita ferentibus philoſophamur, quæ nobis hac de re cogitantibus veniebant in mẽtem, ea breuiter hoc loco, & ſtrictim aperiemus. Quoniam igitur, quæ naturalia sũt, in toto genere ſunt, & hęc boni appetitio naturalis eſt: fit, nullius vt hominis ita ſit deprauatus animus, quin vel ad id, quod bonum eſt, vel ad id quod ipſe bonum putat, conſilia, cogitationéſque omnes dirigat ſuas. quibus autẽ impediuntur plerique à magnarum preclararúmque rerũ adoptione, ea quatuor

ferè eſſe animaduerto. Alij enim iudicio labũtur, ídque dupliciter, vt aut prauis opinionibus impediti, prætermiſſis rebus verè bonis, inanes quaſdã, minúſque fructuoſas amplexentur, aut, cum rectè ſtatuerint, quid ſequi debeant, aliis tamen id, quàm quibus oportet, quærere inſiſtant viis: alij cõſtantiam, perſeuerantiámque non retinent, ſed cum & ad ea, quæ bona ſunt, initio animum adiecerint, & eas ingreſſi ſint vias, quæ, quo ipſi tendunt, ferant, poſtea tamen vel difficultate rerum deterriti, vel ſua leuitate diſtracti, conuertuntur aliò, & vel ignauiæ ſeſe dant, vel certè vrgere id, quod principio ſibi propoſuerant, deſinũt: alij denique, cum & verè iudicent, & ſatis conſtãter in eo quod inſtituere, pertẽdant, virium tamẽ imbecillitate & inopia, conſequi ea quæ volunt, non queunt. Harum omniũ rerũ grauiora exẽpla ex omnibus vitæ partibus ſumere eſt: ſed ego nũc illud exponã, quod me hoc tẽpore in hanc cogitationem deduxit, vt in eo explicãdo, ad id quod mihi propriè propoſitũ eſt, mea paulatim delabatur oratio. cũ enim mecũ Suriane in animo reputo, qui fiat, vt hac tẽpeſtate tã pauci ſint, in quorũ aut ſermone, aut ſcriptis liceat imaginẽ aliquã antiquæ
illius

illius Romanæ orationis agnoſcere, reperio, huic quóq; malo eas, quas ante dixi, ſubeſſe cauſas. Primum ita agreſti aliquos ingenio reperias, vt quæ in faciẽda, excolẽdáque oratione ſumitur, omnẽ perire operam putent: alióſque quãuis in ornatè loquendi ratione ſtudium ponendũ non negent, non in latina id tamen, græcáve lingua, ſed in ea, qua vulgò vtimur, fieri cenſeant oportere. atque illos quidem merito poſſit quilibet, vt amantes aliquos, ſtupidóſque contemnere horum vero peruerſa opinio ita iam per omnẽ Italiam peruagata, quaſiq; proſeminata eſt, vt innumeros pręclaro iuuenes ingenio, à ſtudio earũ linguarum, quibus omnis humanitas, omnis doctrina elegans, omnis antiquitatis memoria continetur, abduxerit: periculúmq; porrò ſit, ne, ſi hoc malũ radices agat, quę ſemper propria Italorũ laus fuit. vt ſoli ex omnibus latina oratione peritè ac ſcienter vterentur, eam qui ſuſtineant, non multi in Italia reperiantur: alterum vitium eſt, quo trãſalpini multi (fatendum enim eſt) laboramus: quod, cum in latini ſermonis elegantia excellere pulchrũ putemus, non tamẽ fere callemus, quoad eã itinere contẽdere oporteat: itaq; de noſtris pauciores

hactenus, quàm vellem, extiterent, qui ſe ad Ciceronis, Terentij, Cæſaris imitationem componerent peruolutabant ſine vllo diſcrimine omnes omnium ſcriptorum libros, &ex omnium commiſtione varium quoddam & multiforme pro ſuo quiſque ingenio dicendi genus effingebant, pulchríque ſibi ac beati videbantur, ſi eam cõſequerentur facultatem, vt de rebus propoſitis verba fundere, animique ſui ſenſus qualicũque orationis genere ad alios perferre poſſent. ergo in Gallia, Germaniáque, qui celeriter & expeditè latinè loquerentur, (ſi hoc modo eſt latine loqui) innumeros. qui bene ac diſertè, vix vnum aut alterum, haud ita pridem reperire potuiſſes. Nã illud quoque, quod tertio loco poſui, noſtrum non paucis impedimento eſt. Semel rectam viam ingreſſi, vel relangueſcimus, vel, mutabilitate quadam, minimis plerunque momentis ab ea deducimur. Indecorum eſſet, de meipſo prædicare me: ſed hoc ſine vlla vanitate affirmare poſſum. quo minus aliquam loquendi ſcribẽdíque facultatem conſequerer, horum mihi trium nihil obſtitiſſe. ſemper latini ſermonis puritatem magnum quoddam & præclarum bonum eſſe duxi: ſemper eam

ex

ex illorũ,quos ſupra nominaui,eíſque fini timorum ſcriptis,velut è puriſſimis fontibus,hauriendam ſum ratus: neque me vel debilitauit laboris metus, vel à ſuſcepto ſtudio ingenij mobilitas auocauit. Vires mihi,ne id,ad quod toto pectore ferebar, conſequerer,defuerunt, quod potui, in eo me continui,vt illorum,qui hac laude floruerant,libros diligenter euoluerem: quo virtutes illorum aliqua ex parte, ſi minus exprimere imitando,at certè intelligendo conſequi, & commonſtrare olim adoleſcentibus meliori natis ingenio poſſem,ac quoniam Ciceronem ſummo tot ætatum conſenſu primas ſine controuerſia tenere, ab ipſo autem Cicerone Terentium optimum latinitatis auctorem nominari videbam,incredibile ſtudium in eius Poëtæ fabulis collocaui, vt etiam, crebro repetita lectione,ad verbum ediſcerem. nuper igitur,cum eas Paulus Manutius,vir eruditiſſimus,& in hac latinè loquendi facultate omnium iudicio ſingularis, denuo typis ſuis deſcriptas emittere pararet, egit mecum pro familiaritate noſtra, vt eas accuratè recognoſcerem, adhibitíſque veteribus libris,iudicióque etiam meo,perpurgarem ab iis erratis mendis, quibus illas,

aliorum quorundam negligentia, inſcitia, audacia contaminaſſet, feci libens: tum vt obtemperarem auctoritati hominis de me optimè meriti? tum vt aliquid nauarem aſſiduè, quo ſtudioſorum labor minueretur: non auderem hoc dicere, niſi mihi conſcius eſſem, vera me loqui. tantùm effeci, quantùm ſi alius poſt me quiſpiam effecerit, erit, cur ſibi ſeriò, qui huius Poëtæ ſtudioſi ſunt, gratulentur. Hunc meum laborē ad te potiſſimum, Iacobe Suriane, mitto, tibíque dedico, tum eximia tua præſtātique virtute ac eruditione commotus: tū, quoniam, ex quo in hac vrbe veterū ſcripta interpretari, cōſtituto mihi publicè ſtipendio, cœpi, tota me veſtra domus admirabili quodam amoris ardore complexa eſt. erit autem hoc munus tibi fortaſſe minus vtile, qui iamdudum in philoſophiæ penetralia receptus, non ita ſæpè demittis animum ad hac leuioris operæ ſtudia: Hermolao quidem, & Georgio, fratribus tuis, modeſtiſſimis, ſtudioſiſſimíſque adoleſcētibus, non inutile fore confido. Vale.

M.

M. Ant. Muretus Io. Auanſonio Regij auguſtioris Cōſilij præſidi, inuictiſsimi Galliarum regis Henrici ad ſummum Pontificem legato, viro clariſsimo. S. D.

INgrati animi vitio, Io. Auanſoni, vir clariſſime, nullum equidem vnquam vitium tetrius, aut naturę hominis alienius duxi. ingratos autem ſemper exiſtimaui nō eos modò, qui, prouocati beneficiis, gratiam referre ſtuderent nullam. quod mihi ferarum ſuperare immanitatem videtur: ſed omnes omnino, qui, quibus in viris aliquam virtutis exuperantiam animaduertiſſent, non eos omni obſeruantia colere, omnibus modis ornare, omni denique genere prædicationis celeberrimos efficere contenderent. Diuinum enim bonum, vt à Platone, eiúſque diſcipulo Ariſtotele accepimus, honor eſt: Deoque iccirco primū eum tribuere oportet ipſi, tū iis, in quibus aliqua diuinæ naturæ expreſſa elucet ſimilitudo. neque verò dubitādū eſt, quin deus grauiter, vt ita dixerim, ferat, cū aut ſui diſſimiles honore affici aut ſimilibus honorem meritum non deferri videt: qua in re par culpa eſt adulatorū & eorum

qui cognitam alienę virtutis præſtantiã ſilentio tegunt. cùm autem omnis virt⁹ laudabiles, amabiléſque facit eos, in quib⁹ eſt. tũ ea præcipuè, quæ foras patet, proiectáque eſt, totãque ſe ad alienas vtilitates porrigit: quo in genere iuſtitiam imprimis, liberalitatémque ac beneficentiam ponim⁹. quibus tu cùm ſemper ita florueris, vt omnem gratiam atque auctoritatem tuã nunquã non libentiſſimè contuleris ad iuuandos eos quibus in ipſis cauſa eſſet aliqua, cur iuuari deberent: mirum non eſt, ſiita te literarum ſtudiis exculti hominescertatim ornant, vt in te laudando propriã ſibi quãdam ipſi gloriam quęrere videantur. Equidem, de me vt dicam, cùm in Gallia eſſem, cognoſcerémque multorum & literis, & ſermonibus, vnum eſſe tein aula principis, qui pręter cęteros ingenioſiſſimorum, mihíque coniunctiſſimorum hominum cauſam ſuſciperes, qui eos omni ſtudio complecterere, qui eis ad regis ipſius notitiam tua commẽdatione iter aperires, amabam te iam tum incredibiliter: quíque nullum à te vnquam beneficium accepiſſem, eorũ tamen quos amabam, & virtutis tuæ cauſa, vel plurimum tibi debere me arbitrabar. itaque cùm Romam iens, in illam nobiliſſimam

biliſſimam legationem, qua nunc fungeris per hanc vrbem iter feciſſes: vbi primũ te hic eſſe audiui, nihil antiquius habui, quàm vt te viderem, manúmque illam deoſcularer, quàm in adiuuãdis eruditis hominibus ſemper occupatam, nunquam defatigatam fuiſſe intelligebam: ibi quàm tu me humaniter exceperis, quàm comiter allocutus fueris, quàm prolixè detuleris, quicquid à te mea cauſa fieri poſſet, & memini, AVANSONI, decus & præſidium literarũ, & eò magis memini, quòd recordatio ſiue ruſticitatis, ſiue ſuperbię, quam in aliis quibuſdam expertus fueram, humanitatis illius tuæ memoriam mihi iucundiorem facit. Eſt verò ad conciliandos hominum animos potentiſſima res, comitas, affabilitáſque ſermonis. nunquam, mihi crede, poſtea deſij cogitare, quæ mihi potiſſimum eſſet ineunda ratio teſtificandi aliqua in parte ſcriptorum meorum, quàm magnificè ſentirem de maximis tuis, præclariſſimiſque virtutibus. etſi ſatis exploratum habebam, minimè omnium te, aut meo aut cuiuſquam teſtimonio indigere, nam, quæ, per Deum immortalem, pars ætatis tuę non ea fuit claritate ac ſplendore, vt illuſtrare potius illa alios, quàm aliena

luce illuſtrari debere videatur? Qui primũ natus es ea ex gente, qua nulla inter Allobrogas, ne quid amplius dicam, vel antiquior, vel omni genere ornamẽtorum cumulatior reperiri poteſt. Quis enim neſcit è Sammarcellorum familia, tanquam è fertiliſſimo quodam præſtantium hominum ſeminario, innumerabiles viros belli pacíſque artibus clariſſimos extitiſſe? Teſtis Rauenna, quæ memorabili illo prælio duos è tuis fortiſſimè pro patria dimicantes mirata, prius tandem vltimum edentes ſpiritum vidit, quàm vllam dantes fracti, aut defatigati periculis animi notam. patre verò tuo quem vnquam Allobrogum ſenatus habuit, aut iuſtitia & æquitate, aut cõſilio & prudentia, aut diuinarum humanarúmque legum cognitione & ſcientia ſuperiorem? cuius tu per veſtigia ingreſſus, in itinere, quod ad veram gloriam ducit, ea celeritate properaſti, vt altero & viceſimo ætatis tuæ anno, Senis, qua tum in ciuitate iuris ciuilis ſtudia pręcipuè vigebãt, à Philippo Decio longe clariſſimo per id tempus legum antiſtite, dignus iudicatus fueris, cui vtriuſque iuris publicè interpretãdi facultas ampliſſima tribueretur, cuius rei fama cùm ad Frãciſci regis optimi maximi

ximi aures peruenifſet: nullam ille moram interponendam putauit, quin eos honores in te transferret, quibus antea pater tuus, vir clariſſimus, ſumma erat omnium approbatione perfunctus. At HENRICVS, ne qui omni genere laudis omnes ſuperaturus erat omnium ætatum principes, liberalitate ſuperari à patre videretur, collatos in te ab eo honores noua ipſe dignitate cumulauit: libellorúmque te ſupplicum in aula magiſtrum eſſe voluit ſibi. Ex quo autem patris morte ad regium culmen euectus eſt, quem tandem ille finem fecit ornandi tui, aut quam rem maioris momenti, ſeu bello, ſeu pace, geſſit, in qua te non in partem ſuorum cōſiliorũ perpetuò admiſerit? qui quanti te faciat, vel ex eo intelligi poteſt, quòd ſanctioris conſilij ſui præſidem imprimis eſſe te iuſſit: deinde ad ſummum Pontificē miſit, qui ſuam in vrbe totius orbis terrarum nobiliſſima perſonã ſuſtineres. Hæc ego, AVANSONI, pauca de multis laudis tuæ argumenta perſtrinxi: de quibus, aliíſque innumerabilibus ſi vberius ac copioſius commemorare inſtituerem, librum, non epiſtolam, ſcribere neceſſe haberem. ac erit aliquod fortaſſe tēpus, cùm mihi plus ocij

ſumere licebit ad res tuas maiores, vt ait Horatius, plectro concinendas. nunc autẽ eum ipſum, quem modò nominaui, Horatium ad te mitto, diligenter à me emendatum, auctúmque (non enim audeo dicere, illuſtratum) annotationibus quibuſdam meis. quæ ſi tibi tantopere placebunt, quã-to te opere ipſius Horatij ſcriptis delectari ſcio, præclarè mihi collocaſſe operam videbor. ſin, quod metuo, nihil admodum in eis inerit dignum, quod ad te mitteretur: peto tamen à te, vt hoc exiguum obſeruantiæ in te meę pignus tantiſper æquo animo accipias, dum ea perpolio diligentiùs, quæ pręſenti tibi promiſſa, breui me in tuo nomine editurum eſſe confido. Vale. Venetiis. Cal. Oct. M.D.L V.

Idem ſtudioſis. S.

BErnardinus Lauredanus, adoleſcẽs clariſſimus, nullum neque finem, neque modum facit de vobis omnibus bene merendi. is cùm accepiſſet, Horatium mihi eſſe in manibus, non tantùm librum ſuum veterem mihi perbenignè vtendum dedit: verumetiam hanc poëtæ ipſius vitam, nũquam antea impreſſam obtulit, miſſam ad

ſe,

ſe,vt aiebat,è Flandria vſque, ab Antonio Morillono antiquorum monumentorum homine ſtudioſiſſimo, qui eam deſcripſerat ex antiquiſſimo volumine, quod Gandaui aſſeruatur. Eam ego lectam dignam iudicaui,quæ ederetur, etſi Petro Crinito probatam non fuiſſe intelligebam. ſed de Crinito ipſo alius erit dicẽdi locus. fuit enim antiquarum rerum neque tam acer æſtimator, neque tam diligens indagator, quàm à nõnullis creditur. Vos interim accipite Horatij vitam, eúmque, cuius eam munere habetis,vt par eſt,amate.

M. Antonius Muretus Bernardino Lauredano, Andreæ F. *Patricio Veneto, S. P. D.*

PRæſtantium poëtarum, Bernardine Lauredane, adoleſcens clariſſime, neque magna vnquam copia, & ſemper magna laus fuit. Copia ne fuerit, id in cauſſa eſt: quòd in ceteris facultatibus, nemo eſt duntaxat eorum qui hebeti penitus ingenio non ſunt, qui non, adhibito labore, ſi minus excellere, at certè ad mediocritatẽ aliquam peruenire ſe poſſe confidat: in hac, niſi ab iis, quos ipſa quodã modo na-

tura ad eam finxerit, labore, diligentia, vigiliis effici nil poteſt. Ea ipſa res in hominum animis admirationem peperit poëtarum, obſtupefactis videlicet hominibus, cum viderent, alios ſponte quadam, & propenſione naturæ, ſine vllo labore ea fundere, quæ cum omnibus eloquentiæ luminibus interlita, tum ſparſa multifariàm eruditionis variæ notis, non tantum dulci ſono tenerent aures, ſed etiam omni genere affectuum, intimos audientium ſenſus, cogitationéſque tentarent: alios cōtra ingenuarum artium ſcientia perpolitos, nulla tamen diligentia, aut diuturnitate ſtudij conſequi poſſe, vt aliquo inter poëtas numero ac loco haberentur. Vt autem omni elegantis doctrinæ tractatione, ita huius quoque virtutis præſtantia, longè ſuprà ceteros Græcorum hominum ingenia floruerunt. Romani & ſerius attigerunt poëticam, & coluerunt negligentius, & minimè longo tempore in rectè ſcribendorum poëmatum via perſtiterunt. ſiquidem cum à rudibus apud eos poëtica profecta principijs, tandem per multos gradus ad Virgilium perueniſſet, quo ego homine nihil ſtatuo fieri potuiſſe diuinius: ita poſtea cœpere ingenia in dete-

rius labi, vt mirum ſit, quanta, quàm breui tempore, ſit conſecuta mutatio. Hiſpani poëtæ præcipuè & Romani ſermonis elegantiam contaminarunt, &, cùm inflatum quoddam, & tumidum, & gentis ſuæ moribus congruens inue-xiſſent orationis genus, auerterunt exemplo ſuo ceteros à recta illa, & ſimplici, in qua præcipua poëtarum ſita laus eſt, & in quam ſuperiores omni ſtudio incubuerant, imitatione naturæ. itaque ferè poſt Auguſti tempora, vt quiſque verſum maximè inflauerat, ſententiam maximè contorſerat, eo denique modo locutus fuerat, quo nemo ſeriò ſoleret loqui, ita in pretio haberi cœpit. Quinetiam fucatus ille ſplendor, & adulterina eloquentiæ ſpecies ita nonnullorum, qui veræ eloquentiæ guſtum non habent, occæcauit animos, vt his quoque temporibus extiterint Hiſpani duo, homines cæteroqui & in primis eruditi, & ſcriptis editis nobiles: quorum alter Lucanum Virgilio, alter Martialem Catullo anteponere veritus non eſt. quorum ab vtroque ita diſſentio, vt, ſi quis deus poteſtatem mihi optionēqúe faciat, non dicam

Virgilij, cui videor iniuriam facere, ſi eum vllo modo cum ceteris comparē, ſed Ennij alicuius, aut Furij, quàm Lucani, multo ſimilem in ſcribendo eſſe me malim: inter Martialis autem & Catulli ſcripta tantum intereſſe arbitrer, quãtum inter dicta ſcurræ alicuius de triuio, & inter liberales ingenui hominis iocos, multo vrbanitatis aſperſos ſale. neque verò negauerim, multa in Martiale quoque noninſcienter dicta reperiri: ſed profectò deteriorum longè numerus maior eſt. Latinę quidem orationis natiua illa, miniméque quaſi pigmētis infuſcata germanitas in Martiale nulla eſt, in Catullo præcipua. Iis de cauſis cum ab illo altero, neſcio quo modo, ſemper abhorruiſſem, Catullū contra nunquam non mirabiliter amaui: itaque legebam eum adoleſcentulus ſtudioſe, magnamqúe operam ad lepores illius intelligendos conferebam: nihil tamen minus cogitans, quàm fore vnquam, vt in eum commētarios ſcriberem. ſed, cùm haud ita pridem veniſſem in Italiam, & vt eam regionem aſpicerem, qua qui æquo animo carent, mihi quidem antiquitatis memoriam ſatis colere non videntur, & mehercule, verum vt dicā, cum alios eruditos homines, tum Paulum in primis

primis Manutium vt cognoſcerem; quòd in eius ſcriptis mihi videbar animaduertiſſe expreſſas quaſdam excellentis doctrinę eximiæque probitatis notas; mihíque diuina quadam virgula contigiſſet, vt nõ pedem penè prius in hac ciuitate ponerem, quàm in amicitiam ipſius familiaritatémque intimam admitterer, ipſeque aliquot diebus poſt, de meis ſermonibus collegiſſet, quantopere me eius poëtæ ſcripta caperent? Quin tu, inquit, M. Antoni, quæ in hoc genere notaſti, ea in publicum profers fructumqúe laboris tui cum ceteris antiqua illa naturę atque humanitatis lege cõmunicas: ibi tũ ego cũ & longè aliarũ virium opus illud eſſe dixiſſem, & protuliſſem alia multa, quæ mihi ad eam cogitationem ſuſcipiendam ſanè quàm incommoda eſſent: eáque ipſe amicè admodum refutare pergeret: (noſti autem diuinam hominis illius in dicendo ſuauitatem) non prius deſtitit, quàm me impulit denique, ſibi vt reciperem, me id primo quoqúe tẽpore eſſe facturum Neque verò diu fidem meam liberare diſtuli: vt qui inter varias occupationes, homo alioqui laboris non nimium tolerás, hoc tamen, quidquid eſt, trium menſium, aliquanto etiam minore,

ſpatio abſoluerim. Nunc haſce vigilias meas, Bernardine Lauredane, multæ ſunt cauſſæ, quamobrem tibi dicatas velim. Natus es ex ampla cum primis & nobili familia, & ex qua ea Venetæ ciuitatis lumina extiterunt, quorum claritatem nulla vnquam inobſcurabit obliuio. Præterea eſt hoc generi veſtro prope fataliter datum, vt ametis literas, homineſque earum ſcientia excultos benignitate veſtra comprehendatis. Non longè abierimus: pater ipſe tuus, vir, vt omnes norunt, omni egregiæ virtutis laude cumulatiſſimus, ita literarum amore incenſus eſt, vt ea, qua vbique plurimum valet, auctoritate & gratia permagnam optimorum librorum, ſignorum, nomiſmatumqúe veterum, ceterorumqúe antiquitatis monimentorum copiam ex vniuerſa Europa diligentiſſimè collegerit. itaque, vt auguſta quædam Muſarum ædes, ita domus veſtra Venetiis ab eruditis hominibus frequentatur. Hæc cùm magna ſint, vt certè ſunt: tamen ex teipſo poſſunt innumerabilia magis propria tuæ laudis argumenta deſumi: ingenium excellens, acre ac indefeſſum literarum ſtudium

dium, optimarum artium cognitio tanta, quantam tu cum paucis aliis in iſtam ætatis viriditatem cadere poſſe docuiſti: tum, quod præcipuum eſt, ita compoſiti mores, vt iuuentus tua multorum ſenectuti exemplo eſſe poſſit: Vel his ſuperioribus menſibus, cùm ad M. Antonij Triuiſani, principis optimi, propinqui tui, luctuoſam bonis omnibus mortem, funebri laudatione honeſtandam vnus ex omni Venetæ nobilitatis flore delectus es: quanta, deum immortalem, orationis & grauitate, & copia, quanta omnium, qui aderant, non approbatione tantum, verum etiam admiratione dixiſti: vt iam tum ſperare non dubiè ſenatus populúſque Venetus cœperit, quæ tam disertè in alio laudares, ea te aliquando re atque operibus præſtiturum. Igitur cùm eam orationem in publicum emiſiſſes, nemo repertus eſt, qui non in cælum tolleret: aut, ſi qui poſtea fuerunt, qui eam clanculum extenuarent verbis, eos ſatis conſtat vel craſſitudine ingenij, ne illius pulchritudinem peruideant, vel, ne pro dignitate commẽdent, veteræ morbo perpetuæ in omnes bonos inuidiæ impediri.

Acceſſere his propè quotidiani mecum Pauli Manutij de tua laude ſermones: in cuius tu viri ore planè habitas. ita enim frequenter, ita cupidè de te loquitur, vt mihi nunquam omnino, quàm cum de te dicere ingreſſus eſt, facundior eſſe videatur. Attigi breuiter ea, quæ me, vt hunc librum tuo nomini potiſſimùm inſcriberem, impulerunt. Nunc à te, adoleſcens ornatiſſime, etiam atque etiam peto: primum, vt munuſculum hoc non ex ſua magnitudine, ſed ex meo tibi gratificandi animo ponderes: deinde, vt, ſiquando eorum rationem inibis, quos eximiæ tuæ virtutis admiratio adiũxit tibi, me quoque, ſi videtur, eorum adſcribendum numero exiſtimes. Venetiis, idibus Oct. M.D.LIIII.

M. Antonius Muretus Torquato Bembo Petri F. S. D.

MAgna fęlicitate mihi carere videor, TORQVATE BEMBE, quòd nõ ita maturè in Italiam venerim, vt patrem túum, virum immortalitate digniſſimum, videre, atque alloqui poſſem. nam & incredibilem quandam voluptatem hauſiſſem ex illius herois aſpectu, qui aut ſolus, aut pręci-

prçcipuè effecerat, vt ne hæc ætas ſuperioribus ſæculis inuideret: & effeciſſem, niſi valde fallor, vt ipſe me, pro humanitate illa, qua complectebatur omnes, in quibus eſſet aliqua non alieni à Muſis ingenij ſignificatio, non vſque quaque ſibi deſpiciẽdum putaret. Nunc, quãdo id, quod cuperem, conſequi nullo modo poſſum: certè quidem id, quod proximum eſt, ſedulò facio: colo, quacunque ratione licet, memoriam illius: & cum in omni ſermone, tum in ſcriptis meis, libentiſſimè facio, vt eum laudẽ, qui mihi neque à me, neque à quoquam ſatis laudari poſſe vnquam videtur. neque verò ita ſum amens, vt ad gloriam ipſius quicquam meo teſtimonio poſſe adijci cenſeam. Sed ita planè iudico: vt deus, qui nullius præconio indiget, laudari ſe tamen ab hominibus vult: ſic beatas illas mẽtes, in cælum receptas, & cum deo coniunctas, gaudere, cùm ſe à nobis coli ac celebrari vident. ergo perinde ac ſi huius rei ſenſus ad Petrum ipſum Bembum peruenturus ſit, ita de ipſius admirabili doctrina, ſingulari eloquentia, ceteríſque virtutibus, quoties occaſio eſt, prædico. quod ſiue ita eſt, gaudeo: ſiue ipſe me fallo, tamen hunc errorem, qui me tantopere delectat, mihi

eripi nolim. Equidem non ſolùm quæ ille nobis monumenta ingenij ſui plurima ac pulcherrima reliquit, accuratè peruolutare, verum etiam imagines corporis ipſius ſtudioſè contemplari ſoleo: magnámque ex eis oblectationem capio: quòd illæ mihi ipſum ante oculos conſtituere videantur. Iam ſi aut depictam in tabula, aut marmore expreſſam, aut in ære, argentóve inſculptam Petri Bembi imaginem prope diuino cultu afficere ſolitus ſum: quid me tibi facere par eſt Torquate Bembe, quem nobis diuinus ille vir viuam & ſpirantem tum corporis, tum multo magis ingenij ac virtutum ſuarum imaginem reliquit: Itaque vt intelligas, te à me tanti fieri, quanti æquum eſt, & talis viri filium, & talem filium, qui paternæ gloriæ præclarè omni ex parte reſpondeat: mitto ad te muneri Tibullum, hoc eſt, eum poetam, quem pater tuus feliciſſime expreſſit, emendatum à me, & breuibus ſcholiis illuſtratum, qui tibi teſtimonium aliquod ſit incredibilis obſeruantiæ erga te meæ. Paruum munus, fateor: ſed & à magno animo proficiſcitur: & maiora alia ſubſequentur, ſi hoc tibi nō ingratum fuiſſe cognouero. Vale.

Non.

Non. Mai. M.D.LVIII. Putauio.

M. Antonius Muretus Franciſco Gõzagæ, Ferdinandi F. S. D.

NOn iniuria dubitatum eſt à veteribus, FRANCISCE GONZAGA, adoleſcens præſtantiſſime, Tibullóne, an Propertio deferendus eſſet inter latinos poetas elegiæ ſcribendæ principatus. nam vt inſunt in vtroque permulta, quæ eos vulgarium numero exemptos in edito atque eminenti ſtatuant loco: ſic propriæ quædam extant & elucent in vtroque virtutes, quibus vterque alterius palmam ambiguam facere videatur. Summa in Tibullo elocutionis elegantia, & proprietas: ſumma in Propertio eruditionis poëticæ copia, & varietas: in illo Romana propè omnia, in hoc pleraque tranſmarina. illum, natiua quædam & incorrupta Romani ſermonis integritas, in media vrbe natum & altum eſſe, perſpicuè oſtendit: hunc præter cetera, forma & character ipſe dicendi in Græcorum poëtarum ſcriptis aſſiduiſſimè verſatum eſſe demonſtrat. cũque à ſapientiſſimis viris tradítum ſit, duo eſſe præcipua poëticæ dictionis ornamen-

ta, τὸ σαφὲς, καὶ τὸ ξενικὸν, illo Tibullus, hoc Propertius excellere videtur . mollior ille & delicatior: neruoſior hic, & accuratior. illo magis oblectère: hunc magis, vt opinor, admirere, illum iudices ſimplicius ſcripſiſſe, quæ cogitaret: hunc diligentius cogitaſſe, quid ſcriberet. in illo plus naturæ, in hoc plus curæ, atque induſtriæ fuiſſe perſpicias. Quæ cùm ita ſe habeāt, perdifficile eſt, decernere ac conſtituere, vter alteri præſtet. nam ſi præcipua laus poëtarũ in imitatione conſiſtit: mihi quidem videtur Tibullus varios illos fluctuantis animì motus quibus amantes agitari ſolent, melius imitatus eſſe. ſin, vt quicque ad optimum proximè accedit, ita ipſum quoque optimum iudicandum eſt: crediderim ſanè veterum illorum Græcorum, ac præcipuè Callimachi, Propertium haud paulo ſimiliorem fuiſſe: qua etiam fiducia ipſe ſe Romanum Callimachum vocare auſus eſt. ſed hæc vt ſunt, neque noſtrum eſt, neque cuiuſquam hominis pudentis, & conſiderati, qua de re veteres illi, quorum fuit & doctrina maior, & iudicium acrius non liquere pronunciarunt, de ea certi quicquā conſtituere, & litem ſecundum alterutrum dare. Satius fuerit, vtrunque ſtudioſe ac diligen-

diligenter euoluere, vtriuſque virtutes accuratè perpendere, vtrunque ſibi ad imitandum proponere, ſi quando fortè nos ad tentandum idem poematis genus aut voluntas adducet, aut naturæ impetus feret. quæ ego omnia, Fräciſce Gonzaga, quantum quidem in me fuit, ſummo ſtudio adoleſcens factitaui. non enim facilè conceſſerim multis, qui hos poetas aut ſæpius, aut accuratius legerint, aut verò plus operæ poſuerint in eorum virtutibus imitando exprimendis. Ex quo autem in me iuuenilis illa, qua ſtudia poetica fouentur, alacritas deferbuit; animúmque ſibi meum grauiorum, & hac ætate digniorum artium tractatio vendicauit; temperare mihi tamen non poſſum, quin ſæpe eos in manibus habeam, horíſque ſubſeciuis grauiorum ſtudiorum aſperitatem hoc quaſi cōdimēto amœnitatis mitigem ac molliam. quinetiam, vt non occupationes tantum meæ, verum remiſſiones quoque animi afferant aliquid vtilitatis hominibus: confero ſtudium non mediocre ad libros eorum perpurgandos, & ad locos, ſi quos mihi fortè intelligere videor, qui non ita ſint omnibus peruij, explicandos. tale igitur quiddam his diebus in Propertio præſtiti.

& cum admirabili deſiderio tenerer inſinuandi me aliqua in amicitiam tuam, iter mihi ad eam præmunire hoc munuſculo volui. Vt autem à te cognoſci cuperem, ne viuam, ſi me aut diuitiæ, quibus abundas, aut generis tui claritas, aut quicquam denique præter maximas tuas, & iam nunc omnium ſermone celebratiſſimas virtutes incitauit. nam opulentorum, qui honeſta ſtudia ſpernant, non modò ambire, ac perſequi, ſed aſpernari etiam, ac refugere amicitias ſoleo, non ſemel expertus, nihil eſſe eiuſmodi hominibus φορτικώτερον. generis autem nobilitas in ijs demum habet aliquid gloriandum, qui faciunt id, quod tu; hoc eſt in ijs, qui omni ope moliuntur efficere, vt ne minus ipſi ſplendoris poſteris ſuis tradidiſſe, quàm à maioribus accepiſſe, videantur. itaque colunt te quidem homines, & obſeruant, vt magni illius Ferdinandi Gonzagæ, ſapientiſſimi, fortiſſimi, fortunatiſſimi imperatoris, filiũ: ſed multo te, mihi crede, impenſius colunt, quòd eam te viã ingreſſum, aut potius in ea iam longè progreſſum vident, in qua ſi, vt ſpes minimè dubia eſt, perſtiteris, nõ ille apud poſteros tot victorijs, tot opimis ſpolijs, tot trophæis, quàm te filio, clarior ſit futurus,

rus. ſed illius quidem res geſtæ cum aliorum monumentiscelebrabuntur, tùm præcipuè ſcriptis Antonij Poſſeuini, familiaris tui, eruditiſſimi hominis, & ad conſcribendam hiſtoriam facti, tradentur memoriæ hominum ſempiternæ: tuas autem hoc loco pluribus perſequi nolo: tùm, ne modum epiſtolæ excedam; tùm, quòd mihi veniunt in mentem Euripidis verſus:

Αἰνούμενοι γὰρ οἱ 'γαθοὶ τρόπον τινὰ
Μισοῦσι τοὺς αἰνοῦντας, ἐὰν αἰνῶσ' ἄγαν.

Id tantùm te orabo, vt, cùm à philoſophiæ ſtudijs, in quibus te quotidie Bernardinus Tomitanus, ſingulare Patauini gymnaſij decus, exercet, relaxare animū voles, Propertianæ lectioni temporis aliquid tribuere ne graueris: in qua ſi comitem tibi, vt facturum augurор, Hippolytum Capilupum, Epiſcopum Fanenſem des, incredibili & virtute, & doctrina hominem aſſumpſeris, habebis, qui tibi poſſit ea, quæ à me vel omiſſa, vel non ſatis intellecta ſunt, vnus optimè omnium interpretari. Vale. Patauij, Cal. Sext. CIↃ IↃ LVIII.

M. Antonius Muretus D. Adriano Turnebo S. P. D.

CVm ex Italia, octauo poſt anno, in Galliam mihi eſſe redeundũ viderem, iudicaui fore, vt mihi vitio verteretur, ſi ex regione copioſiſſima, & bonis omnibus abundantiſſima, in qua tot annos verſatus eſſem, redirem ad meos, inanis aliqua re exquiſita & viſenda, qua poſſem ἀντιφιλοφρονεῖν eos, qui, tam longo interuallo, ſaluum veniſſe, vt fit, gratularentur. quamquam igitur toto peregrinationis meæ tẽpore ſtudioſiſſimè feceram, vt veteres bibliothecas, quæ illic plurimæ, ac pulcherrimæ ſunt, excuterem, belliſſimum quódque, quod ſuo tempore ad vſum hominum depromerem, conditurus: tamen vltimis illis diebus, quibus Romæ fui, maiori etiã ſtudio ad eam rem incubui: inſita & vſitata hominibus conſuetudine, ardentiori affectu tractandi atque amplectendi ea, quibus ſe paulo poſt carituros vident. Sæpe autem audiueram commendari ab hominibus eruditis volumen quoddam perantiquum Philippicarum M. Tullij, quod aſſeruaretur in bibliotheca Vaticana, non in maiore quidem illa & auguſtiore, quæ, ponti-

pontificum beneficio, quotidie ferè, ſtatis horis patere ad communem ſtudioſorum omnium vtilitatem conſueuit: ſed in abdita quadam, & non ita omnibus peruia, quæ à ſacerdotibus diui Petri ſuperioribus annis concinnata, poſtea, ſiue negligentia hominum, ſiue fraude, exhauſta propè iam & exinanita eſſet. ſed anxium me ac ſollicitum habebat, quòd cùm antea multa per me, multa per amicos expertus eſſem, vt eum librum inſpicere, eóque triduum aut quatriduum arbitratu meo vti poſſem: numquam ſucceſſerat: ſempérque caſus aliquis, cùm iam iámque id quod optabam cõſecuturus viderer, conatus omneis meos eluſerat. ſtatui tamen, antequàm ab incœpto deſiſterem, ſemel etiam experienda omnia eſſe, &, quaſi munitam aliquam arcem diu fruſtra obſediſſem, prius quàm re infecta diſcederem, omnibus ſimul machinis, omnibus operibus ad murum admotis tentãdam irruptionem. quid quæris? puncto temporis obtigit, quod totum propè biennium nequicquam optaueram. non modò enim mihi eximium illum librum inſpicere licuit, quod ego ipſum poſuiſſem in magni beneficij loco: ſed etiã permiſſum eſt, vt eum mecum auferrem, do-

míque haberem, data prius fide, eum, quod longiſſimum eſſet, ante ſeptimum diem redditũ ac reſtitutum iri. Tum verò, tamquam longo tempore collectam ſitim explere cupiens, ita eum auidè peruolutare, & cum ijs qui ab eruditiſſimo ac diligentiſſimo viro Hieronymo Ferrario emendati erant, cõferre cœpi, vt me, quamquam grauiter ægrotare cœperam, non valetudinis ratio, non cibi potionísve neceſſitas, non ille ipſe omnium domitor (vt eum poëtæ Græci vocant) à tam dulci occupatione poſſet ſomnus abducere. præclarè autem mihi conſtitit operæ meæ fructus. non enim facilè crediderit quiſquam, quàm multa in his orationibus mutila, quàm multa temerè addita, quàm multa corrupta ac deprauata legerentur in omnibus alijs libris, quæ huius ope expleta, reſecta, ſanata & integritati ſuæ reſtituta ſunt. Librum autem ipſum credo equidem ante hos ſeptingentos annos exaratum eſſe. quod & ipſa litterarum conformatio oſtendit pleriſque locis gemina ei quæ in Pandectis Florentinis, & in Terentio Petri Bembi viſitur: & ſcribendi ratio, quam ὀρθογραφίαν vocant, eadem planè quæ in ijs, quos modo nominaui, libris, & præterea

ea in antiquiſſimo illo epiſtularũ Ciceronis, cuius exemplum abhinc triennium diuulgauit P. Victorius. quam quidem cum ex aliqua parte exprimendam curauerim, non tamen ſum auſus perpetuò id facere, ne nimia illa nouitas (ſiquidem noua dicimus etiam ea, quæ cum vetera ſint, diu ab oculis & ab vſu hominum abfuerunt) lectoribus & moram obijceret, & moleſtiam pareret. vt taceam, quod quædam in eis libris ineſſe iudico, errore potius, & vitio illorum temporum, quàm ratione, & auctoritate ſuperiorum recepta. cuius generis ſunt emptus, ſumptus, & ſimilia per litterã p: in quo ita immoderata fuit ætas illa, vt ſollẽpnia, & ſompnum, & temptare, plerique omnes tum ſcriberent. Sed & illud ex eodem fonte fluxiſſe puto, quòd litteras multas inter ſe commutabant: cum apſum, & optineo, contráque ſcribtura, & obtare, ſæpe in eorum libris legatur. in eũdem numerum incluſerim, auieris, pro, abieris: & Bolumniam pro Volumniã eiuſdémq; generis innumera. Nam illud quale eſſe dicã neſcio, quòd lathrones, & lathrocinia prope ſemper ſcribebat is, cuius manu ille Philippicarum liber ſcriptus eſt. Ne illa quidem exprimenda duxi, adfice-

re, adponere, conligere, conlega, inluſtris, & talia, aut æcum, relicuum, locuntur, cottidie: quæ tamen non eiuſdem generis, cuius illa, eſſe duco: aut illa, immemoriam, pro, in memoriam, ſummaſt, pro ſumma eſt, & ſimilia: etſi hæc quidem non planè aſpernenda cenſeo. At hæc leuiora ſunt. illud maioris momenti: quòd locos amplius trecentos in omnibus alijs libris deprauatos, à nobis emēdatos videbit, quiſquis hanc editionem cùm alijs conferre voluerit. Tibi autem Adriane Turnebe, vir optime & doctiſſime, hunc laborem meum inſcribere quaſíque cōſecrare placuii, tum, vt extaret monimentum aliquod veteris amicitiæ noſtræ, tum vt liber ipſe hoc nomine ſtudioſis omnibus gratior ac commendatior foret. Et ſanè ſiue quærendus erat amicus de me bene meritus, cui hoc munuſculum daretur, neminem ordinis noſtri videbam, cui plus deberem: ſiue deligendus iudex, qui de his rebus exiſtimare vnus omnium optimè poſſet, nullum reperire poteram, cui iuſtius id deferretur, quàm tibi. non enim aut obſcurum, aut ambiguum eſt, inter omnes qui hodie litteras tractant, ad quem ex hominibus noſtris primæ ſine controuerſia deferantur.

Vale.

Vale, méq; vt facis, amare perge. Lutetiæ. id. Mart. anno M. D. L X I I.

Dion. Lambinus Errico Memmio ſupplicum libellorum in Regia magiſtro S. D.

ORationem noſtram de laudibus litterarum à me nudiuſtertius habitam cui potius, quàm tibi donabo, Errice Memmi? ſubiungere mihi liceret illud Catullianum,

- namque tu ſolebas
Meas eſſe aliquid putare nugas:

Sed longè ſunt hæ cauſæ grauiores, & iuſtiores, quas deinceps ponam. nam & tu ipſe litteratiſſimus es, & pro litteris apud Reges contra eorum oppugnatores acerrimè propugnare ſoles, & bibliothecam habes maximo pretio coëmtam, omni genere librorum vndique conquiſitorum, & collectorum inſtructiſſimam atque ornatiſſimam. Qua tu quidem, modò ex illa horribili Lugdunenſi peſtilentia, tanquam ex miſerrimo naufragio, aut incendio aliquo ſeruatus, tuíſque tui periculi metu exanimatis reſtitutus teipſum primo quoque tempore tuo more paſces atque oblectabis: ſed tamen priùs quàm hinc Pla-

tonas, & Xenophontas, & Theophraſtos, & Plutarchos, & ſimileis: illinc poëtarum Græcorum aceruum, alia ex parte ſcriptores Latinos tibi ante oculos exſtruas, & exaggeres, vnius ſemihoræ ſpatium, ſodes, huius oratiunculæ de earum rerum, quæ tibi cariſſimæ ſunt, laudibus lectioni impertito. Vale. Lutetiæ a.d. XIIII. Kalendas Nouembreis. anno CIↃ. IↃ. LXIV.

D. Lambinus Io. Moruillerio, in recondi-tiore ſenatu conſiliario & ſenatori Regio, viro prudentiſſ. S. D.

QVamuis hæc noſtra oratio de Philoſophia cū arte dicendi coniungenda, nuperà me habita, quam ſuperioribus diebus ab aliquot amicis edere rogatus ſum, per ſe ipſa ab omni externa iniuria ſatis tuta videretur, quòd hoc genus ſcripturæ bonis omnibus prodeſſe, nemini obeſſe ſoleret: non eſt tamen auſa ſine patrono in lucem prodire, tempora timens virtuti inimica, boníſque omnibus artibus & litteris iniqua atque infeſta. Cùm igitur, vt honeſtiſſimæ illorum voluntati morem gerere poſſem, huic orationi patronum quærerem, tu mihi continuò occurriſti, Io. Moruilleri,

Moruilleri, quem maximè ad has parteis ſuſcipiendas aptum iudicarem. Primùm enim ab illo iam tempore, quo ad Remp. acceſſiſti, quanti virtutem & litteras faceres, quantopere homines in ſtudio doctrinæ, bonarúmque artium ætatem agenteis, eoſdémque bonos viros & pudenteis & modeſtos, & bene moratos coleres atque amares, documẽta dederas maxima: idem rurſus quàm acer inimicus atque aduerſarius eſſes vitiorum & vitioſorum hominũ, & eorum maximè, qui cùm litteras & Philoſophiam, verbo profiterẽtur, vita tamen & factis ab indocta multitudine nihilo differrent, quinetiam interdum amentiores & peſtilentiores eſſent, planè declararas. Deinde huc acceſſit, quòd me in comitatu Fr. Turnonij Cardinalis (quẽ honoris cauſa nomino) in Italia, & in Gallia cognitũ, ſemper ab illo tempore ſumma beneuolẽtia es complexus, omníq; ſtudio atque officio proſecutus: neque mihi vultu, & frõte, & verbis ſolùm, verùm etiam re, & auctoritate, & gratia tua, quibus plurimùm vales, quantum mea cauſa velles, in rebus omnibus aut propriè meis, aut collegarũ meorum communibus, ſtudioſè oſtẽdiſti. Poſtremò huius orationis argumentũ vi-

debam eſſe ad tuam perſonam, tuúmque vitæ inſtitutum accommodatiſſimum. Sciunt enim omnes quantum dicendi facultate valeas, quantus ſit in oratione tua verborum ornatus, quanta rerum vbertas & copia, quantum ſententiarum pondus, quanta ſubtilitas, quantum acumen, quantus ſplendor, quanta grauitas: quæ tibi profectò non ſuppeterent, quantumuis ingenij & naturæ bonitate excellas, niſi ea ex Philoſophia petiuiſſes, niſique ab ineunte ætate Philoſophiam cùm eloquentia coniungendam eſſe duxiſſes. His rationibus & cauſis adductus ſum, vt non dubitarem, quin hoc patrocinium tibi à me delatum ac mandatum, præſertim minimè tibi incommodum, aut moleſtum futurum, non inuitus ſuſcepturus eſſes. Quod ſi facies, vt te facturum cõfido, me & collegas meos, omneíſque noſtri ordinis homines, vt tuas præſtantiſſimas virtutes veriſſimis laudibus ornemus, magis ac magis excitabis. Vale Lutetiæ a. d. III. Non. Aprileis.

Dionyſ.

Dionyſ. Lambinus Baptiſtæ Menillio ornatiſſ. viro, in ſuprema curia Pariſienſi patrono Regio, S. D.

SI, quanta tua in hanc ſcholam Pariſienſem beneuolentia, ac beneficentia eſt, Baptiſta Menili, tantam diligentiam adhiberent eloquentes homines, vt tuæ plurimæ, ſummæque virtutes meritis ac veris laudibus ornarentur: tu clariſſimis totius antiquitatis viris, quos magna in rempub. merita, doctorum virorum ſcriptis quaſi luminibus illuſtrata ad cælum extulerunt, aut nihil, aut parum admodum, gloriæ, & nominis immortalitate concederes. Nunc autem quia qui & poſſunt, & debent, ij vel tuorum in hanc ſcholam meritorum magnitudine obſtupefacti, vel rei difficultate deterriti, tua rectè facta ſileri patiuntur: fit vt tuæ diuinæ virtutes, tuáque præclara in vniuerſum litteras profitentium ordinem ſtudia ac beneficia vigeant illa quidem eorum, qui hodie viuunt, ſtabili conſcientia, recenti memoria, prædicatione diuturna: ſed careant luce litterarum: quæ ſolæ magnorum virorum virtutes poſteritati prodere, immortalitati commendare, ab interitu vindicare poſſunt. Námque omnino

præclara in rempub. merita ad virorũ virtute præſtantiũ laudes immortalitati conſecrandas parum valent ſine adiumento, ſubſidióque litterarum. Quin, vt ait Flaccus,

Paullum ſepultæ diſtat inertiæ
Celata virtus.

Quæ cùm mecum non ſine animi dolore cogito, temperare mihi non poſſum, quin omneis mei ordinis homines, meóſque collegas, doctiſſimos, atque eloquentiſſ. viros, grauiter accuſem, quòd tibi tam bene de nobis, & de hac ſchola merito, quo modocumque poſſunt, (monumentis autem litterarum poſſunt) beneficij abs te accepti, tanti præſertim, gratiam non referant. Quantum enim illud beneficium eſt, quibus ſermonibus celebrandum, quibus laudibus efferendum, quo tu nuper hanc ſcholam, olim florentiſſimam, nũc iacentem atque afflictam effeciſti? cùm in ſubſellijs ſupremæ curiæ Pariſienſis cõtra huius ſcholæ oppreſſores, atq; euerſores talis patronus extitiſti? Dij immortales, quæ tũ fuit tuæ orationis copia? quod verborum flumen? quæ ſententiarum grauitas? quæ eloquentiæ vis, dicendíque facultas? cùm tu primùm iſtorum hominum, quos nutu

ſignifico,

ſignifico, origine explicata, deinde progreſſu expoſito, poſtremò tota viuendi ratione in oculis auditorum conſtituta, factíſque & conſilijs patefactis, oſtẽdiſti nihil eos aliud ſpectare, nihil aliud moliri, quã vt perſona religionis ſuſcepta; & profeſſione gratis docẽdi iactata opes immẽſas, potentiámq; non ferendam ſibi comparent. ídque ſigno omni luce clariore demonſtraſti, cùm diceres, eos non recuſare, quin quouis nomine appellẽtur, modò ne ex Gallia exterminentur, & dũmodò ſedes occupatas eis obtinere liceat. Nam cùm ab initio ſibi nomẽ inuidioſiſſimum arrogaſſent, quod omnes conſeſſus, omniáq; ſubſellia improbarũt, cõmemorabas, id quod erat, eos quoduis nomẽ ſibi imponi pati paratos eſſe, modò ad propoſitũ ſibi finẽ peruenire poſſent: quod facturos non fuiſſe, ſi verã religionem profiterentur, & nõ ſpecie religionis ſuas opes amplificare vellẽt. Et tamen cùm talẽ in eos orationẽ habuiſſes, quòd tuas parteis eſſe ducebas talium hominũ cõſilia reprimere & coërcere, nec in dies magis ac magis cõualeſcere & corroborari ſinere: iudices tamẽ, alioqui grauiſſimi, ac prudẽtiſſimi viri, tua non oratione nõ ſatis cõmoti, amplius deliberandũ eſſe

cenſuerunt, totámq; rem non comperendinarunt, ſed in aliud tempus lõgiſſimum diſtulerunt:quo facto huius quidem ſcholæ aduerſarijs, qui contra morem maiorum noſtrorum, contra inſtituta patrię, legéſque veteres, inuito denique huius Academiæ rectore docendi parteis ſibi aſciuerunt atque arrogarunt, (quaſi verò aut Lutetia, aut Gallia, niſi à Luſitanis atque Hiſpanis doceatur, ſit indocta, & illitterata futura,) ſuæ potentiæ conſtabiliendæ facultatem licentiámque dederunt: verorum autem, germanorúmque magiſtrorum ac gymnaſiarcharum ſtudia retardarunt, animos debilitarunt, ſpem infregerunt, ardorem priſtinum reſtinxerunt. Sed meum eſt ſapientiſſimorum virorum ſententiam, conſiliúmque laudare: querar tamen huius ſcholæ calamitatem, & hoc vnum addam, optandum nobis eſſe, ne ijdem homines, qui malo naſcenti mederi potuerunt, ſerò intelligant malo corroborato nullum dari medicinæ faciendæ locum. Nunc ad te redeo, Baptiſta Menili. Et fortaſſe huius ſcholæ, patriæque amore prouectus fui longior. Ego igitur tibi primùm totius huius ſcholæ nomine gratias ago maximas, quòd eius patrocinium

ſuſcepiſti:

ſuſcepiſti: deinde hãc de philoſophiæ moralis laudibus orationem, quam hodie habui, dedico & cõſecro, non quòd hoc munuſculum craſſo filo contextum tuis erga noſtri ordinis homines meritis par eſſe exiſtimem, ſed vel quòd nihil aliud in præſenti habeam, quo meam tibi referendæ gratiæ voluntatem teſter ac declarem, vel quòd, quicquid non ſolùm ego, ſed quiuis alius me infinitis partibus eloquentior, elucubrauerit, numquam tuis in hãc ſcholam beneficiis ſit reſponſurum. Vale. Lutetiæ 17. Kalendas Nouemb.

D. Lambinus Errico Engoliſmæo, optimæ indolis adoleſcenti, principi, pontificatus R. Protonotario, Caſæ-dei Cœnobiarchæ, ad altiſſimos, & ampliſſ. dignitatis gradus exſpectato, S. D.

CVm ſæpenumerò interſim doctiſſimorum, optimorúmque virorum, & reipub. amãtiſſimorum querelis, quibus horum perditiſſimorum temporum calamitatem deplorare ſolent, tum nullas ſæpius audio, nullæ me grauius commouent, nullæ quemquam, cui patriæ ſalus, amplitudo, & gloria cara ſit afficere debent, quàm

quas de litterarum ſtatu propemodũ proſtrato, atque afflicto quotidie habere conſueuerunt, cùm queruntur primùm pluris hodie fieri, amplioribúſque præmijs ornari ſaltatorem aliquem leuiſſimum, aut ſcurram impuriſſimum, aut hiſtrionem impudentiſſimum, aut libidinis miniſtrum turpiſſimum, quàm hominem litteratum, eundémque virum bonùm, pudentem, ſeuerum, atque innocentem: deinde bonas litteras, & honeſtas diſciplinas, quæ olim à rege Franciſco primo, principe liberaliſſimo, ac magnificentiſſimo, omníſque elegantis doctrinæ, atque omnium bonarum artium amantiſſimo, & fautore acerrimo, barbarie exſulatum ire iuſſa, ignorationéque litterarum relegata fuerant in Gallia illo maximè tempore collocatæ, conſtitutæ, & conſtabilitæ, quo tempore decem ingenuarum artium, eruditarúmque linguarum doctores partim in ſua Gallia repertos, partim ex longinquis terrarum oris arceſſitos, magníſque præmijs inuitatos, duobus duntaxat auctoribus & ſuaſoribus, viris clariſſimis, aſſenſus, I. Bellaio, Eccleſiæ Romanæ Cardinali, & Gulielmo Budæo ſupplicum libellorum in regia magiſtro, alijs omnibus hominibus

atque adeò ordinibus aduerſantibus ac reclamãtibus, publico docendi muneri præfecit: quáſque ille idem rex, omniũ rerum honeſtarum amore inflammatus, non ſatis habens earum cultoribus ac profeſſoribus mercedẽ decretam, pactã ac promiſſam, à quæſtoribus ſuis ad diem ſolui iubere, beneficijs præterea exquiſitis cumulabat, atque ornabat: eas nũc incultas, ſordidatas, ſquallidas, horridas, inornatas, luctu & mę rore confectas, ab improbis & iniuſtis hominib⁹ iactatas, & falſis criminibus circũuentas, & propemodũ oppreſſas iacêre, & de vertẽdo ſolo cogitare, aliáſq; terrarum oras, vbi porrũ aliquem inueniant, vbíque cõſiſtant, & cõquieſcant, ſpectare, neq; verò huius tanti mali aut in rege Carolo, aut in eius matre regina culpam reſidêre: quorũ alter, quãuis nondum per ætatẽ quanta ſit litterarũ dignitas atque vtilitas iudicare poſſit, vel impetu quodã animi tamen, vel quòd laudes patrias atq; auitas libenter æmuletur, litterarũ incolumitati ſuffragatur ac fauet: altera vt litteras, & litteratos homines beneuolentia cõprehendat, omníq; genere liberalitatis complectatur, domeſticis exemplis excitatur (cui enim ſunt inauditi Laurentij & Coſmi illi Medicei?

cui Leones & Clementes, pontifices Romani litterarum in Italia vindices, ac reſtitutores?) ſed in neſcio quibus hominibus, qui cùm aperto Marte litteras oppugnare non audeant, cuniculis actis eas ſubruere conantur: quíque ita ſunt alieno à litteris animo, vt indigniſſimos homines malint à rege locupletari, atque adeò inaurari, quàm docti alicuius hominis, & boni viri inopiam atque egeſtatem ſubleuari: ita rurſum auaritia feruent, vt tãtum de ſuis commodis putent decedere ac deperire, quantum ad aliquem litteratum hominem videant accedere ac peruenire. Cùm hæc & multa alia ſimilia, atrocia planè, ac luctuoſa quotidie à viris bonis iuſtiſſimè & grauiſſimè deplorentur, cúmque omnes ingenuarum doctrinarum ſtudioſi homines, & bonarum artium magiſtri deſpondeant animum, non tam quòd ſibi populares honores non deferantur, aut quòd nulla in ſe liberalitas à principibus conferantur (ſciunt enim ſolidos quidem & veros honores induſtriæ, virtutíque deberi: ſine pecuniæ autem magnitudine beatè viuere licere) quam quod inſignibus virtutis ornentur nequiſſimi & deterrimini homines, & quòd diuitiæ, quæ debe-

debebãt eſſe inſtrumẽta actionũ honeſtarum, ſint adiumenta & fomenta libidinis, ac nequitiæ: nemini mirum eſſe debet, hãc ſcholam vniuerſam, olim celeberrimam, in dies decreſcere, ac defloreſcere. Cui niſi quis deus repente exortus, & alicunde oblatus langueſcenti, & collabenti manum adiutricem porriget, vniuerſus in Gallia litterarum, vt & aliarum multarum rerum honeſtarum, interitus eſt pertimeſcendus. Neque verò eſt quòd quiſquam mihi dicat, alias eſſe vrbeis in Gallia, quæ litterarum incolumitatem ac dignitatem ſuſtinere poſſint, ſi in hàc vrbe exſtinctæ ac deletæ fuerint. Nam Lutetia ceteris omnibus vrbibus inſtar luminis eſt, vnde ceteræ illuſtratæ luce lucent aliena. Ab hoc vberrimo fonte liberales doctrinæ, & laudabiles artes deriuatæ ad ceteras vrbeis dimanare ſolent. Hic fons ſi exareſcet, non eſt quòd quiſquam in alijs ſibi ſpem aliquam ponat. Præterea nemo intelligẽs rerum exiſtimator negabit, ſcholam hanc vniuerſam eſſe decus atque òrnamentum ciuitatis, lumen vrbis, florem totius regni, fundamentum ac firmamentum reipublicæ ſiquidem in ea totius ferè Galliæ iuuentus erudit ur, ex ea ingenij

cultum petit, ex ea bonarum artium ac litterarum ſcientiam haurit, qua imbuta atque inſtructa poſterius vel rempublicā adminiſtrare, vel alijs in muneribus, patriæ commodare ac prodeſſe poſſit. Hæc igitur ſchola vniuerſa, Errice Engoliſmæc, ſic afflicta, primùm tibi res omneis ſecundas, omniúmque bonorum externorum acceſſionem & incrementum precatur atque exoptat: deinde ſeſe tibi etiam atq; etiam commendat, téque ſupplex orat atque obſecrat, vt ſeſe in fidem ac tutelam tuam recipias, litterarúmque deſertarum patrocinium ſuſcipias: neque ſinas aui tui Franciſci primi laudem præcipuam, ac multo maximam, ex litteris in Galliam conſtabilitis partam, quæſitam, atque exceptam, litteris extinctis, oppreſſis, atque ex Gallia funditus deletis intermori, atque interire, ſed potius pro tua iſta præſtantiſſima, & optima virtutis indole, pro incredibili illo, quo flagras, rerum honeſtarum ſtudio, pro illa, qua vales apud regem Carolum, fratrem tuum gratia, hāc vniuerſam ſcholam Pariſienſem, olim quidem Franciſci aui tui conſilio & ſapientia florentem, nunc autem quorundam hominum virtuti inimicorum culpa ſenſim areſcentem

ac

ac marceſcētem complectaris, & tuendam ſuſcipias. Hoc ſi facies, vt taceam quòd nihil maiorum tuorum gloria indignum facies, hoc præterea conſequêris, vt certatim omnes bonarum litterarum ſtudioſi tibi gratias agant immortaleis, noménque tuum memoriæ prodant ſempiternæ. quæ quidem te ſpes ad hunc conatum debet vehementer excitare. Quemadmodum enim nihil eſt, quod homines à beneficentia magis deterreat, quàm eorum, in quos beneficium confertur, ingratus animus: ita nihil eſt, quod magis eoſdem ad bene merendum de alijs excitet, quàm eorum, qui beneficio afficiuntur, beneficij accepti memoria. Siqui autem ſunt, qui parem, aut etiam maiorem beneficio accepto gratiam referre poſſint, ij maximè poſſunt, qui vocem habēt & muſam, hoc eſt litterati homines. Nam vocem quidem freti beneficium acceptum commemorare, & prædicare poſſunt: muſæ autem inſtinctu, & diuino quaſi afflatu excitati, non ſolùm id, quod acceperunt, commemorare, & prædicare, verùm etiam verbis amplificare, & maius facere, & æternitati conſecrare, & immortalitati commendare poſſunt. Quamobrem, Errice, hanc litterarum

cauſam primo quoque tempore amplectere: has parteis quamprimum ſuſcipe: hanc occaſionem tui nominis per ſe clari, magis ac magis illuſtrandi, atque ab interitu, obliuionéque hominum vindicandi properè arripe. nulla res eſt, in qua melius beneficium collocare poſſis, quàm in litteris: nulli ſunt homines, qui tibi beneficij accepti gratiam maiore, & cumulatiore menſura remetiri ac referre queant, quàm litterati viri: quod tibi vel meo ipſius periculo ſpondere non dubitem. Quod ſi tibi vel huius, vel cuiuſquam alîus rei ſponſor locuples videri poſſum, velim vt tu meam fidem ſecutus, ad hunc tam laudabilem & glorioſum conatum primo quoque tempore ſtudium tuum conferas, præſertim tui pulcherrimi incepti heroëm illum, Michaëlem Hoſpitalium, Galliæ Cancellarium, virum ſapientiſſimum, & Iacobum Amiotum, magnum eleemoſynarium, Diuæ Corneliæ Cœnobiarcham, alióſque tibi non ignotos, adiutores & ſocios, & Ioannem Morellum Ebredum, virum doctiſſimum & prudentiſſimum cuſtodem ac Phœnicem tuum, cohortatorem, atque approbatorem habiturus. Ego interea qualiſcumque ſim, vnus quidem

certè

certè ex eo collegio, quod à maioribus tuis publico docendi muneri præpoſitum eſt, hanc orationem, quam nudiuſquartus de rationis principatu, & recta inſtitutione habui, tibi dono, dico, conſecro, vt ſit tibi vel obſes meæ fidei, vel pignus meæ perpetuæ erga te voluntatis. Lutetiæ A. D. 14. Kalendis Nouembris.

Dionyſ. Lambinus Monſtrolienſis, Philippo Huralto, Chiuernio, in ſenatu reconditiore conſiliario Regio, & Errici, Andium ducis, Cancellario. S. D.

CVm Muſam Plautinam his verbis nos admonentem audio, Philippe Huralte, improbum hominem eſſe, qui beneficium ſcit ille quidem ſumere, ſed neſcit reddere: conturbat me tuorum erga me beneficiorum magnitudinis cogitatio, verentem, ne non tu, qui fructum vberrimũ, lucrúmq; maximum eſſe putas, de hominibus bene mereri, contráque damnum maximum, eorum, quæ in alios benignè facis, mercedem aliquam exigere, aut omnino exſpectare, quod eſt beneficium fæ-

nerari:ſed ij, qui tuorum in me beneficiorum mihi ſunt teſtes, & conſcij, me ingrati animi culpam, criménque ſuſcepiſſe arguant, propterea quòd, ſi tibi parem gratiam referre non poſſim, vt non poſſum: ſaltem beneficia tua, aſſidua eorum prædicatione, & litterarum monumentis non illuſtrem. Rurſum, cùm cogito, quàm præclarè ab illo dictum ſit, (quiſquis ſit,) qui dixit, longè diſſimilem eſſe beneficij accepti, referendi, & pecuniæ debitæ, reddendæ rationem, quoniam, qui pecuniam debet, is, ſi reddit, non habet: ſi habet, non reddit: qui autem beneficium accepit, is, ſi eius gratiam refert, habet: ſi habet, refert: leuor aliquãtùm ea maxima cura, quæ me antea grauiter vrgebat, quia mihi conſcius ſum, voluntatem beneficij à te accepti remetiendi, nũquam: facultatem ſemper mihi defuiſſe: meque, quamquam parem tibi gratiam vſque adhuc referre non potui, neque vmquam potero, eo animo eſſe tamen, vt, dum viuam, habiturus ſim maximam. Quoniam autem fortaſſe parum eſt, homines officij à ſe perſoluti conſcientia fretos eſſe, &, quidquid rectè faciunt, id oportet etiam populi iudicio, teſtimonióque comprobari: quoniámque non ſatis

eſt

eſt in operto rectè tacere, rectéque ſentire, ſed rectè facta, tanquam pictæ tabulæ, in bono lumine collocari debent, & virtus ſe in magno quaſi theatro ſpectari poſtulat, ſi nullam aliam ob cauſam, at certè vt alij eius incredibili pulchritudine capti, ad eam expetendam, & colendam vehementius inflammētur: dabo operam poſthac, ſi modò & conſequi potero, & vita ſuppetet, vt me & qui hodie viuunt, & qui poſthac naſcentur, non ſolùm habenda gratia, beneficiíſque tuis domi, foríſque & in quotidiano ſermone commemorandis, ſed etiam virtutibus tuis ſempiternæ memoriæ prodendis, grati animi laudem meruiſſe, verè iudicare poſſint. Neque verò eos præteribo, qui pari erga me beneuolentia adducti, ſe liberalitatem, & beneficentiam regis erga me, diligenter ac ſtudiosè tueri velle, re declararũt Ioannẽ Moruillerium, Sebaſtianum Alboſpinam, Ioannem Monlucium, Paulum Foxium, Io. Huraltum Boëtallerium, Herricum Mẽmium, Gul. Marilliacum, Io. Camuſium, Fiſium Saluium, Fitam, Garrautiũ, ceteros, quos hîc cõmemorare longum ſit, ſed ſuo quiſque loco potiùs à me commemorabitur, & veris laudibus ornabitur.

Interea faciendum mihi eſſe exiſtimaui, vt Oratio de linguæ Græcæ vtilitate, & recta Græcorum Latinè interpretandorum ratione, à me pridiè quàm Orationem Demoſthenis κατὰ ἀριστοκράτους explicare inciperem, habita: quam & complures adoleſcẽtes bonarum artium ſtudioſi, & aliquot optimi, ac doctiſſimi viri penè dicam conuicijs efflagitarunt, ea tuæ fidei præſidio munita, tuíque nominis amplitudine ornata, in vulgus emanaret, atque in hominum manus perueniret. quod iam pridem, & ſtatim, vt à me habita eſt, factum eſſet, niſi Lutetiæ totum opificium typographicum, culpa operariorum, qui non, niſi coacti, & ſententia lata damnati, regis edicto parêre voluerunt, diu intermiſſum, aliíque poſtea caſus ſuborti, editionis conſilium retardaſſent. Hoc igitur munuſculum, Philippe Huralte, vehementer abs te peto, atque adeò contendo, vt meo erga te animo, ac ſtudio, non pondere, neque pretio metiaris, aut æſtimes: neque propterea quòd leue, ac puſillum eſt, aſpernere, ſed, quia ab optima & perquàm propenſa mea in te voluntate proficiſcitur libenter accipias, gratúmque atque acceptum habeas. Quod ſi te feciſſe intelligam, vt te factu-

rum

rum confido: me, vt primo quoque tempore maiora tibi parem, acerrimè incitabis. Vale, Lutetiæ a. d. Kalendas Februarias. anno CIↃ IↃ LXXII.

D. Lambinus Lodouico Turnonio Iuſti Turnonij filio, Franciſci Cardinalis fratris nep. optimæ ſpei adoleſcenti. S. D.

SI, quanta benè beatéque viuendi adiumenta habeas, Lodouice Turnoni, tecum ipſe diligẽter cogitabis, reperies profectò paucos eſſe iſto loco natos, qui tecũ comparari poſſint. Primùm enim te natura finxit ingenio docili, acuto, ſolerti, atque ad omneis arteis, doctrináſque liberaleis idoneo atque opportuno: corpore ita benè conſtituto, ac temperato, vt non à quauis iniuria externa lædi poſſit: ea formæ dignitate, vt non ſit metuendum, ne non facile, cùm adoleueris, vel ſola tacita corporis figura omneis ad bene de te exiſtimandum, tibíque dicenti aſſentiendum allicere queas: deinde ita fuit erga te fortuna liberalis & benigna, vt omnia in te

ornamenta cõtuliſſe videatur. Cùm enim auum, patrem, matrem, fratrem, ceteróſq; propinquos, atque affineis habueris, habeáſque ornatiſſimos & clariſſimos, tum magnus patruus, Franciſcus Turnonius Cardinalis (cuius virtutes prædicare, quémque veriſſimis laudibus ornare, multis eius in me meritis prouocatus nunquam defatigabor) tibi is contigit, vt omneis ſui ordinis ſacrorum antiſtites, ſuóſque collegas natione Gallos, auctoritate, gloriáque ſuperarit. Poſtremò eo animo ſunt propinqui tui, vt nihil vehementius optent, quàm vt ſis quàm doctiſſimus atque optimus, hoc eſt, tui magni patrui quàm ſimillimus. Fuit enim ille vir cùm omnibus magnis & heroicis virtutibus præditus, tum omnium bonarum artium & liberalium doctrinarum amantiſſimus, admiratórque accerrimus. Quòd ſi fortè in eo non fuit ſubtilis illa & exquiſita litterarum Græcarum, Latinarúmque cognitio, & præſtans dicendi facultas, quæ in Bembo & Sadoleto fuiſſe dicitur, culpa ſcilicet temporum, in quæ eius puerilis ætas inciderat: at certè fuit amor in omneis bonas arteis & litteras, eóſque, qui eas colerent, ſingularis: ita vt domum ſuam ſemper voluerit in pri-

in primis doctorum virorum comitatu, cœtúque celebrari. Noti enim ſunt omnibus illi Corronęi, Funduli, Danæſij, Ferrerij, Rondeleti, Darcij, ceteri, quibus aſſiduè ſtipatus & domi, & foris erat. Declarant idem eius in litteras ſtudium gymnaſia bonarum artium, quę exſtruenda, condendáque curauit. Cuius conſilium, iudiciúmque, Lodouice Turnoni, quòd non committis vt non dicam improbaſſe (quod verbum neque in ætatem tuam, neque in mores iſtos cadit) ſed deſeruiſſe videaris, equidem te magnopere laudo: tibíque ac tuis omnibus propinquis gratulor. Quòd ſi mihi hanc veniam dabis, vt ego te currentem, miniméque cohortatione mea egentem incitem, hortor te vt alacritatem iſtam non minuas, neque remittas, ſed contrà magis ac magis in dies augeas atq; intendas, hoc tibi perſuadẽs, nobilitatem, qua tu excellis, cũ virtute & doctrina coniunctam, te ad illam, quę tuo patruo magno patuit, dignitatem & gloriam, facillimè prouecturã ac perducturam. Quoniam autem, tametſi mihi pro ea familiaritate & amicitia, quę mihi cũ veſtra domo intercedit, ab illo iam tẽpore, quo ego cũ tuo magno patruo viuere cœpi, nata, non debeat

eſſe ignotus tuorum ſtudiorum curſus, meo tamen penè dicam vitioſo pudore (non enim dicam ſuperbia aut contumacia, à quibus malis longiſſimè abeſt natura mea) factum eſt, vt nihilo magis mihi eſſet explorata tuorum ſtudiorum ratio, quàm alieniſſimo, quòd meam operam tibi vltrò obtrudere non auderem, quotidiéque exſpectarem, dum tu à me pro tuo iure, quæ tuorum ſtudiorũ ratio poſtularet, flagitares, mihíque, vt vni ex domeſticis tuis, quæ velles, imperares: ego tandẽ mea odioſa tarditate & intempeſtiua verecundia damnata, ſumma erga te beneuolentia adductus, à quibuſdam bonis viris de tuorum ſtudiorum ratione quæſiui. à quibus cùm cognouiſſem te cùm in alijs omnibus bonis artibus ac diſciplinis, tum in litteris Græcis diligenter erudiri atque exerceri, orationem, quam anno ſuperiore in gymnaſio Cardinalitio cùm alijs de rebus, tum maximè de recta linguæ Græcæ pronuntiatione habui, commodúmque hiſce diebus, cùm mihi aliud agenti in manus incidiſſet, recognoui, typis mandandam, tibíque conſecrandam eſſe exiſtimaui, ſperans me tibi, tuíſque propinquis gratum facturum, eadémque opera meam

erga

erga te gratam voluntatem, multorúmque tui magni patrui Francisci Turnonij Cardinalis (quem toties iam honoris cauſa nominatũ volo) erga me meritorum memoriam declaraturum, ſi tua ſtudia, quàm maximè poſſem, adiuuarem. Scire autem te arbitror quanti ſit momenti ad rectam inſtitutionem, ſtatim à puero rebus optimis aſſueſcere. Cõſuetudo enim (vt aiunt) altera eſt natura. Quare propinquis tuis primùm auctoribus, deinde magiſtris & præceptoribus monitoribus, poſtremò, ſi operam noſtram non aſpernabere, etiam nobis adiutoribus fretus, diſces primo quoque tempore optima, & hoc Homericum ſæpe tibi ad aureis aduolans perſonabit, Αἰὲν ἀριστεύειν καὶ ὑπείροχον ἔμμεναι ἄλλων. Peto autem abs te, vehementérque contendo, vt hoc munuſculũ non ex eius paruitate ac leuitate, ſed ex animo & ſtudio meo metiare. Hoc ſi facies, me ad maiora & grauiora tibi paranda excitabis. Quòd ad hanc pronuntiandi rationem attinet, quam vulgus nouam putat, cùm ſit antiquiſſima: ſi minus tibi, quòd ſit à vulgata nimis longè remota, & iam obſoleta, probabitur, aut ſi tuis vt eam ſequare non placebit, erit tamen eius cognitio neque per-

ſe illiberalis, neque tibi, qui rebus honeſtis delectaris, iniucunda. Vale. Lutetiæ A. D. III. Idus Aprileis.

Dio. Lambinus Monſtrol. Iac. Amioto V. C. Altiſiodurenſi Epiſcopo, Regis in eius reconditiore Senatu Conſiliario, eiuſdemq; magno Eleemoſynario, S. D.

CVm aſſiduis, & quotidianis precibus à me efflagitata, mihíque penè dicã extorta eſſet oratiuncula, quam nuper habui, quo die orationem pro Milone extra ordinem, nihílque de meo ordinario, & neceſſario litterarum Græcarum docendarum munere detrahens, explicare cœpi: eáque nihilominus ſine aliquo quaſi vindice ac patrono in vulgus exire vereretur: te potiſſimùm, cui hoc munus deferrem, ſiue, vt verius loquar, onus imponerẽ, delegi. Quoniam enim animi ingenui eſt, vt ait M. Tullius, cui multum debeamus, eidem plurimum velle debere: tuam autem erga me beneuolentiam cùm ſæpe alias, tum illo maximè tempore cognoui, atque expertus ſum, quo tempore tu me primùm apud Karolum Regem, deinde apud Karolum

rolum Lotharingum principem,& S.R.E. Cardinalem clariſſimum, atque illuſtriſſ. commendaſti,qua commendatione,&ſuffragatione adiutus,profeſſionis litterarum Latinarum locum, qui biennium totum vacuus fuerat,à Rege obtinui: non dubitaui,quin eius, quem ornandum curauiſſes,ſcripta, qualiacumque eſſent, hoc eſt puſilla,& tua doctrina,tuáq; amplitudine non ſatis digna,tamen, vel quòd eſſent à me profecta,vel quòd tuæ fidei commendata,tutelæq;ue commiſſa, libenter ſuſciperes ab omni externo incommodo defendenda ac protegenda. Quod ſi facies, (facturum autem te ſperabam, atque adeò confidebam)mihi,vt ad maiora ac grauiora tuum patrocinium adhibere atque aduocare audeam,acerrimos ſtimulos admouebis,animumq́ue in dies magis ac magis augebis,& confirmabis. Vale. Luteti ę a.d. III. Kal.Iun.

D.Lambinus Carolo nono, Gallorum Regi potentiſſimo & Chriſtianiſſimo. S.P.D.

SI quis vmquam puer excelſo loco natus, Carole Rex Chriſtianiſſime, do-

meſticis rerum fortiter, iuſtè, præclaréque gerendarum exemplis abundauit. eorum profectò tanta tibi copia ſuppetit, vt, ſiue Franciſcũ I. auum tuũ, ſiue Erricũ II. patrẽ ſpectes, fortiſſimos, potentiſſimóſque Reges, ad quaſcumque illorum actiones propè diuinas, atque immortaleis mente, & cogitatione te conuerteris, maximi, latiſſimíque laudis, & gloriæ campi ſeſe tibi aperire, atque explicare videãtur. Nam tot res, & tantas domi, foríſque geſſerunt, tot populis iuſtum bellum intulerũt, tot ſupplicibus præſidio, ſalutíque fuerunt, tot vrbeis expugnarunt, tam longè, latéque regni Gallici fines pertulerunt, leges tam vtileis, támque ſalutareis ſanxerunt, vt ſi tu, cùm ætate proceſſeris, eorum veſtigia perſequi, aut etiã cum illis certare volueris, non ſit metuendum, ne non, quanto illi ſuperioribus Regibus præſtiterunt, tanto tu illis facilè antecellas. Atque arteis quidem, ac virtutes eorũ bellicas cùm ætas noſtra, patrúmque noſtrorum admirata eſt, tùm omnium gentium, poſterorúmque ſæculorum litteræ celebrabunt. neque verò de ciuilibus, aut vrbanis, quarum hereditas, atque imitatio æquè, atque illarũ, ad te pertinet, poſteritas vnquam conticeſcet.

ceſcet. ſunt enim magno, excelſóque animo digniſſimæ: ſunt grauitatis, ſapientiæ, pietatis, iuſtitiæ, liberalitatis, amoris in Gallorum ciuitates pleniſſimæ. ſed, vt ex his, eas, quæ ad iuris æquabilis deſcriptionem, quæ ad iuſtitiam, quæ ad religiones, ac cæremonias pertinent, prætermittam, vellem mihi tāta ſuppeteret orationis facultas, vt ſingularem Franciſci, aui tui (cuius nomen vigebit memoria hominū ſempiterna) in viros eruditos beneuolentiam, ac liberalitatem meritis laudibus efferre poſſem. Quantis enim præmiis illos inuitauit? quot & quantis muneribus cumulauit? Neque verò in Gallos tantùm, hoc eſt in ſuos, ita animatus fuit, verùm etiam exteros, atque adeò multo impenſiùs, omni beneficiorum genere auxit, atque ornauit. Ex quo factum eſt, vt ex omnibus terrarum oris, ac partibus viri Hebraïcarum, Græcarum, Latinarum litterarum ſcientia clari, philoſophi, iuriſconſulti, poëtæ, rhetores præmiis ampliſſimis excitati in Galliam tuam cōuenirent. Muta tum erant ab illis litteris, à liquida & germana philoſophia, à veterum, & probatorum, auctorum vocibus, Lutetiæ gymnaſia. vigebant in eis ineptæ verborum captationes, & concer-

tationes:inanes,& ſpinoſæ quæſtiunculæ ponebantur:fallaces , & minutæ concluſiunculæ contorquebantur : diſputationibus anilibus,barbaris nominibus , ac vocibus,impolitiſſimorum librorum lectione omnium gymnaſiorum parietes perſonabant.meræ nugæ , meræ ineptiæ , mera barbaries docebatur.Ignoti erant Homerus,Pindarus,Æſchylus ,Sophocles,Euripides:ignoti Plato,Xenophon, Ariſtoteles,Theophraſtus,Plutarchus: ignoti Herodotus, Thucydides , Polybius , Diodorus,ceteri Græci ſcriptores omnes linguæ Latinæ elegantiam,& munditiem , incorruptum Latini ſermonis vſum nemo nouerat,nemo docebat.Hebraïcæ, & Græcæ linguæ ne elementa quidem erant nota: omni elegãtiore,& puriore doctrina, omnibus Græcorum & Latinorum melioris notæ ſcriptorum monumẽtis carebamus. Piget, pudétque referre quanta tum omnium bonarum artium ignoratio Galliam tuam obſeſſam teneret : quantis tenebris populus tuus circumfuſus,ac penè dicam, ſepultus eſſet.Exortus eſt Franciſcus ille, auus tuus, humanarũ litterarũ, omniũmque ingenuarum artium, ac diſciplinarum veriſſimo cognomento parens appellatus: qui

qui rus merum, qui fœdam barbariem, qui graue virus, qui craſſas tenebras è ſcholis, ex vrbibus, è tota Gallia ſuo ſplendore depelleret, fugaret, diſſiparet: ſermonis Hebraïci, Græci, Latini, omnium artium honeſtarum, & reipub. vtilium ſtudia in hominibus ingenio præſtantibus commoueret, atque excitaret. Id autem hac ratione aſſecutus eſt. Lutetiæ duodecim doctores partim Gallos (in quibus erãt illa Galliæ tuæ ornamenta, Franciſcus Vatablus, Petrus Daneſius, Iacobus Tuſanus, Dionyſius Coronæus, Orontius Finæus) partim aduenas (in quibus erant Bartholomæus Latomus Germanus, Io. Poblatius Hiſpanus, Agathius Guidacerius, Paulus Paradiſus, vterque item Hiſpanus, Io. Stracelius Flander, Vidus Vidius Florẽtinus,) propoſito, atq; attributo eis honeſtiſſimo præmio inſtituit: quorum alij mathematicas arteis, alij Hebraïcas litteras, alij Græcas, alij Latinas, alij philoſophiam ex ipſis fontibus hauſtam, alij artem medendi, & maximè eius partem eam, quæ chirurgicè à Græcis appellatur, publicè docerẽt. Frãciſco ſucceſſit Erricus, digniſſimus patre filius, pater tuus, rerum domi, foriſque geſtarum gloria clariſſimus: qui patrem cùm

cæteris rebus omnibus penè veſtigiis ipſis perſecutus eſt, tùm eximio in litteratos, & eruditos homines amore, ac ſtudio cum illo certauit: atque in eorum, qui vel exceſſerant è vita, vel alioqui ſua ſponte docendi munere defuncti fuerant, locum viros ingenio, doctrináque præſtanteis ſubſtituit, P. Gallandium, Iac. Siluium, Iac. Gopylum, P. Ramũ, Adr. Turnebum, Fr. Vicomercatum, Io. Auratum, Paſchaſiũ Hamelium, Io. Calignium, Nic. Penam, Io. Mercerum, Bertinum Comitẽ, Rod. Maïnum Britãnum, Io. Quinquarboreum. Ita vtroque regnante artes, litteræ, diſciplinæ omnes in Gallia floruerunt. Nam armorũ quidem, rerúmque bellicarum gloria iampridem ceteris nationibus aut pares, aut etiam ſuperiores eramus: litterarum autem, atque artium libero dignarum laudibus antè quàm Franciſcus auus tuus regnum obtineret, certè vincebamur. At nunc iidẽ Franciſci aui tui, & Errici patris beneficio ita litteras amplexi ſumus, vt non modò iam cum Germania, (quæ diſcentium, atque eruditorum multitudine ſemper abũdauit, neque minus vnquam litterarum, quàm armorum cupiditate, ſtudióque flagrauit:) verùm etiam cum Italia, (quę cùm

viros

viros acumine ingeniorum, ſolertiáque iudicandi præſtantes gignere exiſtimatur, tùm Latinarum quidem litterarum hereditatem quodam veluti gentilitatis iure ſibi vendicauit: Græcarum autem poſſeſſionem quaſi vacuam, & caducam euerſa, ac deleta Græcia celeriter occupauit,) vltro pedē conferre, atq; in certamen deſcēdere audeamus. Hunc igitur ingeniorum cultum, hanc humanitatem, hanc optimarum artium celebritatem, quam ab auo, & patre tuo conſecuti ſumus, tuæ perſonæ decorū eſt, Carole: tuis maioribus dignum: ei ſpei, quam de te habemus, conſentaneum, te ſtudioſè tueri, diligentérque conſeruare. Non enim credibile eſt, te ita dicturum ſatis eſſe, ſi artis militaris, & bellicæ gloriam tibi ab illis relictam retineas: de vrbanis, & ciuilibus artibus non eſſe tibi magnopere laborandum. Nam primùm, quarum artiū exercitatio tuis maioribus tātopere fuerit probata, eas te arteis improbare, amplitudinem, ac maieſtatem tuam non decet: deinde ne te quidem præterit, vtpote, à præſtantiſſimis doctoribus, ac magiſtris inſtitutum, optimíſque præceptis imbutū, &, quod caput eſt, naturæ bonitate valentem, ſcientiam inſcientia, ſapientiámque inſi-

pientia longè eſſe potiorem, ac præſtabiliorem: neque eſſe conſentaneum, cuius Regis populus aureis habeat tereteis, eruditas,& purgatas, ingeniúmque doctrina expolitum, eum Regem, litterarũ,& ſcientiæ ſuauitatem neque auribus ſentire velle, neque cogitatione comprehendere, ac percipere curare. Neque porrò exiſtimo, tibi id probatum iri, quod de Alexandro Magno Philippi Macedonum Regis filio ſcriptores locupletes memoriæ prodiderunt, illum ita animo fuiſſe affectum, vt quoties Philippus aut vrbem aliquam nobilem cepiſſe, aut prælium ſecundum feciſſe, aut victoria aliqua denique potitus eſſe nuntiaretur, non admodum lætè ferret, ſuíſque æqualibus diceret, patrem nihil magni præclaríque, quod gereret, ſibi relicturum, exiſtimans, quanto plureis vrbeis Philippus expugnaſſet, quantóque plureis victorias peperiſſet, tanto ſe aut pauciores rerum à ſe gerendarum occaſiones habiturum, aut ſibi pauciora, quę ſubigeret, ac domaret, reliqua futura. Quamuis enim eſſet hoc inſigne,& luculentũ eius animimagnitudinis, & gloriæ cupiditatis argumẽtum: ſi fortitudinem tamen non corporis viribus, ſed animi robore metimur:& ſi altitu-

titudinem animi nõ in fortunæ temeritate, neque in militum lacertis, ſed in animo inuicto poſitam eſſe arbitramur: &, ſi ſolidam, verámque gloriam non in expugnãdis vrbibus, neque in propagandis imperij finibus, ſed in cohibendis, & comprimẽdis animi motibus, rebúſque ſecundis moderatè, ſapientérque ferendis locatam eſſe exiſtimamus: fuiſſet illud profectò multò certius magnæ ad virtutem futuram indolis Alexandri ſignum, primùm ſecunda Philippi patris fortuna, victoriiſqúe lætari: deinde rationem inire, quemadmodum tot ciuitates, tot populos, tantum regnum ſapienter, iuſtéque moderari poſſet, quàm in incerto belli euentu, ſpem gloriæ ſuæ collocare. Nam, cùm duæ ſint artes potiſſimùm, in quarum ſtudium reges incumbere, quas perdiſcere, in quibus verſari vel ſoleant, vel debeant, vna militaris, & bellica, per quam hoſtilis, & externa iniuria ꝓpulſetur: altera ciuilis, & vrbana, & quodãmodo togata, per quam ciuitates optimis legibus, inſtitutíſque temperatæ, concordia, otio, opibus, virtute floreãt: dubitari non debet, quin ea, per quam populis vita beata quæritur, & cuius cauſa prior illa eſt comparata lõgè illi ſit anteponẽda.

Bella enim non niſi neceſſariò ſuſcipiuntur: neque quiſquam eſt, niſi immani planè ingenio præditus, qui non per diſceptationem, ac rationem, quàm per vim, & ferrum ius ſuum obtinere malit. Cùm illud nō liceat, ad hoc decurritur, vt iniuria ferro repulſa, iure noſtro armis recuperato, victoria bello parta, otio, pacéque potiamur. Quēmadmodum autem nauis gubernator ad curſum ſecundum, medicus ad ægri ſalutem ſuas omneis curas, & cogitationes refert: ſic bono principi, eorum, quibus præeſt, vita beata propoſita debet eſſe, vt illi fortunę bonis ſint locupletes, & copioſi: viribus corporis valētes, ac robuſti: omnibus animi virtutibus inſtructi, atque ornati: gloria, famaque præſtantes, & clari: quæ tum denique contingere ſolent cùm Reges ſedulò dant operam, vt ſint ipſi bellicoſi ſimul, & ſapientes: cumq̃ue ſapiētiæ, iuſtitiæ, pietatis æquè, atque artium bellicarum cupiditate, ſtudioq̃ue ducuntur. Itaque antiquiſſimi illi poëtę non aliam (opinor) ob cauſam Palladem armatā finxerūt quàm, vt ſignificarent in Regibus, & rerū pub. moderatoribus bellicam virtutē cum ſapientia coniunctam, & copulatā eſſe oportere. Quam rationem ſecuti priſci illi

heroës

heroës in diſciplinam hominum erudito-
rum, longóque vſu peritorum filios ſuos
ſtudioſè tradebant: & Reges ipſi doctos
viros, & ſapienteis in comitatum, amici-
tiamqúe ſuam cupidiſſimè recipere ſole-
bant. Sic fortiſſimum illum Græcorum A-
chillē Pelei Theſſalorū regis filium à Chi-
rone Centauro puerū eruditū eſſe litteris
proditū eſt: & eidē iuueni ad Troiā profe-
cto Phœnix ait apud Homerū ſe comitē,
& cuſtodē iccircò à patre eſſe additum, vt
illum efficeret oratorem verborum, acto-
rēque rerū. Summus ille Athenienſiū cō-
cionator Pericles, qui annos quadraginta
doctrina, conſilio, eloquētia dicitur Athe-
nis præfuiſſe, priuſquam ad rempublicam
accederet, ab Anaxagora Clazomenio fue
rat inſtitutus: Timotheum, Cononis præ-
ſtantiſſimi imperatoris filium, Iſocrates:
Epaminondam Lyſias Pythagoreus: Ale-
xandrum magnum Ariſtoteles erudierunt.
Ageſilaum Xenophon: Philolaum Archy-
tas Tarentinus: Dionem Plato Athenien-
ſis docuerunt. Sapientum autem conſue-
tudinem, & amicitiam à Regibus eſſe ap-
petitam, teſtimonio ſunt Solon, & Ana-
charſis: quorum alterius ſermone, & con-
greſſu magnopere Crœſus eſt delectatus,

atque adiutus: alterum cùm Darius litteris & promiſſis inuitaſſet, nihil profecit: teſtãtur Plato, & Ariſtippus, qui cum Dioniſio vixerunt: & Caliſthenes, qui cum Alexandro: alij denique quàm plurimi. Iam verò in ijs, qui ſapientiæ, doctrinæqúe laudibus clarent, non poſtremum locum poëtæ videntur obtinere. Quin ſi verum quęrimus, vel iidem fuerunt olim poëtæ, & philoſophi: quem in numerum referre licet Orpheum, Amphionem, Muſęum, Homerũ, Heſiodum, Solonẽ, Phocylidem, Xenophanem, Parmenidem, Epimenidem, Empedoclem, Platonem: vel, ſi qui Philoſophi à ſtudio poëtico fuerunt remotiores, quales ſunt poſteriores, ij, niſi poëtarum auctoritate, ac teſtimonio ſua decreta cõfirmarẽt, ac fulcirẽt, à periculo ruinæ non procul abeſſent: vt omittam, quòd plerique ex his ad vitam benè, & ſapienter inſtituendam non multùm adiumenti vidẽtur attuliſſe: At ex poëtis (eos excipio, qui nihil præter voluptatem lectoris quęrunt) vix vllum reperias, qui non aut à vitio quidem, turpitudinéque animos auocet: ad virtutem autem, & honeſtatem excitet, atque acuat: aut mores corruptos emendet, & corrigat. aut res vel temperanter, moderatéque

ratéque factas, vel magnificè, fortitérque geſtas immortalibus laudibus efferat, atque ad ſempiternam memoriam cõſecret: aut illuſtria virtutum exempla ex omni antiquitate repetita huius ætatis hominibus ſuppeditet: aut homines calamitoſos, & grauibus fortunæ caſibus afflictos ſoletur, atque extollat. Quis philoſophus vmquam vel diſtinctius, quid ſit virtus, quid vitium: quid turpe, quid honeſtum, diſputauit: vel planius honeſti pulchritudinem, inhoneſti deformitatem: ſapientiæ vim, & vtilitatem, inſipientiæ imbecilitatem, atque incommoda diſputando demonſtrauit, quàm Homerus diuinis ſuis carminibus ante legentium oculis conſtituit? quis hominum mores, & motus: quis animantium naturas: quis ſola terrarũ: quis æſtus, & fluctus marinos: quis ventorum flatus: quis nauigandi pericula, tempeſtatéſque aduerſas: quis temporum varietates: quis præliorum imaginem: quis vrbium oppugnationes: quis acies inſtructas: quis imperatorias virtutes: quis rationem moderandorum animorum: quis formam benè moratarum ciuitatum: quis denique omnium rerum, quæ hac vniuerſitate continentur, varietatem illuſtrius vmquam

Homero depinxit? Quid cæteros poëtas, Epicos, Lyricos, Tragicos, Comicos perſequar: quorum vel nomina commemorare longum ſit? ſed tamen quantum ex ſingulis generibus fructum, quantáque cum voluptate coniunctum percipiunt, qui in talium ſcriptorũ lectione verſantur? Quid quòd poëtæ principibus, & regibus, atque adeò diis immortalibus cari fuiſſe dicuntur? vt Caſtori, & Polluci Simonides; Apollini Pindarus: Polycrati Samio Anacreon: Æſchylus, & Simonides Hieroni: Dionyſio Siculo Polyxenꝰ: Euripides Archelao: Scipionibus, & Catoni maiori Ennius: Scipioni Africano minori, & Lælio Sapiẽti Lucillius: Memmio Lucretius: C. Cilnio Mœcenati, M. Vipſanio Agrippæ, Cęſari Auguſto Virgilius, Varius, hic, quem tibi nunc donamus, Qu. Horatius Flaccus. Pittacus Alcæo, à quo fuerat non ſolùm verſibus, & ſtilo violatus, verùm etiam armis, & ferro appetitus, cùm ille in poteſtatem ſuam veniſſet, iniuriam acceptam remiſit, atque ignouit: C. Iulius Cæſar eadem lenitate, & clementia vſus C. Valerio Catullo, à quo fuerat petulantiſſimis, & contumelioſiſſimis verſibus laceratus, ſecum redeũdi in gratiam poteſtatem fecit.

Eundem

Eundem Catullum Manlius Torquatus, Tibullum Valerius Meſſala, ſingulari beneuolentia complexi ſunt. Sed quorſum tã multa de litteris, philoſophis ac poëtis? vt primùm oſtendam, clariſſimorum & ſapientiſſimorum principum, regúmque, atque imperatorum factum & inſtitutum, Franciſci primi, aui tui, & Errici ſecundi, patris, Regum maximorum, iudicio eſſe comprobatum: deinde vt te ſpõte tua currentem ad parem in litteras, & litteratos voluntatem, ſimiléque ſtudium excitẽ: poſtremò vt, quẽ poëtam C. Cilnius Mæcenas, eques Rom. nobiliſſimus: M. Vipſanius Agrippa, dux exercitus clariſſimus: Cæſar Auguſtus, princeps fortunatiſſimus, plurimi fecerunt, vehementérque dilexerunt, cuiúſque conſuetudine, & ingenio, & moribus plurimùm delectati ſunt, eius ſcripta, multorum quidem ſæculorum auctoritate comprobata, ſed temporum, litteris inimicorum, culpa, valdè deprauata: quæ nunc ad te defero quàm plurimis locis non ſine meo magno labore, ac ſudore propemodum ſuę natiuæ integritati reſtituta, ac mendis fœdiſſimis perpurgata, iuſtíſque commentariis à me explicata, atque illuſtrata, eo vultu accipias, eóque ani-

mo complectare, quo vultu, & quo animo Franciſcus auus tuus: quo Erricus pater, ſapientiſſimi Reges, genus hoc ſcriptorum accipere, atque amplexari ſolebant. Enimuerò, Carole, non ego ad te poëtam aliquẽ vnum de multis affero: ſed poëtam omnibus ſuis numeris perfectum, atque abſolutum: ſummum, atque adeò ſolum, in tota lingua Latina Lyricum: Satyrarum ſcriptorem præſtantiſſimum, atque excellẽtiſſimum: multiplici, & varia rerum copia refertum: illuſtri verborum ſpendore illuminatum: ſententiarum pondere grauiſſimũ: ſcribendi elegantia politiſſimum, ac puriſſimum: orationis figuris ornatiſſimum: in cudendis nouis vocabulis ſine inuidia feliciſſimum, ſine vituperatione audaciſſimum: in Græcorum loquendi generibus imitandis & cum prudentia, iudicióque liberrimũ, ac ſolutiſſimum: & cum libertate, licentiáque cautiſſimum, ac prudentiſſimum. Nemo vmquam Latinorum iuſtitiam, fidem, continentiam, parſimoniam, religionem, patientiam pauperatis, contemtionem rerum humanarum laudauit ornatius: nemo iniuſtitiam, perfidiam, libidinem, auaritiã, luxuriã vituperauit acerbius: nemo ad ſubeũda pro patria pericula at-

atque ad mortem pto libertate oppetendam inflammauit ardentius. Nemo neque ad virtutem acrius excitauit, neque à vitio grauius reuocauit: nemo bellorum ciuiliũ calamitatem miſerabilius deplorauit: nemo neque amores cantauit mollius ac tenerius, neque tempeſtiuorum conuiuiorũ hilaritatem deſcripſit floridius: nemo hominum ſuæ ætatis mores carpſit vrbanius. dies me deficiat, ſi huius poëtæ virtutes poëticas non modò perſequi, & commemorare ſcribendo, aut diſtinguere partiendo, ſed etiam recordari cogitando, aut notare coner obſeruãdo. Quòd ſi poëta omni laude cumulatus, omnibúſque ſuis partibus abſolutus, & perfectus ille eſt, qui voluptatem, & delectationem lectoris cũ vtilitate, fructúque coniunxit: ſine cõtrouerſia ceteris omnibus poëtis Græcis, ac Latinis (Homero excepto) Q. Horatius Flaccus meritò eſt anteponendus: in quo ſic dulcedo cum vtilitate certat: ita ſuauitas grauitati par eſt, vt, ſi detracta voluptate, ac dulcedine, ſola grauitas, vtilitáſque ſpectetur, hæc lectorem in legendo retinere queat: contrà ſi quis demta vtilitate, ſolam verſuũ dulcedinẽ, ac iucunditatẽ ſequatur, hæc cũ ſua illecebra captũ

vt in ſe continenter affixus inhæreat, pellicere poſſit. Ex his autem commentarijs cũ ipſo Flacco coniunctis, cùm duo corpora feciſſem, quorum alterum ad carminum, alterum ad ſermonum libros pertinet: eam potiſſimùm partem tibi dicandũ eſſe iudicaui, quæ, propterea quòd & ordine prior, & argumenti, rerúmque amplitudine elatior atque grauior, & verborum ſplendore illuſtrior, atque ornatior, & concinnitate venuſtior, ac floridior, & varietate ipſa gratior, ac iucũdior eſt, tuæ ætati ſimul, & maieſtati magis conuenire videbatur. Vale, & regna. Idib. Aprilis anno cIↄ. Iↄ. LXI. Lugduni.

Dioniſius Lambinus clariſsimo & ampliſ. viro Franciſco Turnonio S. R. E. Cardinali.

DVę res eſſe dicuntur, clariſſime atque ornatiſſime Cardinalis, quæ ad laudẽ ac virtutẽ, vel ſingulę magnopere valeant: multóque adeò magis, ſi ambæ in vno, eodémque homine concurrant, natura & doctrina. Sed cùm perraró accidat, vt aut is, quem natura ad ſingularem quandam virtutis præſtantiam finxit, doctrinam cum

ingenij, naturæque bonitate cõiungat: aut is qui acerrimo doctrinę ſtudio incenſus totam ætatem in veterum ſcriptis legendis ac peruolutandis conterit, ea, quam dixi, naturæ bonitate fretus diſcendi cupiditatem, longius prouehere, fæliciúſque promouere poſſit: tùm illud eſt hominum genus multo rariſſimum, qui primùm omnibus & naturæ & doctrinæ bonis cumulati, atque inſtructi: deinde in Reipub. adminiſtratione, muneribúſque ciuilibus aſſiduè verſati non ſolùm expreſſam ac ſolidam virtutis ſpeciem animo contemplari, & cogitatione comprehendere potuerunt, verùm etiam eius vſum, atque vtilitatem tùm ſuis ciuibus, tùm exteris nationibus impertire ſtuduerunt. Quod quidem ex hominum genere niſi te in primis eſſe & ſentiret & predicaret non modò Gallia, cui te notiorem eſſe credibile eſt, ſed etiam Italia & Hiſpania, quæ duę orbis terrarũ partes, & de virtutibus tuis ſępè audierunt, & te pręſentẽ vehementer admiratę ac veneratę ſunt: ego longiore oratione diligẽter & accuratè collectis, ac ſub vno aſpectu poſitis legationum abs te obitarum, peregrinationum, conſiliorum, pacificationũ, cęterarum denique rerum abs te geſtarum,

monumentis ac teſtimoniis, id quòd dico, docere atque oſtendere conarer. Nunc autem cùm ſint hæc omnibus nationibus notiſſima, nihílque ſit totius tuę vitæ curriculo clarius atque illuſtrius, quippe quæ in oculis potẽtiſſimorum populorum, atque in media regnorum ac rerumpublicarum luce aſſiduè verſata eſt: non committam, vt dum ea quæ omnium mortalium voce ac prædicatione cõprobata, omnium populorum vno ore teſtata, multorum Pontificum romanorum, Regum, Imperatorũ ſenſibus intimis impreſſa ſunt, mea oratione amplificare & illuſtrare ſtudeo, rebus clariſſimis tenebras offundere videar. Hoc tantùm dicam, illud mihi in te videri ſumma laude, atque admiratione digniſſimũ, te hominẽ maximis Reip. curis diſtrictũ, plurimis ac grauiſſimis occupationibus diſtẽtũ, ita non intermittere ſtudia doctrinæ, vt quotidie horas aliquot ad libros veterũ vel legendos, vel animo tuo rerum ciuilium cura ſuſpenſo ac defatigato, audiendos tibi ſeponas. Quod vt minore negotio, & maiore cum animi oblectatione efficere queas, curaſti, vt domi tuæ viros haberes omnium ingenuarum artiũ laude præſtantes, quibuſcum de literis, de numerorũ

ac

ac magnitudinum proportionibus ac menſuris, de ſonorum ac vocum diſtinctionibus, & interualis, de rebus occultis, & ab ipſa natura inuolutis, de variis poëtarum generibus, de optima dicendi figura, de iure ciuili, de rebus diuinis communicare, & ſermones conferre poſſes. Neque verò nũc primum iſtud facere inſtituiſti, ſed quo tẽpore tibi per occupationes tuas ſtudio doctrinæ, & litterarum dare operam nõ licebat, cum Hiſpanienſes, Italicas, Britanicas legationes obibas: cùm totius Regni Gallici clauũ tenebas, gubernaculáque tractabas: cũ in mediis curarum ciuilium vndis, negotiorúmque publicorũ fluctibus verſabaris, eo tẽpore doctiſſimorũ virorũ comitatu ſtipatus iter faciebas, equitabas, nauigabas, diuerſabere. Cui enim ignoti, aut inauditi ſunt magnarum artium principes illi D. Coronæus, Hier. Fundulus, P. Daneſius, nuper ob eximiam virtutem ac ſingularẽ doctrinam Vaurẽſis Põtifex creatus. Ar. Ferrerius, N. Valla, ambo Iuriſcõſulti, & Centũuiralis cõſilij Pariſiẽſis lectiſſimi Iudices, Regíſq; cõſiliarij, N. Binetus, & Ma. Oriſius Theologi, Fr. Rõdeletus medicus in primis eruditus, aliíque cõplures doctiſſimi & eloquẽtiſſimi viri? Túcigitur

te talium virorum circũſtabat comitatus, cum tantum tibi temporis in ſtudiis doctrinæ ponere licebat, quantum à grauiſſimis Reipub, curis, occupationibúſque ſuperabat. Nunc autem cùm tanquam fortis & inuictus miles, qui poſteaquàm luculenta ſui animi, ſuæq́ue virtutis ſigna dedit, multis præliorum laboribus ac periculis perfunctus, multíſq; victoriis potitus eſt, ſi non vacationem militiæ, & excuſationẽ ætatis, ac laborum remiſſionem ab Imperatore impetrat: Sic tu rebus præclariſſimis conſilio & ratione geſtis, in vrbe totius Italiæ pulcherrima, opulentiſſima, quietiſſima, pacatiſſima à priſtinis tuis curis ac laboribus non omnino quidem conquieſcis, & vacas, ſed aliquantulum laxamenti nactus reſpiras: tum tibi multo minus exiſtimas talium virorum cœtu, & præſentia eſſe carendum, quibuſcum ſtudia doctrinæ olim propter grauiſſimas illas occupationes tuas, abs te non ita accuratè, liberéque culta, paulò ſolutiore animo repetas, retractes ac recolas. Atque alij quidem pro ſuo quiſque gradu & munere præſto tibi ſunt, tibi operã dãt, tibi inſeruiũt homines in ſua quiſque arte nobiles ac præſtantes, P. Villarius iuriſconſultus do-

doctiſſimus, idémque Centumuiralis conſilij Pariſienſis iudex ſelectus, & Regis cõſiliarius. B. Broæus item iuris peritiſſimus, Vincen. Laurus Philoſophus acutiſſimus, medicúſque clariſſimus. Donat. Iannoctius cùm omnium rerum magnarum cognitione in primis inſtructus, tùm ſingulari probitate, atque humanitate ornatus ac perpolitus, G. Torôdes Latinis & Græcis literis admodum eruditus, Io. Darcius: ego autem quicumque ſum(neque enim de me dicere attinet,(ſed ego tamen, quãdo me quoque in tuorũ numerum aggregare voluiſti, cùm tu ſuperioribus annis(vt memoria tenes) Ariſtotelis libros decẽ de Moribus ad Nicomachum Græcos partim legeres, partim me legẽte reguſtares ac recognoſceres, vnáque adhiberes Latinos quoſdã interpretes, ex quibus alij tibi inquinate loqui, alij nõ ſatis fideliter Ariſtotelis ſententiã interpretari viderẽtur atque ob eã cauſam iuſſiſſes me operãdare vt hos libros tibi in linguam Latinã cõuerterem, ita tamen, vt orationẽ meã non nimis dilatarẽ(quod quidã non ſatis conſideratè fecerant)ſed quoad eius facere poſſem, Ariſtotelis breuitatem & limatiſſimum diſſerendi genus imitarer, atque exprimerẽ:

honeſtiſſimæ tuæ voluntati cum primùm potui, mihi obtemperandum eſſe exiſtimaui. Neque verò eo cõſilio id feci, vt in manus hominum aliquando peruenirent, ſed tantum, vt tuo ſtudio gratificarer, tibi officium meum præſtarem, me hoc ære alieno liberarẽ. Verùm cum hos libros Adriano Turnebo Galliæ noſtræ ornamento, Lodoico Corrado Mantuano ſapientiſſimi, maximi animi, munificentiſſimi, omnium denique virtutum laude præſtantiſſimi viri VIDI BALDI Vrbinatum reguli familiari ac domeſtico, ea mente legendos dediſſem, vt iudicium interponerẽt ſuum: hortati ſunt me, vt quæ tibi vni elaborauetam, ea cum cæteris communicarem. Acceſſit ad Turnebi, Corradi hortationem, P. Manutij doctiſſimi & eloquentiſſimi viri conſilium, atque auctoritas. A quo tamen incœpto longè refugiſſem, valdéque abhorruiſſem, ſi te id moleſtè laturum ſuſpicatus eſſem: Sed cùm intellexiſſem tibi quoque horum diuulgandorum librorum conſilium probari: non putaui quenquam, quod talibus viris auctoribus, hortatoribus, approbatoribus ſuſcepiſſem, id à me minus conſideratè factum ac ſuſceptum eſſe dicturum. Iam verò cur eos in tuo nomine

mine apparere voluerim, neminem arbitror quæſiturum, qui modò & audierit eoſdem te impulſore, atque auctore à me latinitate eſſe donatos, & ſcierit me, quanuis longo poſt interuallo, in eorum eſſe numero tamen, quos tibi nomine literarũ domum tuam accerſendos, atque in fidem tuam recipiendos, omni denique liberalitatis, & beneficentiæ genere afficiendos eſſe duxeris. Quando igitur hoc, qualecũque eſt, à me profectum, domi tuæ natum eſt, tibíque tuo iure debetur, petam abs te, ampliſſime Cardinalis, vt qua me ipſum beneuolentia complecti ſoles, eandem huic muneri, quod ad te defero, præſtes: exiſtiméſque tibi hos libros non eſſe tanquam hoſpites domum tuam recipiendos, ſed vt domeſticos fœtus recens editos, tua præſtanti fide ab omni externa iniuria defendẽdos, tuóque firmiſſimo præſidio muniẽdos. Vale. Venetiis. a. d. 17. Cal. Maias. Anno CIↃ IↃ LVIII.

Dionyſ. Lambinus Errico Memmio viro Clariſsimo, Supplicum libellorum in regia magiſtro.

CVm Gallis tuis, exterarûmque nationum hominibus ea munera largiris, Errice Memmi, quæ non ex arcis & loculis tuis, ſed è reconditiſſimis & locupletiſſimis bibliotheeæ tuæ ſcriniis depromta, vtilitates eis afferunt, non ad corpus, aut ad rem familiarem, ſed ad animum pertinenteis, longè melius profectò de iis mereris, quàm vt tibi parem gratiam referre queant. Nam ſi eos, qui corporum morbis remedia vel ipſi inuenerunt, vel ab aliis inuenta adhibent, eóſque, qui in viros bonos rerum ad victum neceſſariarum egeſtate laboranteis, beneficentiam ac liberalitatem conferunt, tantoperè laudare, tótque ac tantis honoribus afficere ſolemus, cùm tamen & viris fortibus corporum morbi ſint tolerabiles, & multi in paupertate beatè vixerint: qui verò animum non habeat ab angoribus purum ac vacuum, cupiditatibus liberum ac ſolutum, virtute præditum, doctrinàque excultum, non miſer eſſe non poſſit:

poſſit:te,qui in hominum genus ea beneficia confers,quæ non ad corporis dolorẽ minuendum, grauitatémque leuandam: non ad rei familiaris tenuitatem ſuſtentandam,iacturámve ſarciendam, ſed ad animorum diuitias altè exſtruendas,atque exaggerandas, ad animos bonis litteris, ingenuíſque artibus excolendos atque inſtruendos,ad animorum denique trãquillitatem,ſanitatémque comparandam tantopere valent,quibus laudibus ad cælum efferemus? quibus honoribus ornabimus atque augebimus? omnino nihil à quoquã excogitari poteſt quod tuis in homines humanitate politos beneficiis æqualiter reſpondere poſſit. Verumtamen cùm bonorùm omnium humanorum honos ſit maximum: cúmque diis immortalibus (quorũ in hominum genus beneficia, lõgè ſunt & plurima & maxima) nihil maius tribuere aut ſoleamus,aut poſſimus,quàm honorem, gratámque eorum, quæ ab iis accepimus,memoriam:cùm denique,etiãſi quæ viciſſim à nobis accipiunt,præ multitudine & magnitudine ſuorum erga nos munerum pauca & parua eſſe intelligant, nihil tamen maius à nobis requirant: ídque, quod à nobis ſedulò redditur, æqui

boni faciant: quemadmodum homines, licet tuorum erga ſe meritorum admiratione obſtupeſcant, nihilominus gratiam tibi, qualemcumque poſſint, referre, aut certè gratam voluntatem remetiri debent: ita te naturam in hoc tuam, quæ veram & ſolidã gloriam, non inanem gloriæ imaginem, ſemper expetiuit, ducem ſecutum, tuorum benefactorum conſcientia fretum, nullam præterea aliam mercedem, quàm liquidiſſimam & ſinceriſſimam voluptatem ex tua in homines benignitate natam ac profectam, flagitare, aut exſpectare, ipſáque honeſtate (quod facis) contentum eſſe decet. Neque enim beneficia tua fæneraris, ſed ad bene merendum de hominibus natura factus, honeſtatem ac pulchritudinem virtutis, vnicum & verum tuæ beneficentiæ, omníſque virtutis fructum eſſe putas. Atque vt hoc naturæ tuæ maximè conſentaneum eſt, ideóque in te eſt probabiliſſimum, miniméque mirabile: ſic de multis aliis ſi hoc idem dicatur: & remotiſſimum à vero iudicetur, & fidem omnem ſuperare videatur. Tu enim ſcilicet, qui virtutis & honeſti ſpeciem aſſiduè animo contemplaris, acerrimíſque mentis oculis contueris, eius incredibili amore

amore inflammatus, nihil præterea admiraris, non emolumentum non gloriam inanem, non auram popularem. non cetera, quæ cuiuis de populo contingere queāt: vſque adeò, vt, quod à Platone dictum eſt, virtutis ſpeciem oculis corporis non cerni: quòd ſi cernatur, mirabileis ſui amores excitaturam: in te comprobatum & confirmatum eſſe videatur. Illi autem veræ laudis dulcedinem numquam guſtauerunt, ſed falſa vtilitatis & voluptatis & gloriæ ſpecie decepti, in ſtudio rerum inaniſſimarnm conſeneſcunt: litteras, & litteris expolitos homines odio acerrimo perſequuntur, eóſque in circulis, in conuiuiis, apud ſui ſimiles, apud diſſimileis, apud omneis contumelioſiſſimè lædunt, atque inuidioſiſſimè criminantur. Ita effrenatis, & indomitis pecuniæ, & diuitiarum cupiditatibus incenſi, tantum abeſt, vt reip. proſint, aut conſulant, vt etiam ſint peſtiferi & pernicioſi ciues. Tu verò (vt cetera tua in remp. merita hoc loco ſileam). quam habes omni librorum & calamo deſcriptorum, & typis impreſſorum genere inſtructiſſimam ac refertiſſimam, impenſóque emtam bibliothecam, eam ita

omnibus noſtri ordinis hominibus patefacis, vt non tibi, ſed omnibus comparaſſe videaris. Ex ea enim antiquiſſima & fideliſſima depromta exemplaria cum iis libēter ac iucundè communicas, quos exploratum habes & poſſe, & velle fructus inde decerptos, reip. impertire. Neque verò veteres ſolùm tuas membranas ad communem omnium & publicam vtilitatem confers, ſed etiam auctoritate & gratia tua, quibus in primis flores, aſſequeris, vt ſiqui fortè antiqua aliqua habeant exemplaria, quorum ſimila alia habeas, aut etiam non habeas, ipſi vltrò, aut certè à te admoniti & rogati, ad te deferant, vt vel iis vtare pro tuis, vel eorum teſtimonio tuorum fides confirmetur: id quod etiam nobis in hoc negotio conficiendo plurimùm profuiſſe experti ſumus. Quare quemadmodum rex ille regum Agamemnon optat apud Homerum, vt decem Neſtoris ſimileis habeat: quod ſi acciderit, non dubitat, quin breui Troia ſit peritura: ſic regi nòſtro Carolo optādum ſit, vt decē habeat Memmij ſimiles: quod ſi contingat, dubitare non debeat, quin barbaries & ignoratio bonarum litterarum, quæ tametſi magna ex parte profligata,

& fugata eſt, eius tamē etiam nunc in quibuſdam Galliæ locis veſtigia remanent, funditus ex tota Gallia in perpetuum ſit exſulatura. Neque tamen hoc ita accipi velim, quaſi negem complureis alios eſſe ornatiſſimos atque ampliſſimos viros, qui & litteras ament, & litteratis faueant, eorúmque cauſa omnia cupiant. ſed horum alios impedit rerum priuatarum cura: alios reipublicæ occupatio diſtrictos tenet: alios ambitio moratur ac retardat: alij litterarum ſtudium ad vſum priuatum, aut ad oblectationem domeſticam ſibi reſeruant: de litteris in publico ſermonem habere, aut earum ſcientiam præ ſe ferre perſonæ ſuæ parum decorum eſſe putāt: alij, etiamſi ſe litteras didiciſſe non diſſimulent, pro litteratis tamen viris, ijs maximè, qui ſolo litterarum nomine commendantur, laborem aliquem, aut moleſtiam ſuſcipere nolint. Te autem neque rei familiaris, (quę tuo merito lautiſſima & ampliſſima eſt,) amplificandæ ſtudium, neque reipublicæ (in qua magna cum laude verſaris) adminiſtratio, neque vel honoris eius, quem adeptus es, vel eorum, qui te manent, curſus, neque quicquam aliud à perpetuo in litteras & litteratos homines ſtudio atq; officio

reuocat:neque tuá perſonam decere exiſtimas etiam foris declarare, palámque profiteri te litteras didiciſſe:ſed vt eæ maximo tibi ſunt ornamento, ſummóque ad negotia & priuata & publica gerenda adiumento: ita eas colere, atque ornare, te decere, tuum eſſe, tuæ perſonæ conuenire putas:neque ſatis habes litteras in ſinu ferre, & veluti filiolas oſculari tuas:ſed eos omneis, qui litteras profitentur, etiamſi præterea nihil admodũ iudicio vulgi magnum habeant, modò ſint benè morati, probi atque integri: & ſingulari beneuolentia cõprehendere, & mira comitate complecti, & conſilio, opera, re iuuare conſueſti. Neque verò, quamuis tibi iucundiſſimum ſit in litteris verſari, & tum denique cùm cariſſima tua, & copioſiſſima librorum ſupellectile frueris, tibi viuere videare, vllam tamen operam de eo munere cui præpoſitus es, ſtudia litterarum detrahunt:quin tu quoque vnà cum alijs ampliſſimis & clariſſimis Galliæ viris, qui partim mortem obierunt, partim etiamnum viuunt: maledictum illud & crimen in litteras notiſſimum & vulgatiſſimum, eas à rebus gerendis [illegible]ducere, animíſque langorem, torporem, mollitiem, atq; ignauiam quamdam afferre,

afferre, iampridem re infirmaſti ac diluiſti. Nam (vt eos, qui corporum ſenſibus mortui, gloria, & memoria hominum ſempiterna viuūt, prætermittam, Budæos, Baifſios, Pinos, Oliuerios, Conanos, Marilliacos, Bellaios, Maſſencalos, Ranconnetos, Oberios, Tiraquellos, & alios innumerabileis) cùm Mich. Hoſpitalius, Galliæ Cācell. Ioan. Morouillerius, Epiſ. Aurel. Seb. Albaſpina Epiſc. Lemouic. Io. Monlucius, Epiſcopus Valent. Ioannes Baptiſta Menilius Patronus Regius, Ioan. Faber Pibracius, patronus Reg. Aegid. Bordinus, proc. Reg. Io. Trucius, præſes Curiæ Gratianop.. Germa. Valens Pimpuntius, Conſiliarius Regius, Nicolaus Perrotus, Conſil. Reg. P. Fuxius, apud Britanniæ reginam legatus Reg. Arn. Ferrerius, apud Venetos legatus Regius, Robertus, Io. Andr. Huralti fratres, quorum duo ſupplicum libellorum in regia ſunt magiſtri, tertius Conſiliarius Regius, multi alij, quos enumerare longum ſit, & tu cum primis: cùm vos igitur ea, quæ didiciſtis, & legiſtis, ex vmbraculis & otio eruditorum virorum non modò in ſolem & puluerem, verumetiam in aciem atque diſcrimen ipſum producitis, tum vos maledictum & crimen illud falsò

eſſe litteris obiectum re declaratis. Atque, vt de aliorum, quos modò nominaui, præclaris, fortibus, & conſtantibus actionibus in re & forenſi & publica taceam: quæ tua nuper, cùm tibi de ſeditioſis, & turbulentis hominibus, qui apud Bleſos, Aurelianenſes, Turones quotidie cædeis indigniſſimas faciebant, quæſtio à rege mandata eſſet, in eis perſequendis, comprimendis, à furore ad ſanitatem reuocandis, vigilantia, perſeuerantia, fortitudo, iuſtitia, ſeueritas, ſolertia, moderatio, prudentia fuit, cùm alij in alias ciuitates iiſdem morbis laboranteis dimiſſi, iiſdem partibus ſibi mandatis timidiores fuiſſent, alij negligentiores, alij remiſſiores ac penè dicam lentiores, alij duriores atque acerbiores? Nam cùm intelligeres, hanc regis eſſe voluntatem, vt ſui ciues mutuam amicitiam, & concordiam inter ſe colant, neque armis inter ſe digladientur: tu iuris æquabilitate, & ſapientia tua ita huic maxime ſalutari Regis voluntati obſecutus es, atque inſeruiſti, vt trium illarum vrbium ciueis ex alienis ac diſcordibus, amicos inter ſe & concordeis reddideris, maliſque illis omnibus domeſticis atque inteſtinis liberaris. Ceteras tuas actiones in tuo munere
fungendo

fungendo prudentiæ,conſilij,ingenij,magnitudinis animi, æquitatis, iuſtitiæ pleniſſimas non commemoro,ne aut res Gallis omnibus notiſſimas, & veluti in optimo lumine collocatas, oratione mea obſcurare,aut,dum tuas illuſtreis & in ſpecie forenſi poſitas virtutes prædico, de aliorũ laudibus aliquid detrahere videar. Redeo igitur ad egregiam tuã in muſarum alumnos beneuolentiam,ac liberalitatem, ſingularémque in omneis nationes litteris politas beneficentiam: per quam fideliſſimis atque integerrimis,aut certè longè integrioribus, quàm ſint vulgati codices, exemplaribus ex bibliotheca tua depromtis, maximã nobis ad veterum ſcriptorum libros fœdiſſimis maculis contaminatos, teterrimíſque mendis refertos, purgãdos, atque emendandos facultatem dare ſoles. Ac de alijs quidem libris, qui & iam antè tuo, tuæque bibliothecæ beneficio emendatiores in vulgus dimanarunt, & poſteà deo opt.max.approbante in manus hominum peruenturi ſunt, taceo. Ciceronem autem noſtrum: hoc eſt tuum & meum: tuum, quia primùm te auctore atque impulſore, deinde te adiutore,& libros optimos ad rem conficiendam ſuppeditante,

in hanc voluntatem, curámque incubui: meum quia aſſiduitate, diligentia, perſeuerantia, labore, opera, & fortaſſe etiam aliquo in his litteris vſu & iudicio, rem ſuſceptam ac receptam ad exitum perduxi: hunc igitur Ciceronem, quem tantopere admiraris, quem tanti facis, quem tam vehementer amas, quem tam cupidè amplecteris, magna ex parte tuorum librorum beneficio, & meo tamen ſtudio, meáque opera, quoad eius conſequi potui, emendatum, quemadmodum tibi diu, multúmque recuſanti pollicitus ſum, dono, dico, conſecro: hoc eſt & vigilias, ſudores, labores, quos in hoc opere abſoluendo pertuli, & animi oblectationes, lætitias, voluptates, quas indidem percipiebam vel cùm locum aliquem corruptum ſiue ex obſcuris antiquæ ſcripturæ veſtigijs, ſiue etiam ex planiſſimo & certiſſimo ipſorum veterum exemplarium teſtimonio in integrũ reſtituebam, vel cùm vtilitatis ad omneis bonarum litterarum ſtudioſos ex vigilijs meis peruenturæ magnitudinem animo præſagiebam, ac præuidebam: hoc igitur totum, quantum quantum eſt, qualecumq; eſt, Memmi, ex animo tibi, vt debeo, dono: quod abs te profectum eſt, quódque
tuo

tuo beneficio hic renouatus, & veluti poſitis nouis exuuijs conſecutus eſt Latinorum præſtantiſſimus orator, idémque philoſophus: id tibi bona fide reddo. Vale, Lutetiæ, Anno à ſalute generi hominum data, CIↃ. IↃ. LXVI.

Idem erudito, & humanitate polito Lectori.

SÆpe, multúmque apud me dubitaui, Lector erudite, vtrum magis mirãdum ſit, quanto quiſque plureis & grauiores pro rep. labores ſubit ac perfert, quantóque melius de hominibus meretur, tanto eum acriora hominum odia in ſe excitare, tantóque plureis & acerbiores ſibi inimicitias conflare, cùm & naturæ lex, & æquitatis ratio poſtulent, vt, quo ſe quiſque ſuis ciuibus, & reliquis hominibus vtiliorem præbuerit, eo ab ijs maiorem gratiam ineat, eóque ampliora præmia ferat: quo inutiliorem, aut pernicioſiorem, eo grauioribus pœnis coerceatur: an potius in tanta rerũ iniquitate ac peruerſitate quemquam exſiſtere, qui reipublicæ potius, quàm ſibi conſulere velit. Nam, ne neceſſe habeam memoriam rerum præteri-

tarum vltimam recordari, & replicare, veteréſque illos clariſſimos viros, optiméque de ſua republica meritos commemorare, Miltiadem, Themiſtoclem, Ariſtidem, Cimonẽ, Iphicratem, Demoſthenem, C. Coriolanum, Q. Fabium Maximum, P. Scipionem Africanũ, Quintum Metellum, Q. Rutilium Rufum, M. Ciceronem, ceteros Græcos & Romanos, qui cùm optimè de ſua patria meriti eſſent, vel populi iracundiam indigniſſimè ſubierũt, vel ab inimicis ꝑ inſidias excepti ac circũuenti ſunt: quàm multos ex noſtris, noſtręque ætatis hominibus, & honeſto loco natos, & optimis diſciplinis eruditos, & (quod caput eſt) caſtos atque integros videmus, aut nullis honoribus ornatos vitam priuatam atque obſcuram degere, aut, ſiqui fortè ad aliquem honoris gradum prouecti fuerint, omnium iniquorum, atque inuidorum dẽtibus ac maledictis peti, calumniis onerari, falſis criminibus obrui atque opprimi? &, quamuis hæc ita ſint, nihilominus tamen ſemper aliquos exſiſtere, quos patriæ caritas potius ad fortiter agẽdum, ac de repub. bene merendum excitet, quàm propoſitus periculi metus à ſtudio iuuandæ reipublicæ deterreat? Cùm igitur

vtrum-

vtrumq; horum peræquè mirum ſit, cúmque vtriuſque cauſas ſæpe mecum quæſiuiſſem atque inueſtigaſſem, ſingulorum tãdem reperi cauſas eſſe binas. Nam quòd hominibus bene vel de ſua ciuitate, vel de vniuerſo genere hominum meritis, plures aduerſentur atque inuideãt, quàm faueant & gratiam referant: id videtur aſſignãdum primùm deprauatæ hominum naturæ, ad iniuriam vlciſcendam procliuiori & propenſiori, quàm ad beneficium remunerandum: deinde inuidorum, ingratorum, improborum multitudini, virorũ bonorum & gratorum paucitatem longè numero ſuperanti. Quòd autem tot incommodis, tot ludibrijs, tot ignominijs, tot denique capitis & vitæ periculis propoſitis exoriãtur tamen nonnulli, pro caritate patriæ & pro arctiſſimo illo hominum inter homines ſocietatis vinculo pauci, pro iniquitate inuidorum atque improborum multi, qui neglecta re ſua familiari, abiecta etiam valetudinis cura hominibus proſint & cõſulant: id vel animorũ diuinitati atque immortalitati aſſignandum eſt, qui etiam in his compagibus corporis incluſi, vt quiſq; ſapientiſſimus atque optimus eſt, ita longiſſimè in poſterum præſentiunt, adeò vt

nil,niſi ſempiternum, ſpectare videantur: vel præſtanti cuidam & eximiæ illorum virorum bonitati ac virtuti aſcribendum, qui opificem illum & architectum huius mundi deum, cuius eſt maximè proprium omneis iuuare,nocere nemini, in hac mortali vita imitantes, non modò ſuæ rei familiaris iacturam facere, ſed etiã animam profundere parati ſunt, vt in ciueis ſuos, atque adeò in omneis genteis, aliquid beneficij conferant: quales fuiſſe dicuntur Liber & Hercules,& ceteri, quos propter plurima & maxima in genus hominum merita,memor acceptorum beneficiorum antiquitas, in deorum numerum retulit: quales Aiax & Palamedes, qui cùm optimè de Græcis eſſent meriti, iudicijs iniquis circumuenti ſunt: quales Themiſtocles, Leonidas, Epaminondas, Coriolanus, Scipio Africanus, aliíque innumerabiles tum apud Græcos,tum apud Romanos,tum apud nos exſtiterunt,qui partim magnis ſuis laboribus, ac ſudoribus magnas reipublicæ vtilitates pepererunt,partim ſuo ſanguine patriæ ſalutem redemerunt. Atque vt eos omittam, qui bellis gerendis præfuerunt, quíque in acie pro patria fortiter pugnantes ceciderunt,quibus,

tametſi

tametſi viui magna inuidia laborarint, mortuis tamen diuini honores à ciuitatibus decreti ſunt: à quibus, obſecro, tot artes ac diſciplinæ, quibus vita exculta & expolita eſt, nobis per manus traditæ ſunt, niſi ab iis, qui ſeſe non ſibi, ſed aliis natos eſſe putauerunt? quo in numero habendi ſunt, Apollo, Mercurius, Vulcanus, Aeſculapius, Minerua. Ac ne nimis altè repetere videar, néve Homerum, Heſiodum, Platonem, Xenophōtem, Ariſtotelem, Theophraſtum, Plutarchum, Varronem, Lucretium, Virgilium, Horatium, ceteros commemorem, potiúſq; dè iis loquar, qui noſtra, aut patrū noſtrorū memoria omnem ætatē in litteris, & bonis artibus conſumſerunt, atque ita conſumſerunt, vt non ſolùm ex aſſidua lectione, & rerum contemplatione, liberalem animi oblectationem petiſſe, ſed omnia ſua ſtudia, omneíſque ſuas vigilias ad cōmunem vtilitatem contuliſſe videantur: quantum debent nationes omnes Guliel. Budæo, Fabro Stapulenſi, Franciſco Vatablo, Lazaro Baiffio, Orōtio Fineo, Hermolao Barbaro, Angelo Politiano, Thomæ Linacro, Thomæ Moro, P. Bēbo, Iacobo Sadoleto, Lazaro Bonamico, P. Victorio, Paulo Manutio,

Carolo Sigonio, Rodolpho Agricolæ, Eraſmo Roterodamo, Philippo Melanchtoni, Ioach. Camerario, Iacobo Tuſano, Franciſco Siluio, Gul. Philandro, Franc. Duareno, Iac. Cuiacio, Barnabæ Briſſonio, Iac. Strebæo. Adr. Turnebo, Ioan. Aurato, P. Ramo, M. Antonio Mureto, ceteteris ſimilibus, qui tot nocteis inſomneis traduxerunt, toties voluptati bellum indixerunt, toties Genium ſuum defraudarũt, omnia denique, quæ iudicio vulgi magna habentur, contemſerunt, ac pro nihilo putarunt, vt & ſuæ ætatis hominibus, & poſteris conſulere poſſent, nulla alia vi excitati atque impulſi, niſi vel diuinæ mentis imitãdæ cupiditate penitus inſita, vel animi ipſius natura etiam in corpore mortali incluſa immortalitatis ſuæ ſpecimen edere geſtiente, & ſempiterna omnia cogitante, ac moliente? Nam ſiquis fortè ita dicet, optimum quẽque longius quiddam, quàm vitæ termini ferunt, ſpe, atque animo de ſe & gloria ſua cogitare, & ſpe poſteritatis, fructúque dictum maximos labores corporis atque animi perferre: primùm hoc ipſum eſſe dico argumento firmiſſimo immortalitatis animorum, quòd homines mortales immortalia & ſempiterna ſpectent:

ctent: deinde negare equidem non poſſum ſcriptum, hoc eſſe ab optimo, & locupletiſſimo ſcriptore, exiguum nobis à natura vitæ curriculum eſſe circumſcriptum, immenſum gloriæ, & nonnullos bonarum litterarum, bonarúmque artium cognitione ornatos viros immortalitatis & gloriæ ſempiternæ dulcedine quadam titillari: ſed primùm cùm orbis terrarum pateat ad vltimas ſolis orientis & obeuntis oras, atque ad extremas Auſtri, & Aquilonis parteis, ad eas denique terras, quæ ſub pedibus noſtris incoluntur, quò nullius noſtrûm nomen neque peruênit vnquam, neque peruenturum eſt: quantis ea gloria, quam homines expetunt, anguſtijs continetur? Deinde quamuis nobis aliquis ſpondeat, (quod tamen fieri non poteſt) ſed demus hoc aliquem & ſpondere, & præſtare poſſe, lõgiſſimam futurorum hominum prolem, deinceps vniuſcuiuſque noſtrûm laudes à partibus acceptas poſteris proditurum, quàm longum tempus illud futurum eſt, ſi cum infinita æternitate comparetur? Poſtremò gloria quæ appellatur, habet illa quidem honeſtatis ſpeciem & ſimilitudinem quandam, eáque excitantur etiam magnis ingenijs præditi homines: ſed ne-

que vera illa honeſtas eſt, quam viri boni maximè intuentur: &, quos nihil præter eam ad benè de hominibus merendum ſtimulat, ij leues ſunt homines, inanes ac mendaces, quamtumuis ingenio valeant. Quemadmodum enim talis gloriæ cauſa nihil eſt, quod nõ ſint facturi, ita infamiæ & inuidiæ, & offenſionis popularis metu nullum officium eſt, quod non ſint prætermiſſuri: qualeis fuiſſe accepimus Callicratidem, & Cleombrotũ: quorum alter cùm bello Pelopõneſiaco multa egregiè feciſſet, vertit ad extremũ omnia, cùm dedecoris & infamiæ metu claſſem ab Arginnuſis remouendam non putauit, & cum Athenienſibus iniquo loco, & imparibus viribus dimicauit: alter inuidiam timens temerè cum Epaminonda conflixit. Quod contrà Q. Fabius Maximus.

Qui non ponebat rumores ante ſalutem,
Atque ita Romanis cunctando reſtituit rem.

Quam ſententiam comprobans doctiſſimus & elegantiſſimus poëta,

Falſus honor iuuat (inquit) *& mendax infamia terret*
Quem, niſi mendoſum & mendacem?

Non igitur clariſſimos illos viros, quos ſuprà commemoraui, innumerabileíſque

alios

alios, gloriolæ cuiuſdam inaniſſimæ ſpes induxiſſe putanda eſt, vt tot labores exantlarent, tot vigilijs ſeſe macerarent, & cõficerent: ſed potentior quædam vis, vt dixi, & quaſi cognatio cum præſtantiſſima illa, atque excellentiſſima natura, quæ iccirco optima & maxima dicta eſt, quòd cùm ſit potentiſſima, potentia tamen ſua vtitur ad iuuandos & ſeruandos, non ad lædẽdos aut perdendos mortaleis, eos impulit, vt omnem ingenij ſui vim ad bene merendum de hominibus expromerent & profunderent. Quòd ſi de ſingulis affirmare difficile eſt, quòd & variæ & obſcuræ ſunt hominũ voluntates: ea tamen ratio & natura rerum eſt, vt non videatur res tam leuis, tam fluxa, tam caduca, tam fallax atque incerta excellenteis ingenio & virtute homines ad tot corporis atque animi labores ſubeũdos fuiſſe excitatura: aut ſi etiam, non ea tamen gloria, quæ ex temeritate multitudinis imperitę pendet, ſed illuſtris quędam & peruagata multorum & magnorum vel in ſuos ciueis, vel in omne genus hominum fama meritorum, & conſentiens laus bonorum, & incorrupta vox de excellente virtute bene iudicantium: quam tamen, cùm ea (vt diximus) &

tam anguſtis terrarum finibus, ſi totam orbis terrarum magnitudinem ſpectes, contineatur, & tam breui temporis interuallo, ſi eam cum tota ęternitate conferas, circũſcribatur, non eſt credibile doctis viris ita fucum facere, vt ſeſe eius ſpe tantis laboribus fatigent atque exerceãt: ſed earum rerum, quas diximus, vel vtramque, vel alterutram, vt tam arduam atque aſperam vitæ ingrediantur viam, ſtimulos acerrimos admouere. Ego quidem à doctiſſimis illis viris longo diſtans interuallo, ſiue naturæ ipſius impetu & vi quadam potentiore, ac ſuperiore inſtinctus, atque impulſus, ſiue diuinæ illius auræ particula etiam in me animorum immortalitatem declarante (neque enim vmquam inficiari verebor me vnum ex ijs eſſe, qui ſe ab ijs voluptatibus, quæ nobis ſunt cum pecudibus cõmunes, longiſſimè remouerunt, eáſque arteis ab ineunte ætate coluiſſe, quæ homine ingenuo digniſſimæ ſunt) cùm primùm aliquid in litteris videre cœpi, incredibili earum amore ita flagraui, vt rei familiaris cura neglecta, artibúſque vendibilibus & quæſtuoſis ſpretis ac reiectis, eas potiſſimùm ſecutus ſim, quæ propter ſe, nõ propter fructum aliquem expetuntur. Itaque

cùm

cùm in optimo quoque ſcriptore & Græco & Latino euoluendo ac legendo aliquot annos,ni Gallia conſumſiſſem in Italiam profectus ſum,acerrimis ingeniis ſemper florentem, ex qua orti eruditiſſimi homines terras omneis humanitatis participes, immortali ſui nominis gloria paulò ante noſtram ætatem compleuerunt, Bembi, Sadoleti, Bonamici, Amaſæi, Victorij, Caſæ,Pantagathi,Manutij, Faërni Sirleti, Sigonij,Zanchi, Commenduni, Robortelli, Luiſini, Taurellij, Pamuini,Vrſini, Bargæi,ſexcenti alij: Ibi libros Ariſtotelis de moribus ad Nicomachum, Latinos à me factos non eo conſilio,vt ederem, ſed partim vt ampliſſimo & clariſſimo cuidam viro,cuius eram familiaris, morem gererem, partim multorum eruditiſſimorum virorum hortatu, typis mandaui ac diuulgaui:ibidem Q. Horatium Flaccum cum exemplaribus antiquis,quorum magna eſt in eis locis copia,comparaui:eóſque duces atque auctores ſecutus, multos in eo poëta locos & mendoſos emendaui, & implicatos explicaui. Idémque in Lucretio perfeci,aut certè conatus ſum. His rebus ſecunda hominum voluntate abſolutis cùm aliorum multorum, tum maximè Errici

Mēmij c.v. ſupplicum libellorum in Regia magiſtri hortatu cœpi in M. Tullio Cicerone, cuius me perſtudioſum fuiſſe, qui me penitus nouerunt, teſtes mihi eſſe poſſunt, idem cupere præſtare. Sed cùm intelligerem ſine libris veteribus rem tantam conari, eſſe operam ludere, atque adeò nihil agere: cúmque in hanc optimam huius rei ſuſcipiendæ voluntatem tanta difficultas incurreret, hunc nodum Erricus Memmius expediuit. Ita partim mea ſponte, partim auctoritate cùm aliorum non paucorum, tum verò Errici Memmij v. c. adductus, cùm præſertim Memmius magna mihi librorum manuſcriptorum non modò ſuorum, verumetiam alienorum, & cōmodatò rogatorum copia ſuppeditata maximam mihi ad hoc negotium conficiendum facultatem daret: nonnullos etiam meo Marte nactus eſſem, alios ab Io. Huralto, homine Græcis ac Latinis litteris pereruditо, omnibúſque bonis artibus inſtructiſſimo, ſupplicum libellorum in regia magiſtra, affine meo, qui nuper apud Venetos legatione functus eſt: alios ab Io. Tilio, viro litteratiſſimo, Epiſcopo Meldenſi: alios à N. Clerici conſiliarij regij, viri, dum vixit, integerrimi, ac doctiſſimi he-

heredibus:alios ab Iac. Cuiacio iuriſconſulto,& doctore præſtantiſſimo, alios ab aliis:ad rem ſuſcipiendam,magnam illam quidem & difficilem, ſed laudabilem & præclaram,aggreſſus ſum. Biennium cum anno dimidio, & paulo amplius partim in conſulendis antiquis exẽplaribus (cuius tamen rei onere & moleſtia magnam partem me leuauit Memmius, duobus iuuenibus eruditis, & oculatis, qui omneis veteris ſcripturæ diſſimilitudines fideliſſimè ex libris antiquis expreſſas atque effictas ad oras duorum librorum vulgatorum aſcriberent,impenſo conductis) partim in vno exemplo Ciceronis, quod ſequeretur typographus, meo arbitratu concinnando, adornando, & apparando, partim in conſcribendis emendationum rationibus, partim in toto Cicerone typis excudendo conſumtum eſt, cùm ab eo die, à quo die editio cœpta eſt, quotidie pericula ſecunda (ſic enim appello ea folia, quæ non ſeriò, ſed periclitandi gratia litterarum typis exarantur, atque excuduntur) inſpicerem, atque emendarem:in quo tamen meæ diligentiæ: induſtriæque non reſpondit euentus, quoniam neque operarij, hominum genus non ſo-

lùm tardiſſimum, verùm etiam contumaciſſimum, ac peruicaciſſimum, neque is, qui operariis præeſſe & præcipere, & emendandorum periculorum munere fungi ſolet, meas emendationes accuratè ſecuti ſunt: quo factum eſt, vt in hac editione nonnulla errata magno meo ſtomacho & dolore admiſſa ſint: quæ quomodo corrigenda ſint, in calce ſingulorum voluminum lectorem admonendum curauimus. Initio igitur operis à me ſuſcepti cùm mihi tria reprehenſorum genera, parata prouiderem: vnum eorum, qui me actum egiſſe criminarentur, quippe qui rem à tot aliis, iíſque doctiſſimis & clariſſimis viris ſuſceptam, & ad exitum perductam de integro molitus eſſem: alterum eorum, qui quererentur, & nimis multa, & nimis audaciter à me eſſe immutata: tertium eorum, qui me nimis timidum fuiſſe in exẽplaribus antiquis ſequendis, & vulgatis ex eorum auctoritate corrigendis, arguerent: his omnibus vt aut ſatisfacere, aut mei facti rationem probare poſſem, data eſt à me opera diligenter. Nàm qui dicent, alios hoc idem ante me feciſſe, atque anteuertiſſe: iis hoc reſpondebo: primùm omneis illos in ſingulis Ciceronis ſcriptis emendã-

dis

dis elaboraſſe, alios in philoſophicis, alios in orationibus: atque horum alios in ſingulis, alios in aliquot, neque quemquam in omnibus: alios in Rhetoricis, neque his omnibus: neminem eſſe, quod ſciam, qui totũm Ciceronem emendandum ſuſceperit, nedum rem confecerit: deinde ſiqui aliquam in hoc negotio operam nauarint, me ſuã cuique laudẽ reddidiſſe, gratiámque retuliſſe: à nemine ſui laboris fructum impudenter atque iniuſtè in me trãſtuliſſe, quod nuper in meo Lucretio quidem omnium mortalium petulantiſſimus, atque impudentiſſimus fecit: quòd ſi cuius ſententia mihi non ſatis fuit probata, vel me eius nomini peperciſſe, vel eo nominatim appellato, pudenter & modeſtè eius ſententiam infirmaſſe atque improbaſſe, meam ſine arogantia confirmaſſe: neque proteruè & petulanter aliorum coniecturas aut exagitaſſe, aut irriſiſſe, meas inſolẽter & glorioſè venditaſſe, atque oſtentaſſe. Secundum autem & tertium genus (vt vna opera vtrunque aut placatum dimittam, aut retineam) præmonitum velim me mediam quandam viam in hoc negotio gerendo ſecutum eſſe. Nam neque ita mihi omnia ad viuum eſſe reſecãda exiſtimaui,

vt, quicquid in libris veterib⁹ reperiſſem, id ſtatim eiecta vulgata ſcriptura, in eius locum ſubſtituerem: neque rurſus ita religioſus aut timidus fui, vt, quo in loco perſpicuè ſinceri eſſent libri antiqui, cōtaminati vulgati, ei loco manus medicas, atque adeò ſcalpellum non adhiberem, eum locum continuò non ſanarem. Prætereà vbi lectionem vulgatam immutaui, mei facti rationem in meis ſcholiis expoſui: vbi nihil mutaui, cùm tamen aliter eſſet ſcriptū in libris antiquis, de eo quoque lectorem admonui, ſcripturámque veterem bona fide repræſentaui, ídque variè, interdum nihil ipſe ſtatuens, iudiciúmque lectori ſuū relinquens, interdum ſententiam meam aperiens, & alteram probans, alteram improbans, modóque vulgatam antiquæ, modò antiquam vulgatæ anteponēs. Hoc prætereà inſtitutum perpetuò ſeruaui ac tenui, vt ſi quis vel ex iis, qui è vita exceſſerūt, vel ex iis, qui etiam nunc viuunt, locum aliquem erudita, ingenioſa, acuta, ſagaci coniectura ductus, reſtituit, aut etiam reſtituere conatus eſt, ſiue eam in hac editione ſecutus ſum, ſiue, vt non ſecutus ſim, probaui tamen, eam ſuo auctori ac vero domino bona fide reddiderim, neque

eum

eum ſua merita laude priuarim. Quæ autem vel à P. Victorio, vel à Paulo Manutio, (qui duo præclaram in hoc ſcriptore emendando operam ante me nauauerunt) vel ab aliis iam antè reſtituta, atque in libris vulgatis repoſita ſunt, eorum cùm omnes bonis artibus, & exquiſitis litteris ornati homines ſint teſtes & conſcij, mihi neceſſe eſſe non putaui de iis omnibus lectorem admonere, vtpote memorem, ne & eius otio intemperanter abuti, & chartam male perdere viderer. Quoniam autem vel longum, vel alienum atque ineptum erat eos omneis, qui aut libros manuſcriptos ad hoc opus adiuuandum mihi commodarunt, aut in eadem re operam aliquam poſuerunt, in hac epiſtola enumerare, eorum nomina infrà ordine perſcribēda curaui, vt & illi ſibi à me qualemcūque potuerim, gratiam relatam eſſe intelligant, & tu, Candide lector, eis habeas maximam, ſi iuſtam referre nūllo modo poſſis. Vale. Idib. Febr. anno . CIↃ CI. LXVI.

Ad Erricum Valeſium, Errici 2. Gallorum Regis F. Caroli IX. Gallorum Regis Fratrem, Andium ducem, D. Lãbini Monſtrolienſis, Præfatio.

ALexandrum Magnum, regem Macedonum, ferunt, audito primùm Timotheo, præſtanti & claro tibicine, cùm modum quendam cecin iſſet non mollem, neque remiſſum, neque imbellem, ſed fortem, & incitatum, & militarem: (Orthium appellant Græci) quem ſciebat ille eius ingenio & moribus maximè conuenire, vſque adeò cõmotum eſſe, vt continuò, quaſi afflatu quodam diuino concitatus, ad arma exſilierit, eáque arripuerit: & primum quemque ſibi oblatum vltro laceſſierit, ac prouocarit, tanta fuit cùm cantus illius, tũ artificis præſtantia, tum ingenij Alexandri ad cantum illum ſuſcipiendum facilitas, atque opportunitas. Verùm Alexãdro, regi bellicoſo natura, neque Timotheo, neque alio quoquam ſimili artifice, qui eum ad arma excitaret, opus erat: ſedaliquo pacis ſuaſore potius, otiíque præcone ac buccinatore, qui eum, ad bellum ſpõte ſua ſatis procliuem ac propẽſum, ad animi moderationem

derationem, ad iuſtitiam, ad pacis arteis denique, atque ad pacem ipſam reuocaret. Namque omnino, quod de Lacedæmonijs traditum eſt, omnem Lacedæmoniorum indolem ac naturam cupiditate vincendi eſſe inflammatam, idem de regibus generoſis dici poteſt: ferè enim in omnium regum animis, niſi ſint Sardanapali, & Heliogabali ſimiles, gloriæ militaris amor innatus eſt: à pacis ſtudio autem, artiúmque ad pacem accommodatarum cognitione plerumque abhorrent vel natura, vel conſilio, & inſtituta ratione vitæ: quaſi verò ars militaris ſola ſit regalis. Facilè porrò nos quoque, qui mille ducentos ferè annos regibus paruimus, quorúmque maximè intereſt, reges eſſe iuſtos, temperanteis, moderatos, clementeis, ſapienteis, omni denique virtute præſtanteis, belli, præſertim domeſtici, atque inteſtini hortatoribus carere poſſemus: neque deſunt nobis hodie, qui bellicum aſſiduè canant, quamuis ipſi ignauiſſimi ſint, ſperantes fore ſcilicet, vt ſint huius fabulæ ſpectatores tantùm, non etiam actores, & vt ſine ſuo periculo dimicetur: quibus vtinam deus immortalis meliorem mentem daret. Tãtùm igitur abeſt, vt talium tibicinum, ſeu

tubicinum potius, penuria laboremus, vt etiam eorum multitudine & turba vrbes redundet, eorúmque voce tecta omnia perſonent. Illorum hominum magna vbique gentium penuria eſt, qui regnũ Chriſtianorũm animos ad ſtudium pacis & cõcordiæ, earum denique artium, quibus in pace maximè opus eſt, cohortentur. Præclarè enim dictum eſt à Platone, regem illum eſſe veluti mancum ac debilem, qui bellum quidem gerere ſciat, pacem autem agitare neſciat. Itaque & hic, & eius auditor Ariſtoteles Lycurgum grauiter reprehendunt, quòd Lacedæmoniorum leges omneis, quarũ ille ſcriptor & auctor fuit, ad bellum, & ad bellicam virtutem retulerit, nullas fere ad vitam in otio, ac pace degendam compararit: & quòd reip. adminiſtrandæ formã conſtituerit, ciuibus, quandiu quidem militabant, & arma tractabãt, facilem, commodam, opportunam, atque expeditam: inermibus verò & bello defunctis difficilem, incommodam, ineptam, atque impeditam Itaque tantiſper dum bellum gerebant, atque in caſtris, & ſub pellibus erant, remp. ſuam bene adminiſtrabãt, fortunáque ſecũda florebãt: vbi verò bellum gerere deſierant: partim otio diffluebant

bant, partim diſcordiis inteſtinis confli-ctabãtur, partim ſuperbia, & iniuſtitia ſocios ac fœderatos à ſe alienabãt: neque tamen id ipſum, ad quod eos ſcriptor legum erudierat, in quo eos exercuerat, in quo denique illi nõ ceteris modò populis præſtabãt, ſed etiã ſeipſis ſuperiores erant, potuit eos admodum diu incolumeis conſeruare. Ad extremũ enim cùm Cleõbrotus temerè cum Epaminõda conflixiſſet, eorũ opes funditus corruerũt. Ita neque artes vrbanæ, pacíſque & otij propriæ, quas nõ didicerant: neque externæ & bellicæ, quæ ſine alteris claudicant, eos ab interitione vindicarunt. Quòd ſi populus ille, cuius tanta erat priuatim & publicè parſimonia, frugalitas, & continentia: tam ſeuera domi non ſolùm in viris, & ſenibus, verum etiam in pueris diſciplina: tanta militiæ fortitudo, durities, & laborum tolerantia, non potuit ſine pacis artibus, ſuam rempu. diutius incolumem tueri ac retinere: quæ ſpes eſt fore, vt populus rebus ſecundis ferox, & omnium rerum vbertate circumfluens, fortunáque dulci (vt poëta quidã loquitur) ebrius, ſine inſtitutione ad pacẽ agitandam, otiúmque rectè ponendum appoſita diu incolumis permanere poſſit?

Nam ſi homo ſingularis priuatus, qui non primùm eximiâ quadam naturæ bonitate præditus, deinde egregia inſtitutione atque accurata educatione expolitus ſit, non facilè poteſt ſe regionibus officij continere & res ſecũdas ferre: quid de ciuitate fortunata, & gente opulenta ſentiendum, in qua quo maior eſt multitudo, hoc plureis homines eſſe inſolenteis, contumelioſos, & petulanteis credibile eſt? Omnino inſigni quadam iuſtitia, & temperantia, & moderatione animi, & ſapientia ijs opus eſt, qui res ſuas optimè gerere, ſummáque proſperitate frui videntur. Quòd ſiqui populi (vt eſt in fabulis) reapſe fortunatas inſulas incolerent, in eíſque omnium rerum, quæ in bonis ducuntur, copia abundarent: tamen quo beatiores eſſent, eò præſtantiore virtute maioréque ſapientia ad ſuas res moderatè ferendas, otiúmque ſuum rectè ponendũ eis opus eſſet. Nam ſine tali virtute, talíque ſapientia hæc rerum ſecundarum magnitudo breui tempore, vel rerum omnium perturbationem ijs importaret, quæ hanc omnem felicitatem horribili calamitate & miſerabili clade funeſtaret: vel viuendi genus in ciuitatem induceret ſeruile, miniméque liberale, neque ciuile, &

vix homine dignum, ſed planè belluinum. Quid enim humanitatis eſſet, nedũ libertatis, atque ingenuitatis, in hominum vita aſſiduè potantium, ſemper epulantium, ſine intermiſſione ſaltãtium, perpetuò bacchantium quotidie rebus venereis operam dantium? numquam ſiccorum, numquam ſobriorum, nunquam rem aliquam ſeriam aut cogitantium aut agẽtium? Itaque cùm in rebus ſecundis maxime virtus requiratur: res aduerſæ autem vel ignauiſſimos, ac nequiſſimos homines exacuant, atque exſuſcitent: & ad pietatem, ceteráſque virtutes acerrimos ſtimulos admoueant: pacis tempus porrò, & otium publicum cum rebus ſecundis maximè ſit coniunctum, neque ab ijs facilè diuelli queat: non eſt ſatis reip. moderatori, legúmque ſcriptori ad id, vt reſp. rectè adminiſtretur, & ciues ſint fortunati ac beati (quod munus eſt boni reip. gubernatoris (operam dare, vt ſui ciues ſint in arte militari exercitati: ſed eius hæc præcipua cura eſſe debet, vt ijs artibus ſint inſtructi, quibus in pace viuere, & rectè otiari poſſint. Hæ autẽ artes ſunt iuſtitia, temperantia, moderatio, clementia, prudentia, ſapientia, & ſimiles. Veriſſimè autem à Platone dictũ eſt, quales ſunt prin-

cipum & magiſtratuum,taleis eorum, qui imperio parent,eſſe mores. Quoniam igitur omnium reip.adminiſtrandę generum, ſentẽtia Ariſtotelis,cuius nunc libros politicos interpretati ſumus; regnum eſt optimum:hodie autem ciuitates, & nationes fere omnes regibus, aut regulis parent: (de tyrãnide verò,quæ deterrima eſt reip. adminiſtrandæ forma,& de tyrannis, qui, cùm ipſi miſeri ſint,numquam eæ, quibus iniuſtè imperant,ciuitates,erunt beatæ nihil attinet dicere)ſi volunt reges præclarè ſuum munus explere, & opus ſuis omnibus numeris ac partibus abſolutum efficere:eas arteis didicerint neceſſe eſt, ſine quibus otium rectè collocari nequit. Nam ſi erunt ipſi iniuſti,intemperãtes, libidinoſi, auari,crudeles,importuni:non eſt ſperandum,eorum ciueis, iuſtos, temperanteis, continenteis,liberaleis,humanos, clemẽteis futuros. Iam verò ſiquis rex hoc vno contẽtus erit,atque hoc vnum regale munus eſſe exiſtimabit, ſcire bellum gerere, pacem autem agitare,& in pace ſe,ſuóſque ciueis regere neſciet:ſimilis erit illi medico,qui, vt corpus ſit in ſpeciem decorum & venuſtum,fuco aſſequitur: vt ſit validũ autem ac robuſtũ,& à morbo, quo ad eius fieri

fieri poteſt, tutum ac ſincerum, arte medẽdi perficere nõ poteſt, ſed id vel mala ſcabie erodi, vel diuturna tabe liqueſcere, vel morbo acuto repente exanimari ſinit: aut illi paſtori, qui lupum quidem à grege arcere poteſt, gregem verò bene paſcere neſcit: ſed vel propter incuriam, & negligentiam ſuam, vel propter inſciẽtiam macreſcere, contabeſcere, atque interire patitur. Quamquam ſi reges tum denique belli gerendi conſilium caperent, cùm laceſſerentur: reprehendendi non eſſent, immò verò laudendi: nunc autem cùm otium cum dignitate coniunctum, pacémque honeſtam conſecuti, pacis bono vti frui, otiúmque ſibi oblatum rectè ponere neſciant, ſæpéque nulla iniuria accepta imperij propagãdi cupiditate inflãmati populis quieſcẽtibus vltrò bellũ inferãt: grauiſſimè à clariſſimis philoſophis, meritóque accuſantur: vt taceã quòd interea nõ modò neque ſuæ neque ſuorũ tranquilitati cõſulunt, neque ſuo bono vtuntur, ſed interdum ſuas opes ſuúmque imperiũ in ſummũ diſcrimẽ adducunt, ſibíque & alijs moleſtias ſtruunt. Quod Cineã illũ, ſuæ ætatis hominũ eloquentiſſimũ, ac prudentiſſimũ virũ, Pyrrhã regis familiarem, vidiſſe, eíque prudenter

& acutè demonſtraſſe, atque oſtendiſſe ferunt. Cùm enim Pyrrhus bellum Romanis inferre cogitaret, ille autem eum ab hac ſententia demouere cuperet: tempore captato, quo tẽpore Pirrhus & vacuus, & ſolus eſſet: Bellicoſi, inquit, Pirrhe, Romani dicuntur eſſe, multarúmque gentium bellicoſarum compotes: verumtamen ſi deorum beneficio ſuperiores viris illis diſceſſerimus, quid nobis hæc victoria proderit? Rem, inquit Pirrhus, haud ſanè ad reſpondendum difficilem, & valdè in promtu po ſitam rogas. Romanis enim ſuperatis ac ſubactis, nulla iam neque Barbariæ, neque Græciæ ciuitas nobiſcum pedem conferre audebit, ſed tota Italia continuò noſtra erit: cuius magnitudinem, & vbertatẽ & potentiam quemuis potius quàm te, ignorare decet. Tũ Cineas aliquanto tempore intermiſſo, At poſteaquàm Italiam ceperimus (inquit) Pyrrhe, quid faciemus? ibi Pirrhus nondum quid ſibi Cineas vellet, quóue intenderet, videns, Sicilia (inquit ille) non longo ab ea diſtans interuallo, manus nobis porrigit, inſula cùm fortunata, & bonis omnibus referta & hominibus frequens, tum ad expugnandum, & capiendũ facilis, ſeditionibus enim & diſcordijs inteſti-

teſtinis tota conflictatur,& imperij vacuitas eſt in ciuitatibus,& leuium populi ductorum acrimonia in dicendo,ad populos huc & illuc impellendos accommodata eſt, Agathocle mortuo. Probabilia ſunt quæ dicis,inquit Cineas. Sed ſi ita eſt, eritne nobis expeditionum & caſtrorum finis Siciliæ expugnatio? Dij faciant (inquit Pyrrhus) vt victoria potiamur,rémque bene geramus. Hæ enim proluſiones nobis ad res magnas aditum patefacient. Quis eniṁ iam ſe ab Africa & Karthagine aggredienda ac petenda cōtinuerit, vt quæ iam, penè dicam, manu tangi & prehendi poſſit? quàm Agathocles, cùm ex Sicilia clam profugiſſet.& paucis nauibus in eam traiectus eſſet,propemodum cepit? Iam verò cui dubium eſt,quin,vbi nos harum rerum potiti fuerimus, eorum hoſtium, qui nunc nobis inſultant, ac moleſti ſunt nullus nobis obſiſtere auſurus ſit? Nemini,inquit Cineas. Perſpicuum enim eſt, nobis tantam potentiam nactis expeditum ac facile fore & Macedoniam recupare, & cunctæ Græciæ ſine controuerſia imperare. At cùm omnia in noſtram poteſtatem,ditionémque redacta fuerint, quid faciemus? Tum Pyrrhus ridens, ceſſabimus, inquit,

N

atque otiabimur, & dies feſtos, & conuiuia agitabimus, & compotabimus, totámque reliquam ætatem hilariter & iucundè traducemus. Cùm Cineas Pyrrhum huc adduxiſſet: & quid nos vetat, inquit, Pyrrhe nunc, ſi velimus, otiari, & conuiuia agitare, & compotare, præſertim cùm hæc iam habeamus, cúmque ea nobis ſine vlla moleſtia, vllóque periculo ſuppetant, ad quæ multo humano ſanguine profuſo, & magnis laboribus ſuſceptis, periculíſque adiitis perueniendum nobis eſt, poſteaquàm & nos ipſos, & alios magnis detrimentis illatis vexauerimus? Hac oratione Cineas Pyrrhum (vt hiſtorici memoriæ prodiderunt) offendit potius, quàm de ſententia ſua deduxit. Sic ſunt reges: (de inſipientibus regibus loquor) oratione dulci magis, quàm vera, delectantur: & aſſentatores libētius audiunt, quàm veros amicos. Quod non oportebat: ſed contrà, iis, qui liberè, quod rectè ſentiunt, & quod ſalutariter cogitant, apud eos loquuntur, præmia decernere: iis verò, qui oratione non ſolùm vana, verùm etiam pernicioſa aureis eorum demulcere conantur, pœnam conſtituere. Sic rex ille regum Agamemnon, quanquam non vſquequaque perfectus,

neque

neque omni ex parte laudabilis, Diomedem liberè apud ſe loquentem, tamen libenter audiebat: neque ſenis Neſtoris modò conſilium prudentiæ plenum admirabatur, & ſequebatur, verum etiã Diomedis iuuenis libertatem fidelem ſimul & animoſam approbabat. eodem apud Priamum loco Antenor fuit, apud Hectorem Polydamas, apud Cyrum Chryſantas, apud Xerxem Artabazus, apud Philippum Parmenio, apud Alexandrum Calliſthenes, apud alios alij: quamuis non ſemper quod illi dixerunt, regibus probarunt. Nã neque Antenor, cùm Priamo ſuaderet, vt Helenam Græcis redderet, ei fidem fecit: neque Polydamas Hectorem, ne in ſtationem nauium foſſa & vallo munitam irrũperet, deterrere potuit: neque Artabazus Xerxi exercitum in Græciam adornanti, perſuaſit quod ſuadebat, cùm illum ab incepto reuocaret: neque Calliſthenes Alexandrum Magnum Aſia iam potitum, & multis ſecundis præliis elatum, Macedonica, & patria inſtituta mutare cogitãtem, cùm ei diſſuaderet ne faceret, de ſua ſententia demouit. Itaque & Priamum, & Hectorem, & Xerxem, & Alexandrum ſuæ temeritatis & contumaciæ pœnituit.

Aut eximia igitur in regibus ſapiētia ineſſe debet, vt eis ipſis, quod opus ſit, veniat in mentem, ſi futurum eſt, vt probè ſuo munere fungantur, & ciuitates eæ, quæ eorum imperio parent, ſint beatę: aut tali certè ingenio, iudicióque præditos eſſe optabile eſt, vt ſapientium virorum rectè ſuadentium conſilijs obtemperēt. Quare hoc quoque, vt pleraque alia, præclarè dictum eſt à Platone, tum demum ciuitates & nationes beatas futuras, cùm aut philoſophi, hoc eſt ſapientes, rerumpub. erūt moderatores, aut rerumpub. moderatores, erunt ſapientes. Neque verò quemquam exiſtimare oportet regnum eſſe aut excellentiam ſecundæ fortunæ, aut copiā fruendarum voluptatum, aut ingenteis auri atque argenti aceruos: ſed præſtantiam virtutis. Euenire enim caſu aliquo poteſt, vt priuatus aliquis homo ampliores opes, vimque pecuniæ maiorem habeat, aut plus auri poſſideat, aut plureis ac maiores voluptates corporis percipiat, quàm rex aliquis generoſus ac legitimus, idémque virtutibus omnibus ornatus: neque iccirco tamen ille rex erit dicendus. Contrà neque Midas rex Phrygiæ, qui optauit, vt, quicquid tangeret, aurum fieret: neque Poly-

crates

crates Samius, cui vſque adeò fortuna fa-
uit, vt, cùm de Amaſis ſentẽtia placare Ne-
meſim vellet propter multitudinem & ma-
gnitudinem rerum ſecũdarum, eáque gra-
tia gemmam ſibi cariſſimam, & qua maxi-
mè delectabatur, in mare deieciſſet, eam
paulo pòſt in piſcis ad ſe delati ventre re-
pererit: neque Sardanapalus, aut Helioga-
balus, qui aſſiduè in voluptatibus voluta-
bantur, quorum alter perpetuò cum mu-
lierculis verſabatur, & lanam digitis carpe-
bat, colúmque tractabat: alter, cùm eum
voluptatum virilium odium cepiſſet, mu-
liebreis contra naturalem vſum conſecta-
batur: reapſe illi reges fuerunt, ſed regum
laruæ, atque adeò portẽta naturæ. Regum
igitur inſtitutio tanto accuratior ſit opor-
tet, quanto eum, qui alios homines conſi-
lio & prudentia regere debet, ceteris om-
nibus, quibus præfuturus eſt, virũ melio-
rem eſſe par eſt. Nam quî fieri poteſt, vt,
qui non fuerit optimè inſtitutus, alios re-
gat, cùm ne ſe ipſe quidem regere poſſit:
Quamuis enim regum filios credibile ſit
ingenio & natura alijs præſtare, nulla ta-
men naturæ bonitas vſqueadeò excellit,
vt diſciplinæ adiumenta non requirat. Nã
ſi pueros in domo priuata natos ac ſubla-

tos, neque admodum interdum rebus ad victum neceſſariis inſtructos, quantumuis licet naturæ bono valeant, ſæpe tamen deprauant domeſticorum & familiarium ſermones, hominúmque vitioſorum conſuetudo, niſi ſumma diligentia in eis inſtituendis, & ab improborum congreſſu arcendis adhibeatur, quid regiis pueris futurum eſt, qui ab incunabulis mollitia & luxu imbuuntur? quibus in omni genere deliciarum quotidie verſari licet? quibus omnes fere blandiuntur, & palpantur? aduerſari audent pauci, vix præceptores? ad quos faciliorē ſibi rerum iucundarum miniſtri, quàm virtutis, & doctrinæ magiſtri patêre acceſſum volunt? Atque hæc intelligi velim eſſe dicta de ſtultorum, non de noſtrorum regum filiis. Nam vt omittam de ſuperioribus noſtris regibus dicere, pluribúſque verbis demonſtrare, quanto ſemper ſtudio doctiſſimos viros exquiſierint, quibus filios ſuos erudiendos traderent, quod teſtantur Fabri Stapulenſes, Maini, Theocreni, Daneſij, alij, quorum nomina longum ſit referre: regi noſtro Karolo fratri tuo, adoleſcenti egregia ad omneis virtutes indole prædito, atque ad res maximas nato, ingenio acerrimo, iudicio ſubiliſſimo, præceptor contigit ſin-

gulari doctrina ornatus, Iacobus Amiotus, magnus eius eleemoſynarius, & diui Cornelij cœnobiarcha. Tu quoq;, fratérque tuus minor natu, dux Alenconenſium, pari vterque indole præditus, paríque ingenio natus, præceptores doctiſſimos cõſecuti eſtis: & tibi quidẽ Io. Paulus Selua, nuper epiſcopus eccleſiæ diui Flori creatus: fratri tuo verò duci Alenconenſiũ, primò quidem P. Valla, antiſtes eccleſiæ Sagienſis, vir omnium laudatarum atque ingenuarum artium, duarúmque linguarum eruditarum, Græcæ & Latinæ, & præterea Syriacæ peritiſſimus: deinde eo morte immutata extincto. Robertus Furnerius Ambianenſis, homo eloquentiſſimus, & theologus acutiſſimus ac politiſſimus contigerunt: ita vt verendũ non ſit, ne non vos ad omneis liberaleis & regias diſciplinas dociles, idoneíque natura, partim ingenij veſtri bonitate freti, partim talium virorum opera, diligentiáque directi atque adiuti, taleis in bonis litteris ac doctrinis progreſſus faciatis, vt nemo vos ignorantiæ, atque inſcientiæ meritò arguere queat: quæ notæ cùm in omni homine indecoræ ſunt, tum in principibus viris eo ſunt deformiores, quo turpius eis eſt labi, falli,

errare:quę mala ex ignoratione fere atque inſcientia naſcuntur. Iam verò cùm homines vel natura, vel conſuetudine, vel ratione, ſeu diſciplina boni fiant: natura porrò & conſuetudo nobis ſint cum alijs animãtibus communes: diſciplina autem & ratio ſolius hominis ſit propria: optabile hoc quidem eſt, vt hæc tria in rege, qui ceteris omnibus hominibus, quibus imperat, antecellere debet, conſpirent atque concurrant: ſed ſi hoc non contigerit, videndum eſt, vt conſuetudo & inſtitutio vitia naturæ, ſi qua ſunt, ſanent & corrigant. Inſtitutione autem regia continentur ſex potiſſimum virtutes, pietas in Deum Opt. Max. iuſtitia, fortitudo, temperantia, clementia, liberalitas. Ac pietas quidem in Deum, eò regibus colenda eſt, quia, quem regem ciues pium eſſe exiſtimant, hunc maximè verentur, Deóque cariſſimum eſſe arbitrantur: quare cùm ei libentius parent, tum minus audent rebus nouis contra eius voluntatem ſtudere, quem ſibi perſuaſerunt Deo immortali in rebus ſuis omnibus adiutore & cuſtode niti: iuſtitia verò, quia hic talis non modò nemini iniuriam inferet, verùm etiam ab altero alteri illatam propulſabit, ac defendet:
fortí-

fortitudo autem, quia talem virum nullius aut laboris fuga, aut periculi metus à fortibus conſilijs deterrebit: temperantia, quia qui temperans eſt, non eſt metuendum ne qua ab eo domus vlla infamiæ, aut turpitudinis macula per ſtuprum ac libidinem aſpergatur: clementia; quia talem principem nihil durius aut immanius iracundia incitatum in quemquam ciuem ſtaturum, aut omnino facturum credibile eſt: liberalitas, quia qui talis ſit, non ſolùm ciues bonis aut labore atque induſtria partis, aut patrijs atque auitis non eſt ſpoliaturus, verùm etiam in viros bonos de ſe, & de rep. benè meritos beneficus & benignus eſt futurus. Ita prætèrquàm quòd præclara ſuis ciuibus ad imitandum exempla proponet, duo etiam mala maximè regibus horrẽda, ac pertimeſcenda declinabit, odium & contemtum. Nam cùm ceteræ virtutes omnes multitudinis beneuolentiam conciliant, tum maximè iuſtitia & liberalitas: pietas autem & fortitudo, maximè vindicant à contemtu. Omnium porrò præſidiorum, quibus regum opes ſtabiliri poſſunt, firmiſſimum, & validiſſimum eſt beneuolentia ciuium, & bona eorumdem de ſuo rege exiſtimatio: quemadmodum

contrà nihil ad tyrannicã potentiam euertendam acriores ſtimulos admouet, quàm odium & contemtus. Declarant hoc quod dico, interitus tyrannorum, Sardanapali, Dionyſij ſuperioris, Phalaridis, Alexandri Pheræi, Demetrij, Iulij Cæſaris, Neronis, aliorum innumerabilium: à quo periculo cùm lõgè abſunt regna omnia, hoc eſt imperia iuſta ac legitima, tũ longiſſimè abeſt regnum Galliæ propter incredibilem videlicet illã, qua ſeptum ac munitum eſt, populi in ſuum regem, beneuolẽtiam. Itaque cùm cæteri reges, cuſtodia corporis externa potius, quàm domeſtica & ciuili vtantur, ſuíſque ciuibus diffidant, neque ſe nudos atque inermos eis cõmittere audeant: regi Gallorum per totam ſuam Galliam inermo inter ſuos armatos ſine vllo metu ac periculo iter facere licet. Nam quòd etiã Heluetios hodie ſtipatores ſui corporis habet, id ab illo primùm tempore inſtitutum atque inductum eſt, poſtquàm illi nobiſcum belli ſocietate & fœdere iuncti fuerunt: antea centum nobilium virorum, & aliquot ſagittariorum Gallorum præſidio tectus ac ſeptus incedebat. Atque vtinam, vt reges Galliæ & olim cuſtodia corporis domeſtica cõtenti erant, & nunc cõ-
tentis

tentis eis licet, ita & ciuilibus copiis niterētur, exercitúque externo carere poſſent. quod aſſequerentur, ſi non ſolùm ſuis omnibus, præterquã agricolis, & ceteris, quibus vacatio militiæ conceſſa eſt, vſum armorũ, exercitationēque rei militaris permitterent, verùm etiã eos præmiis ad hoc ſtudium inuitarent. hoc ſi fieret, nulla vis, nulla iniuria externa regno Gallico metuēda eſſet. Nunc autem ea omnia, quę eos circumuenire ſolent incommoda, qui in exercitus externi robore præſidium ſuum collocant, nos quoque perſequuntur. primùm ingens pecuniæ vis in eũ inſumitur, quà ille bello finito ſecum è Gallia noſtra exhauſto fiſco, exhauſtis priuatorũ loculis exportat. deinde nõ poteſt ſimili animi alacritate pro regis incolumitate, Galliæque ſalute decertare, atque ciues. præterea nõ ſine periculo ei creditur. accidere enim poteſt, vt maiore pecunia ab hoſtibus oſtētata ac promiſſa, ſeſe repēte illis adiungat, victoriámq; adiudicet: prętere a ſiquod flagitium militari in ſe admittat, nõ facilè in eum animaduerti poteſt, tum fit quodammodo regnum Gallicum nationibus illis, quarũ pręſidio & ſubſidio vti cogitur, vectigale ac ſtipēdiarium. prętere a alienãtur

à principe ciuium animi cùm vident maiorem fidem haberi alienigenis, quàm ſibi: ſe ſpoliari atque exhauriri, illos ornari, ac locupletari. deinde non contenti illi interdum ſuis ſtipēdijs vrbeis & agros Galliæ diripiunt, atque expilāt. poſtremò cùm accidere poſſit, vt repente bellum nobis inferatur, hoc eſt, nō antè indictum neque denuntiatum, & ita præter ſpem, opinionémq; noſtram, & nobis imparatis hoſtes in fineis regni irrumpant, illorum autem aduentum, auxiliúmque exſpectare longum ſit: ciues in arte militari non exercitati, neque armis aſſuefacti iniuriam externam repellere nequibunt. ita poterit in ſummum diſcrimen vocari reſpublica, vtpote & à ſubſidio externo nuda, atq; inermis: & domeſtico præſidio nō ſatis inſtructa. Nam quòd in nobilibus ſolis totius belli robur, & firmamentum collocamus: cùm hi fere omnes ſint equites, equitatus autem ſine peditatu in acie & prælio parum valeat: intelligere licet, copias & vireis Gallicas, niſi alij quoque ciues præter nobileis, arma tractent, artémque militarem exerceant, inualidas atque imbecillas eſſe. Quod ſi etiā illis arti militari operam dare liceret: gens Gallica primùm ipſa ſuis

opibus

opibus polleret: deinde omnibus alijs nationibus eſſet formidoloſa, horribilis, átque inuicta. Nunc autem dum ceteram iuuentutem à ſtudio rei militaris auocamus, atque arcemus, nobis ad externa auxilia neceſſariò confugiendum eſt: vnde ea mala, quæ paulo antè à nobis commemorata ſunt, multáque alia, quæ doctiſſimi clariſſimíque viri collegerunt, litteríſque mandarunt, oriuntur: quæ quando neque huius loci, neque mei inſtituti eſt hac de re diſputare, prætermitto. Verùm cũ Ariſtotelis libros de optima reip. adminiſtrandæ ratione in Latinum ſermonem à multis claris quidem illis, & eruditis viris iam antè conuerſos, ſed tamen illi ſuo, ego meo more, meóque arbitratu conuertiſſem: in quibus hic philoſophus regnum omnibus reip. adminiſtrãdæ formis anteponit: voluiſſémque in hac mea ad te ſiue epiſtola, ſiue totius operis præfatione, huius philoſophorum principis ſententiam, & quaſi veſtigia ſecutus, eorum, quæ de regno, regníque firmamento, quod in beneuolentia ciuium potiſſimùm ait conſiſtere, & de artibus pacis & belli, quarum alteræ domi, & ad otium rectè collocandum, alteræ foris, & ad externam iniuriam repellendam

ſunt vtiles, prudentiſſimè diſſerit, ſemina quædam ſpargere:me in eam, quam dixi, de beneuolẽtia ciuium orationem ingreſſum, quam ſciunt omnes nationes Gallis erga reges ſuos eſſe ſingularem, ita vt ſine externa cuſtodia, amore ſuorum & fide ſepti totam ſuam Galliã tutò perluſtrare ac peragrare poſſint, prouexit rei ſimilitudo, vt adderem illud, quod à ſapientiſſimis (vt paulo antè dixi) clariſſimíſque viris, iiſque Gallis. Gul. Bellaïo Langæo, nobiliſſi. viro, rei militaris peritiſſ. imperatoréq; optimo: Claudio Seſello doctiſs. & prudentiſs. viro, regis Lodouici XII. conſiliario, & ad extremum eccleſiæ Maſſilienſis antiſtite facto, & ſæpe in ſenatu diſputatum, & litteris mandatum eſt, regnum Galliæ ſuis domeſticis copiis ſatis eſſe ab omni externa iniuria munitum, ſi reges non ſolùm equitatu, verùm etiam peditatu Gallico, ſine externo, vti vellent: neque vel tempora reip. vel temporum ipſorum inclinationes aliud conſilium ſequi coëgiſſent. Hæc mihi huius ſermonis anſa data eſt: quo prætermiſſo, redeo ad hos Ariſtotelis de optima reip. adminiſtrãdę ratione libros: quos tibi potiſſimùm, Errice, non temere (niſi fallor) dicandos eſſe exiſtimaui. Quamuis

enim

enim ſcirem, te ad hāc ciuilem, quam politicam appellant Græci, ſcientiam aſſiduo vſu, & quotidiana exercitatione erudiri, vt pote quem Karolus frater tuus ſenatui, conſilióque ſuo ei, in quo de ſumma rep. quotidie agitur, præpoſuit: putaui tamen me tibi gratum facturum, ſi, quæ tu quotidie ſparſim, & confusè, & ſingillatim audis, & cognoſcis, & tractas, ea vniuerſa ab Ariſtotele his libris comprehenſa, & quaſi ſub vno aſpectu poſita, & incredibili docendi via ac ratione tradita, atque explicata, & à me Latina facta tibi donarem. Sæpe enim audiſti, opinor, à Io. Paulo Selua, viro doctiſſimo, eccleſiæ diui Flori epiſcopo, præceptore tuo, neque parcius à Franciſco Carnaualeto, equite aurato, cuſtode & rectore tuo, homine militari quidem illo, & artium bellicarum peritiſſimo, ſed tamen ita bonarum litterarum, & omnis liberalis doctrinæ ſtudioſo, vt & in his ſtudiis totam ſuperiorem ætatem contriuiſſe videatur, & quotidie meliores diei horas in eiſdem conſumat: ab his igitur ſæpe audiſti, quātus ſit philoſophus Ariſtoteles, quàm elegans ſcriptor, quàm acutus, quàm ſubtilis, quàm aptus ad docendum, quàm copioſus, quàm omnium

rerum cognitione refertus. Neque tamen me fugit nonnulla eſſe apud eum partim difficilia atque obſcura, (quemadmodum & apud omneis ſcriptores) partim à noſtris temporibus & moribus aliena. Sed quod ad prius illud attinet, nulla eſt difficultas aut obſcuritas, quæ non improbo labore, & acri ſtudio, & crebra lectione peruincatur: qua tamen opera & moleſtia (ſi legere ac diſcere moleſtum eſt, & non potius iucundum,) te Selua, & Carnaualetus tui leuabunt. Si qua autem à noſtra conſuetudine in his libris reperientur abhorrere, nihil tamẽ ferè erit, quod non ingenioſus & prudens lector ad hæc tempora atque ad vſum noſtræ reip. accommodare poſſit. Reliquum eſt vt te duo orem atque obſecrem, Errice: primum vt ne inducas in animum, quod quibuſdam nobilibus hominibus, qui tamen nihil habent nobile præter nomen inutile, & iactãtiam verborum inanem, & prædicationem generis ventoſam, perſuaſum eſt, quódque habẽt aſſiduè in ore, litteras & doctrinam ad artem militarem nihil conferre, atque etiam ad animos effæminandos valere. Nũquam ſcilicet de Pallade armata, numquam de Marte togato quicquam audierunt:

runt:quæ quid aliud ſignificant, quàm neque ſapientiam & doctrinam ſine armis & viribus multùm,neque vireis & arma ſine ſapientia & doctrina quicquam poſſe? Itaque magni & præſtantes imperatores, doctrina exculti & eruditi fuerunt. Epaminondas, Alcibiades, Alcæus, Xenophon, Dion, Philippus Macedo, eius filius Alexander Magnus, Scipio Africanus, L.Lucullus, Cn.Pompeius, Iulius Cæſar, M.Brutus, Aſinius Pollio, A. Hircius, &, ne longè exempla petantur, Bellaïus Langæus, &, qui tibi vnus inſtar multorum eſſe debet, Franciſcus Valeſius, hoc nomine Rex Gallorum primus, auus tuus, bellator acerrimus, idemque litterarum parens, & omnis liberalis doctrinæ inſtaurator cognomento dictus. Contrà non pauci laudes imperatorias, & gloriam ex arte militari partã, ſiqua forte parta ſit, ignoratione litterarũ inquinarũt, & propterea quòd non habuerunt adiumenta doctrinæ, permulta peccarunt. Caue igitur, Errice, te auferant praua talium hominum conſilia, caue te cõmoueant voces ad ſpeciẽ quidem fortes, & viriles, & magnificæ, & vtiles, atque opportunæ: ſed reapſe molles & muliebres & humiles, & capitales, & pernicio-

ſæ, litteras ab arte militari alienas eſſe, Quin exemplo clariſſimorum & præſtantiſſimorum imperatorum, exemplo aui tui, Franciſci primi doctrinã cum ſcientia rei militaris, & imperatoria virtute coniunge: atque hoc tibi perſuade, litteras nõ ad artem militarem tantùm, verùm etiam ad actiones omnes humanas, eſſe veras, certas, & fideleis duces: cõtrà ſine his eos, qui alioqui ingenio & natura valent, in rebus gerendis plerumque fœdiſſimè labi atque errare. Alterum eſt, quod abs te etiã, atque etiam peto, vehemẽtérque contendo, contendit collegium profeſſorum regiorum ab auo tuo Frãciſco primò inſtitutum: contendit denique vniuerſa hæc ſchola Pariſienſis, vt rectarum diſciplinarum, bonarúmque litterarum, atque artiũ qua olim auus tuus Frãciſcus I. intermortuas ac ſepultas propè ab inferis excitauit, atque in tota Gallia ſua inſtaurauit: pater tuus Erricus II. conſtanter retinuit, ac ſtabiliuit: quæ nũc partim ab ijs hominibus, qui maiorum tuorum beneficio eruditi, doctriníſque exculti, ad magnos honores, amplasque diuitias per litteras viam ſibi munierunt, aditúmque ſibi patefecerunt: partim ab ijs, qui tam promta & parata
diſcendi

diſcēdi facultate neglecta ac repudiata per omnem vitam ſummo ſuo cum dedecore rudes, atque indocti, quàm doctrinis ornati, litteríſque expoliti eſſe maluerunt, acerrimè oppugnantur: quæ nunc orbæ relictæ ſolitudinem ſuam lugent, vicemque miſerabilem queruntur: harum te fidelem tutorem profitearis. Hoc cùm facies, primùm maiorum tuorum monumentum glorioſiſſimum tueberis, & conſeruabis: deinde Karolum regem, fratrem tuum, tui facti approbatorem, & M. Hoſpitalē, cancellarium, virum doctiſſ. ſapientiſſ. atque integerrimum, adiutorem habebis: deinde gratos homines, & qui beneficium abs te acceptum verbis ampliſſimis commemorare, ac prædicare poterunt, tibi obligabis: poſtremò iuuētutis Gallicæ à litteris prope iam alienatæ propterea quòd non modò nullus eis nunc habetur honos, verùm etiam turpiſſimæ ignominiæ timor denūtiatur, periculúmque intentatur, animum iacentem ac languentem reficies atque excitabis. Vale: Lutetiæ, idibus Iunijs, Anno à gente humana ſeruata, CIƆ IƆ. LXVII.

D. Lambinus Illuſtriſsimo Principi, Errico, Magnæ Spei Adoleſcenti, domus Engoliſmenſis Notho, nuper equiti ſacræ militiæ diui Ioannis Hieroſolymitani manu Regia facto: eidémque magno Franciæ priori, vno totius ordinis conſenſu, ſummáque omnium hominum voluntate, deſignato.

SOcratem illum omnium eruditorum teſtimonio, totiúsque Græciæ iudicio facilè philoſophorum principem, aiũt dicere ſolitum, cùm aliquem inſtituendum, atque erudiendũm ſuſcepiſſet, perfectum ſibi tũ opus eſſe, cùm is cohortatione ſua ſatis incitatus eſſet ad ſtudium cognoſcẽdæ, percipiẽdæque virtutis. Cui enim perſuaſum eſſet, eam artem, ad quam diſcendam alliciendus erat, magnopere eſſe expetendam, eiúsque ſtudium ceteris omnibus anteponendum: ei reliquam iam perfacilem eſſe doctrinam iudicabat. Idem philoſophus cum eo præclarè actum eſſe dicebat (vt eius auditor ſcriptum reliquit Plato) cui vel in ſenectute cõtigerit vt veras opiniones aſſequatur, veréque de iis,

quæ

quæ ſunt expetenda, quæque fugienda, exiſtimet, ac ſentiat. Quid igitur vel Socratem, vel Platonem, ſi reuiuiſcant, dicturos arbitremur, cùm te adoleſcētulum tali loco natum viderent, non ſolùm omnium bonarum artium, ac litterarū, atque adeò omnium virtutum ſtudio, amoréque flagrare, verùm etiam hoc conſtanter ſentire, atque hoc tibi perſuaſiſſe, nihil in hac vita magnopere eſſe expetendum præter litteras, & doctrinam, & virtutem, eiúsque aſſiduam exercitationem? Nónne Alcibiadem, & Critiam, quamuis egregia ad omneis virtutes indole præditos, præ te contemnerent? nónne omnem operam ſuam ad virtutes iſtas in animo tuo inchoatas atque informatas, vtilibus, opportuníſque monitis ac præceptis amplificandas, exaggerandas ac perficiendas conferrent? nónne ſe in te adiuuando ac perpoliendo ſtudium omne ſuum præclarè poſituros arbitrarentur? nónne tu taleis magiſtros nactus, tali ingenio ornatus, ita animatus atque affectus, quò te tales ſapientiæ duces atque auctores ducerent facilè peruenires? Quamquam nō ſunt tibi, vt ad ſummum illum virtutis & ſapientiæ gradum peruenias, Socrates & Plato ab inferis ex-

citandi. nam Plato quidem, qui ſtudioſè Socratem audiuit, parte ſui deteriore exanimis, & è natura rerum ſublatus, in ſuis ſcriptis viuit ac ſpirat: Socrates autẽ, qui, quamdiu vixit, calcaris inſtar populum Athenienſem, tanquam equum ſegnem ac tardum, mirificè ad virtutẽ excitauit, nullam ille quidem litteram ſcriptã reliquit, ſed tamen omnibus in libris Platonis diſputans, & docẽs ab eo inducitur, ita vt nos Platonem legentes, Socratis vocem audire videamur. Quamobrem ne mortui quidem tibi deſunt: quin ſeſe totos tibi patefaciũt. Atque, vt hi omnia ſua diuina profata vltrò tibi deferunt, ac depromunt, ita tu eorum operam tam promtam ac paratã non aſpernaris. Poſteaquàm enim iam melioris notæ poëtas Græcos & Latinos, Homerum, Heſiodum, Pindarum, Sophoclem, Euripidem, Virgilium, Horatium cognouiſti: híſque M. Tullium, Salluſtiũ, Cæſarem, & T. Liuium addidiſti: mathematicas arteis præterea didiciſti: hoc tibi reſtare ac reliquum eſſe vides, vt Platonẽ, Xenophontem, Ariſtotelem, Plutarchum, veros agẽdi, dicẽdíque magiſtros, amplectaris. Quod cùm te propediem facturum ſuſpicatus eſſem, ídque de moderatoris ac

Phœ-

Phœnicis tui Io. Morelli, Ebredunēſis, doctiſſimi, prudētiſſimíque viri ſententia, vt ſcilicet non labrorũ tenus ſapias, ſed, vbi è Platonis & Ariſtotelis fontibus rerũ cognitionē hauſeris, eorúmque ſermonibus & rationibus animum tuũ ſatiaris, verba iã ex imo pectoris receſſu manantia, & niuibus illis hibernis, quibus cũ Homerus Vlyſſis eloquentiam comparat, ſimilia, nō è primoribus labris naſcētia, nec pennigera, aut, vt appellat Homer. πτερόεντα, profundas: cùm igitur te hoc conſilij capturum, Morello tuo ſuaſore atque hortatore, exiſtimarē, & iam pridem ſtudia tua cōueniēti aliquo munuſculo, pro mea virili parte adiuuare cuperem: Alcinoum, Platonicum philoſophum, qui totã Platonis rationem ac diſciplinam, multis verbis in eius libris explicatam, in pauca contulit & contraxit, quem commodùm ſuperioribus diebus, horis ſubſiciuis, & de tempore illo neceſſario & legitimo, déque eo docendi munere, quod mihi à rege Karolo aſſignatum eſt, detractis ac dereptis, in Latinum ſermonem conuerteram, cum tibi donare, & ſub tuo nomine in vulgus edere volui. Ex quo primùm hoc fructus te percepturum eſſe tibi cōfirmo,

quòd eo perlecto, non hoſpes, aut imparatus, aut profanus ad legendum Platonẽ accedes, ſed quaſi inquilinus iam, & præparatus, & initiatus, eiúſque ſacris & myſteriis imbutus, eum familiariter, & iucundè tractabis: deinde vbi Platonem diligẽter & accuratè legeris, hic libellus abs te relectus, tibi ea, quæ ſunt apud Platonem hàc & illàc diſperſa ac diſiecta, ſub vnum quaſi aſpectum ponet, neque è memoria effluere ſinet. Neque verò temerè Io. Morellus moderator tuus, tibi auctor erit, vt Platonem, prius quàm Ariſtotelem attingas, legere inſtituas. Nam cùm ea omnia, quæ à Platone diſſeruntur, etiam ab Ariſtotele retractentur, & partim quæ à Platone in vtramque partem diſputata, & dubia relicta ſunt, eorum pars altera ab hoc cõprobetur, altera refellatur: partim quæ ab illo poſita, & affirmata ſunt, ab hoc coarguantur, & reprehendantur, vt ideæ, vt vxorum, bonorúmque communitas, & cõplura alia: partim quæ ab illo longo ſermonis amfractu, & (ſi dicere fas eſt, loquaciter & verboſè, & impeditè dicuntur, ab hoc breuiter, & preſsè, & enucleatè diſſerantur: difficile eſt eum, qui non antè Platonem peruolutarit, & cognouerit, ex Ari-
ſtotelis

ſtotelis limatiſſimo,& ſubtiliſſimo,&breuiſſimo diſputandi genere,præſertim eaſdẽ ferè(vt dixi)quas Plato agitauit, rationes,quæſtionéſque perſequentis, aut ſententiam elicere, aut fructum percipere. Porrò autem quamobrem Alcinoum ab aliis iam Latinum(vt quidem videtur multis(factum,ego,tanquam actum agens, de integro Latinitate donarim,eius rei,vt deſinant homines mirari, cauſas exponam. primùm ab aliis inquinatè,& barbarè, nõ Latinè redditus erat: deinde ne ſententia quidem Alcinoi ab aliis interpretibus ſæpe intellecta fuerat, nedũ hic philoſophus ab illis è Græco in Latinum ſermonem conuerti potuit.poſtremò exempla Græca Alcinoi vulgata multis locis corrupta & deprauata ſunt, ita vt ne ab iis quidem, qui eum Græcè legant, niſi plerumque diuinent, & tum linguam Græcam valde calleant, tum Platonis rationes omneis diu,multûmque animo pertractarint, memoriáque teneant,intelligi queat. Atque hæc nolim mihi credas,niſi inter legẽdum vel per te,vel à nobis in ſcholiis admonitus,ita eſſe multis ex locis cognoueris. Ex quibus licet etiam nunc pauca quædam deguſtes. Sic igitur ab Alcinoo ſcriptum

eſt capite V I. (nam etiam nos hunc libellum in capita tribuimus , quamuis in exemplari Græco continua ſit oratio , neque capitibus interrupta) ἐφιέμεναι γὰρ τοῦ ὄντος λαμβάνεσθαι γεωμετρία τε καὶ ἀριθμητική, καὶ οἱ ταύταις ἑπόμενοι ὀνειρώττουσι περὶ τὸ ὄν , ὕπαρ δ' αὐτὸ ἀδυνατοῦσι ἰδεῖν, quorum verborum hæc ſententia eſt . Cupientes enim id,quod eſt,adipiſci , geometria & arithmetica,& qui has ſequuntur, in eo , quod eſt,ſomniant:reapſe autem id cernere nequeunt. At illi hæc ſic interpretati ſunt: Geometria quippe,& arithmetica , & qui eas colunt,ad eius,quod eſt, cognitionem viam affectant : ſed circa id ſomniantibus ſunt ſimiles: nec in eo amplius quicquam conſequi poſſunt. In Græco exemplari emendato ſcriptum eſt ὕπαρ, quod opponitur voci ὄναρ , & ſignificat re vera, aut re ipſa,aut vigilando: illi autem legerunt ὑπὲρ,vt eſt in omnibus libris vulgatis,ídque verterunt amplius . Cap. x v. ſic habet Græcum exemplar, καὶ τὰς μὲν ὕπαρ τε καὶ ὄναρ κατ' εὐθωρίαν γινομένας φαντασίας ὧδὶ συνίστασθαι,hoc eſt,atq;eas quidẽ, quæ vigilantibus, & quæ in ſomnis obiiciuntur,ecta linea , aut recta regione viſiones hoc modo conſtitui . Illi hæc ſic inter-

interpretati ſunt: Atque has quidem viſiones, in ſomnis directè occurrentes in hepate ſicconſtitui. Obſecro te, Errice Engoliſmæe, non vides quantum interſit vtrùm quis hoc dicat, in eo, quod eſt, ſomniant, reapſe autem id cernere nequeunt: an illud, ad eius, quod eſt, viam affectant, & circa id ſomniantibus ſunt ſimiles, nec in eo amplius quicquam conſequi poſſunt? & vtrum hoc dicat, eas, quæ vigilantibus, & quæ in ſomnis obiiciuntur, viſiones, &c. an illud, has viſiones in ſomnis directè occurenteis in hepate conſtitui? Cap. XVIII. vitiosè legitur in omnibus exemplis, κακωτικαῖς διαλήψεσι, quod ſi ad verbum interpretari velis, ſignificat maleficis cognitionibus, ſeu cogitationibus. illi verterunt, captioſis aſſumptionibus. Atqui quis non videt, hanc vocem κακωτικαῖς neque ad hunc locũ, neque ad huius loci ſententiam quadrare vllo modo poſſe? In eo igitur exemplari Græco, cuius mihi facta eſt in Italia copia, aſcriptum erat ab emendatore aliquo, διανοητικαῖς, ἤγουν καθολικαῖς, quorũ mihi quidẽ videtur alterutrũ, eiecto hoc κακωτικαῖς, eſſe recipiẽdũ. Pręterea illi vbiq; fere αἰσθητὸν quę vox ſæpe vſurpata ab Alcinoo eſt, vt & ab aliis omnibus philoſophis, quæ ſignificat id,

quod ſenſu percipi poteſt, aut quod ſub ſenſum cadit, aut quod ſenſum mouet,) illi ferè ſemper vertērũt, ſenſile eſt id, quod ſentiendi vim habet, aut quod ſentire poteſt: quod Grȩci *αἰσθητικὸν* appellãt. Itaque ex illorũ interpretatione nihil intereſt inter *αἰσθητὸν* & *αἰσθητικὸν* quo quid abſurdi⁹? Hæc igitur, & ſimilia quàm plurima cùm animaduertiſſem, cúmque adoleſcenteis bonarum artium ſtudioſos huius libri lectione mirum in modum captos viderem, quòd eis eſſet perſuaſum, eo perlecto, ſe egregios philoſophos euaſuros: ego eorũ vicem miſeratus, qui in tanto errore verſarentur, quia neque illi, neque quiſquam mortalium Alcinoi ſententiam nedum Platonis, ex iis, quæ exſtabant, interpretationibus conſequi poſſit: eo ipſo tempore, quo eram in explicanda nobili illa Demoſthenis *περὶ παραπρεσβείας* oratione, & in perpoliendis, & edendis libris octo Ariſtotelis de optima reip. adminiſtratione occupatus, horas aliquot huic cogitationi impertiui, vt Alcinoum quàm fideliſſimè, & Latiniſſimè poſſem, & quo ad res argumentúmque paterentur, interpretarer, cupiditate & ſtudio, vt dixi, iuuentutis *φιλομαθοῦς* iuuandæ inflammatus, non vlla

in

in quemquam maleuolentia, vllóue odio impulſus. Eo autem facilius, vt hoc negotium ſuſceperam, adductus ſum, quòd, cùm in Italia eſſem, nactus ſum exemplar manuſcriptum non ſolùm in ipſo verborum contextu aliquanto vulgatis exemplis emendatius, verùm etiam ad oram libri notis paucis quidem illis, ſed tamen luculentis illuſtratum: quas veriſimile eſt vel ex alio codice emendatiore eſſe eſcriptas, vel ab erudito aliquo viro excogitatas. Scholia autem breuia quaſi properantes adiecimus, non tam vt Alcinoi ſenſum, qui non admodum obſcurus eſt, aut ſi eſt, ex Platone declarandus, atque illuſtrandus eſt, quàm vt partim rationem noſtræ interpretationis redderemus, partim veterum vitium oſtenderemus, partim ad fonteis ipſos, vnde Alcinous ea, quæ breuiter perſtringit, delibaſſet, quaſi digitos intēderemus, quo ſtudioſos litterarum adoleſcenteis quærendi labore, moleſtiáque leuaremus. Iuſtam commentationem in hunc libellum non conſcripſi tum propter occupationes meas (habebam enim nunc Plautum in manibus, in quem commentarios moliebar: iámque in ſex comœdias, tertiam ferè totius laboris partem, confe-

ceram) tum quòd non putabam Alcinoũ, cuius conſilium fuiſſet, rudibus viam ad Platonem patefacere ac munire, longis commentariis onerandum: & tamen ſiquando plus otij nactus ero, & ſi his occupationibus & curis, quæ nunc animum meum diſtinent, me laxaro, non me pigebit locos Alcinoi difficiliores ex Platone & Ariſtotele expedire atque explicare, breuitérque ac dilucidè quid inter Platonem & Ariſtotelem conueniat, quid non, indicare.

In capita autem etiam noſtram interpretationem diſtribuimus, partim quòd ea habuerit non ſolùm vetus interpretatio, verùm etiam recentior, atque interpolata: partim vt & tibi conſuleremus, & probis quibuſdam, atque honeſto loco natis adoleſcentibus, qui noſtro labore vnà tecum frui cupiunt, eius fructus, quem hinc percipient, (ſi quem percipient,) gratiam tibi habituri ſempiternam, morem gereremus, vt ita faceremus, etiam atque etiam petentibus. Nam neque vetus exemplar Græcum, neque vulgata exempla capitibus ſunt diſtincta. Quamquam autem graue eſt homini prudenti (vt ſcripſit Romanorum eloquentiſſimus

tiſſimus)petere aliquid magnum ab eo ,de quo ſe benè meritũ putet, ne mercẽdẽ officij,& muneris ſui exigere videatur:tamẽ huius Alcinoi noſtri,quẽ tibi donamus ac dicamus, Errice Engoliſmæe, hãc vnicam abs te gratiam repetimus,nobisquidẽ magnã,ſed tibi non laborioſam neque moleſtam,vt litterarũ,& huius ſcholæ Pariſiẽſis,& noſtri collegij patrocinium tua ſpõte iam receptum,pro tuo in litteras flagrãtiſſimo ſtudio,tuáque ſingulari inhomines litteratos beneuolẽtia tuearis: Erricóque Valeſio Andiũ duci,qui ſibi earũdẽ rerum tutelã depopoſcit,quaſi ſecũdas parteis ferẽdo,adiutorem te præbeas. Hoc ſi facies, primùm(idquod tibi in alia epiſtolaſpopõdi ac recepi)homines nõ tacitos,neque infantes,ſed qui voce,& lingua iuſtructi beneficiũ acceptum nõ ſolùm apud eos, qui nũc ſunt,prædicare, verùm etiam poſteris prodere poſſint,tibi in perpetuũ deuinxeris.deinde quorundã nobiliũ,qui nihil habẽt nobilitatis præter nomẽ,& ſpeciẽ,vita autẽ & factis ſunt ignobiles atq; inhoneſti ſpẽ debilitabis,opinionẽq; falles,q te cupidiſſimè,& alacerrimè in litteras incũbẽtẽ, &per medias perfectæ virtutis laudes quaſi quadrigis volãtẽ, exiſtimabãt, ac ſperabãt

veſtitu mutato,etiam voluntatem ac ſententiam mutaturum , priſtinúmque tuum virtutis & litterarum ſtudium obiecturum: iiſdémque grauiſſimum dolorem inures, cùm te videbunt non modò quicquam de priſtino tuo in litteras ſtudio remiſiſſe,verùm etiam in dies magis ac magis, earum amore inflammari poſtremo iuuentuti Gallicæ,cuius ad litterarum ſtudia impetum propè retardabant iam,& reprimebãt tempora litteris & virtuti inimica,tuo exemplo animum reddes,cùm te adoleſcẽtem principem,tali genere, & tali loco ortum,ad taleis & tantos honores expectatum,animaduertent, litteras, quas fere ab incunabulis amplecti & colere cœpiſti,nõ modo non aſpernari,ſed hoc tibi,vt initio dixi,certo, veréque perſuaſiſſe, quo doctior fueris, eo te ad res magnas, laudabileis, præclaras, atque immortaleĩs gerendas animoſiorem,inſtructiorem, compoſitiorem,ac paratiorem futurum. Vale, Lutetiæ III. Idus Quinctileis, anno à genere humano ſeruato CIↃ. IↃ. LXVII.

Dionyſ.

Dionyſ. Lambinus Monſtrolienſis, Græcarum litterarum Lutetiæ doctor Regius, Errico Valeſio, Andium Duci, Regis Chriſtianiſ. Caroli noni Fratri, liberaliſsimo, & maximi animi Principi.

CVM ſemper antea bonarum litterarum ſtudium mihi ad innumerabileis animi moleſtias, quas fert vita, leniendas, & moderatè ferẽdas, tranquillúmque animi ſtatum comparandum, magno adiumento fuiſſe expertus ſim, Errice Valeſi, princeps clariſſime, & generoſiſſime: tum ſuperioris anni tumultu ciuili, penè dicã, ſalutem attuliſſe cognoui. Nam cùm Galliam, communem omnium noſtrûm parẽtem, bello domeſtico ardere, multóſque ad hoc incẽdium amplificandum vndique conuolare, paucos ad reſtinguendum accurrere viderem, incredibilíque animi dolore ex calamitate reip. afficerer: quibus in rebus illo tam atroci, & turbulento tempore acquieſcerem, aut vnde potiſſimùm tanto mærori vel remediũ, vel alleuamentum quærerem, præter libros & litteras, reperire non potui. Quamuis enim illius belli ciuilis ſecundi initium in id tempus

inciderit, quo tempore docēdi munus mihi, cęteríſq; collegis meis, doctoribus Regiis, poſt intermiſſiones vſitatas, & more maiorum conceſſas, repetendum erat, neque me à meo neceſſario docendi munere tanta reip. perturbatio, ciuitatíſque trepidatio abduxerit, cùm præſertim viderem, omneis bonarum artium magiſtros ac doctores in huius ſcholæ vniuerſæ gymnaſiis ſuas docendi parteis diligenter agere: non tamen hæc mea quotidiani muneris functio ita me tenere poterat occupatum, vt à præſentium malorum, quæ quotidie ante oculos verſabantur, cogitatione animũ auocare poſſet. Porrò autem vt vel miles caſtra ſequerer, vel armatus in vrbe volitarem, homo rei militaris imperitus, & ad bellum ineptus natura, ſempérque in litteris vſque à puero verſatus, &, quod caput eſt, corpore imbecillo, & ætate iam ingraueſcente, animum inducere non poteram: & verò ſi hoc facerem, æquè me ridiculum hominibus futurum exiſtimabam, atque ſi bos piger venari, aut in ſtadio currere conaretur: cæteroquin ad patriam, & religionem Chriſtianam antiquam, & καθολικὴν nobíſque à maioribus per manus traditam, retinendam, ac defendendam, animo

mo & voluntate promptus ac paratus. Itaque, quod ipſè per me efficere atque exſequi nequibam, id per aliam perſonam, cõmuni omnium bonorum ciuium incõmodo, periculóque excitatus, & cõmuni dolore commotus, ſubrogato meæ operæ, meíque laboris vicario, homine tractandorum armorum non imperito, libenter, & diligenter obibam: qui pro me & noctu ſtatis diebus excubabat, & interdiu ad certam vrbis portam in præſidio ſtabat: quod ab illo vſque tempore ad hodiernum diẽ fieri deſitum non eſt, propterea ſcilicet quòd res ne pace quidem cõſtituta, vtpote parum certa & firma, ſatis tranquillatæ fuerunt. Sedulitatem autem eorum, qui vel corporis robore pollentes, vel ætatis maturitate florẽtes, vel in laboribus militaribus exercitati, pro patria, pro aris & focis, pro reip. ſtatu, pro regni incolumitate, pro religione deniq; arma capiebãt, ſéque ipſi in diſcrimẽ capitis offerebant, non ſolùm laudabã, verùm etiã ęmulari cupiebã. Imperatam ac deſcriptam in capita, aut in oſtia ad belli ſumptus tolerãdos pecuniã, pro facultatum mearum tenuitate cõferebã, ceteráque munera & onera ciuilia mihi cõmuniter cum aliis ciuibus à præfectis

vrbanis impoſita, æquo animo ſubibam, ac ſuſtinebam. Cùm igitur patriæ in peſſimum locum certorũ hominum culpa adductæ, neque conſilio, neque lacertis, neque facultatibus rei familiaris magnopere opitulari poſſem: conſilio, quia, cùm priuatus ſim, in conſilium publicum non adhibeor: lacertis, quia ætas, & imbecillitas corporis, & inualetudo ab hoc munere fungendo me vindicant: facultatibus, quia res mea familiaris eiuſmodi eſt, vt, quantulumcũque de ea detrahatur, ac decedat, id mihi quidem & meis valde incommodum ſit futurum, fiſcum autem non multo pleniorem ſit facturum: cúmque non ſolùm ex præſenti, verùm etiam ex impẽdente toti Galliæ calamitate, & vaſtitate maiorem animo, quàm vt eam ferre poſſem, moleſtiam caperem: vnum ſolatium, vnúmque adeò perfugiũ nactus ſum, quo vterer, muſas & litteras. Quę cùm latè pateant, cúmque nõ vnius generis ſint: (nam partim philoſophorum diſputationibus, partim poëtarum carminibus, iíſque multùm inter ſe diſſimilibus, partim oratorum dictionibus, atque actionibus, partim hiſtoricorum narrationibus continentur:) oratores & poëtas, vt parum ad eam rem,

quam

quam quærebam, vtileis, in præſens tempus ſepoſui. Philoſophi & hiſtorici reſtabant, quorum lectio mihi maximè animi moleſtias abſtergêre poſſe videretur. Ex his igitur duobus ſcriptorum generibus cùm viderem, philoſophos res præclaras illas quidem, & vehementer ad vſus vitæ quotidianæ, animíque trãquillitatem vtileis, litteris mandaſſe: ſed vel nõ omnibus facileis, vel non omnibus probabileis, nimíſque ferè ab hominum ſenſibus, & vulgi opinionibus remotas: magis denique ad cognitionem, mentíſque agitationem, quàm ad actionem accommodatas: hiſtoricos ſumſi, ac delegi, quibus illo quidem tẽpore me totum traderem: ídque eo magis, quòd volebam totam hãc lectionem, quam inſtitueram, ac ſuſceperam, non mihi ſolùm, ſed etiam omnibus hominibus, qui bonis artibus eruditi, & litteris politi ſunt, fructum aliquem ferre. Cùm itaque hoc conſilium cepiſſem, vt meæ vigiliæ multis prodeſſent, hiſtoricóſque omneis Græcos, ac Latinos, aut, ne mentiar, probatiſſimos, ac nobiliſſimos, maximéque ad eam rem, quam meditabar, & moliebar, neceſſarios, Herodotũ, Thucydidem, Xenophõtem, Polybium, Plutarchum, Dio-

dorum Siculum, Appianum, Salluſtium, T. Liuium, Cornelium Tacitum, & nonnullos alios ſimileis, accuratè perlegiſſem: exiſtimaui, me, ſi, quæ ab illis de excellentibus, & præſtantibus Græciæ, & Italiæ, & Aſiæ imperatoribus, multis verbis expoſita ſunt, ea ad Æmilium Probum, ſeu Cornelium Nepotem (non enim ſatis conſtat, quis ſit harum vitarum ſcriptor) illuſtrandum, quibus in locis breuior, atque iccirco obſcurior eſſet, cõgeſſiſſem, & cõtuliſſem: ad propoſitũ mihi huius mei cõſilij finem facillimè peruenturum. Fuit porro mihi, (verè loquar) harum commentationum conſcriptio, & confectio, operoſa illa quidem, & laborioſa, ſed tamen dulcis & iucunda. Nam primùm aberrationem à moleſtiis, quam optabam, & quærebam, hinc ſum conſecutus: deinde non parua voluptate afficiebar, cùm multorum ſæculorũ hiſtoriam iucundiſſimę varietatis plenam, clarorum virorum aliorum optabileis, aliorũ miſerabileis exitus, magnorum imperatorum res vel ſecundas, vel aduerſas, rerumpublicarum commutationes, vrbiũ oppugnationes, & euerſiones, potentium regum fortunas proſtratas, atque afflictas, bellorum & externorum, & domeſtico-
rum

rum calamitates, populorum iracundias, & inſanias, cetera huius generis innumerabilia cognoſcebam, & conſiderabam. poſtremò legentem me & ſcribentem, & ſingula ſuo loco diſponentem, ac digerentem mirificè excitabant litteræ tuæ, ſexdecim circiter ab hinc menſes ad me datæ, breues illæ quidem, ſed tamen liberalitatis & ſingularis in litteratos & eruditos viros amoris plenæ: quibus, præterquàm quòd mihi ſignificabas, libros Ariſtotelis de optima reip. adminiſtrãdæ forma à me Latinitate donatos, quos tuo nomini conſecraram, & ad te mittendos curaram, fuiſſe gratiſſimos, atque acceptiſſimos, prætereà aſcribebas, ſi te hoc modo ſtudiorum meorum participẽ facere perſeuerarem, maximam abs te, pro eo, quãti me, meíque ſimileis, faceres, & omni vitæ tempore facturus eſſes, gratiam initurum. ad extremum hac clauſula vtebare, iudicij iſtius tui, quo mihi, ac noſtri ordinis hominibus plurimum tribueres, optimam ac promtiſſimam voluntatem faciendi mea cauſa quamcunque occaſionem nactus eſſes, ſi quid abs te poſtulandum eſſe exiſtimarem, comitem aſſiduam, & perpetuam futuram. Quem non vel ignauiſſimum ac

tardiſſimum tam liberales, & munificæ litteræ, & à tali tantóque principe miſſæ ad ſcribendum incitarent? quis non tanta ſpe propoſita omneis corporis & animi labores perferret, omneíſque ingenij vireis cõtenderet, vt aliquid tanti principis exſpectatione dignũ ederet? Sic igitur feci: hoc eſt, maximam diligentiam adhibui, ſummóque ſtudio elaboraui, vt Æmilius Probus, ſiue, vt alij volunt, Cornelius Nepos, hac noſtra editione non ſolùm quàm emendatiſſimus, verùm etiam noſtris commentariis quàm ornatiſſimus, & quàm explicatiſſimus in publicum ſub tuo nomine prodiret. Quanquam, ne quid diſſimulem, maiora paro. Cogito enim res veſtras geſtas, eas, inquam, quas tu, & frater tuus Carolus, rex Chriſtianiſſimus, & auguſtiſſimus, & geſſiſtis iam, & geretis, litteris mandare, memoriæque ſempiternæ prodere, ſi modò vos operam meam nõ aſpernabimini, & ſi mihi vita ſuppetet. Quamuis enim veſtrorum in rempub. meritorũ, veſtrarúmque rerum bene, fortitérque geſtarum aliam fortaſſe mercedem non deſideretis, quàm conſcientiam rectæ voluntatis, & teſtimonium bonorum, qui hodie viuunt: tamen laus poſteritatis, & gloria ſempi-

ſempiterna, quæ ſine litteraum monumẽtis conſtare non poteſt, non eſt pro nihilo putanda. Hãc enim fortiſſimi, & omnibus virtutibus præſtantes viri non contemſerunt, neque id immeritò. Gloria enim, quę laus eſt rectè factorum, magnorúmque in remp. meritorum, fructus eſt veræ virtutis honeſtiſſimus, vnáque res eſt, quę vitę breuitatem poſteritatis memoria conſoletur, vt ſcripſit optimus auctor quodam loco. Nam præter illam immortalitatem, quam nos religionis Chriſtianæ ſacris initiati, & diuinis oraculis confiſi poſt hanc vitam, quæ corpore, & ſpiritu continetur, cuiúſque curriculum breuibus à natura terminis eſt circumſcriptum, exſpectamus, eſt & illa altera, quæ in memoria viuorum eſt poſita, quámque multorũ ſæculorum poſteritas alet: quæ ſine litterarum præſidio ſuum ius tueri non poteſt. Sed hac de re aliàs. Nunc ad hoc quod agimus. Hoc igitur multorum dierum, multarúmque noctium opus, Errice princeps magnanime, cùm cuperem omnibus doctrina excultis hominibus mecum eſſe cõmune, ſub tuo potiſſimùm illuſtriſſimo, & auſpicatiſſimo nomine in eorum manus peruenire volui, primùm vt tu, qui amore & ſtudio in litte-

ras ac litteratos viros, Carolo regi Chriſtianiſſimo, fratri tuo nihil concedis, primus vtilitatem aliquam ex hoc meo labore, ſi qua omnino capi poteſt vtilitas, perciperes: deinde vt omnes viri liberali doctrina ornati, qui noſtras in hunc ſcriptorem commentationes in manus ſument, ſiquid ſibi eas profuiſſe ſentient, huius rei tibi potius, qui mihi tam acreis ad ſcribendum ſtimulos admoueris, quam mihi, gratiam habeant. Noli autem exiſtimare, Errice, huius libri lectionem nihil, aut parum tibi profuturam. Quamuis enim tu iam vel ortu ipſo, & ſtirpe generis, ac ſeminis, vel ſpe, atque indole virtutis, his omnibus imperatoribus antecellas: quia tamen tua ætas, (non enim dicam tua animi magnitudo) ab eis rerum geſtarum amplitudine, gloriáque ſuperatur: perſuaſum tibi eſſe debet, magno tibi adiumento fore ad gloriam bellicam, cuius tu ſtudio inflammatus es, vt par eſt adoleſcẽtem tali loco natum, comparandam, ſi non ſolùm domeſtica, quibus abundas, maiorum tuorum, eorundémque Galliç regum, verùm etiam externa præſtantiſſimorum, & clariſſimorum Græciæ, & Italiæ, & Aſiæ ducum exẽpla, tibi ipſe ad imitandum, ſeu potius ad ſuperan-

ſuperandum, proponas. Quemadmodum enim Themiſtocles cùm aſſiduè in publico noctu ambularet, ſomnúmque capere non poſſet, amicis cauſam quærētibus reſpondebat, ſe Miltiadis tropæis è ſomno excitari: ita tu cùm ab Æmilio Probo, ſiue Cornelio Nepote commemorari audies non ſolùm communeis horum omnium imperatórum, quorum hic res geſtas ſcripſit, ſed etiam vniuſcuiuſque proprias virtutes, vt Themiſtoclis ſollertiam, & prudentiam, & celeres ingenij motus: Ariſtidis iuſtitiam, atque abſtinentiam: Cimonis liberalitatem & munificentiam: Thraſybuli fidem, conſtantiam, & animi magnitudinem: Ageſilai religionem & modeſtiam: Eumenis Cardiani vigilantiam & patientiam: Phocionis bonitatem, & in ſententia perſeuerantiam: Timoleontis clementiam, & moderationem animi cum incredibili felicitate coniunctam, aliorúmque præcipuas quaſdam, & ſingulareis virtutes: hæc, inquam, multáque generis eiuſdem cùm apud hunc ſcriptorem leges: igniculi iſti plurimarum, diuinarúmque virtutum tibi à natura dati, quamuis quotidie per ſe emicantes, tamen his veluti fomentis magis ac ma-

gis in dies excitati, maximum ſument incrementum, clariſſimúmque lumen in omneis terrarum oras longè latéque diffundent. Neque verò eorum virtutes ſolùm, & fortia, laudabiliáque facinora, & res bene geſtas: verùm etiã vitia, & offenſiones, & peccata, & res malè geſtas cognoſcere iuuabit. Quemadmodum enim virtutis pulchritudo, & honeſti ſpecies ſua ſponte adoleſcenteis bene à natura informatos ad ſe allicit: ita vitij deformitas, & turpitudinis ſpurcities alienat ac deterret. Nam quem honeſto loco natum, & liberaliter educatum, atque inſtitutum adoleſcentem, non Lyſandri perfidia, & crudelitas: Pauſaniæ ſuperbia, & contumacia, & ſceleratus in patriam animus: Tiſſaphernis periurium, & impietas: Alcibiadis morum inæqualitas, & ingenij mobilitas, & inconſtantia, & luxuria, & intemperantia: Dionyſij tyranni Siculi prioris ſæuitia, & inhumanitas, & importunitas: poſterioris libido, & incontinentia, & iniuſtitia: C. Terẽtij Varronis arrogantia, ac temeritas, cetera denique propria quædam ſingulorum vitia, & flagitia non offendunt, atque à ſimilibus factis reuocãt ac retrahunt? Quãuis autem tu maximo negotio à fratre tuo

Caro-

Carolo rege noſtro (cuius regnum Deus optimus maximus incolume ſeruet(præpoſitus,& in bello difficili, periculoſóque gerendo occupatus,& iis, qui religionem nobis à maioribus traditam,atque vſu receptam improbant,aliámque publicè profiteri,& colere ſibi licere, exercitu comparato,& vrbibus Galliæ occupatis poſtulāt, obſiſtere ac repugnare iuſſus, vix ſatis vacui temporis habere videare, quod talium narrationum auditione, nedum librorum lectioni impertias:non putaui tamen, me munus intempeſtiuum, aut à caſtris alienum,ad te miſſurum, ſi Aemilium Probū, ſiue Cornelium Nepotem,commentationibus noſtris explanatum,atque illuſtratū ad te miſiſſem.Nam ſiquod aliud ſcriptorum genus tibi donaſſem, vt philoſophum aliquem,aut poëtam:(quamquam præſtātes quidem imperatores philoſophosquōdam,& poëtas non ſolùm in prouincias, verùm etiam in caſtra ſecum duxiſſe narrātur)verùm tamen ſi taleis ſcriptores ad te miſiſſem,fortaſſe temporis & loci rationē non habuiſſe videri poſſem. Nunc autem cùm hiſtoricum,& eum hiſtoricum,qui varia bella multis antè ſæculis geſta, prælіáque commiſſa refert, tibi bellum admi-

niſtrāti,& in caſtris verſanti, donem: videri nō debeo munus ἀπροσδιόνυσον, aut non ſatis opportunum, ad te perferendum curauiſſe. Iam verò ſi qua tibi in commentariis noſtris obſcuriora videbuntur (quamquam nequid eſſet, operam dedimus. nihil enim Græcè ſcriptum à nobis relatum eſt, quod non continuò Latinè reddiderimus) verumtamen ſi quid erit eiuſmodi, vt id nō facilè intelligere queas, quòd te penitus iam in litterarum ſtudia ingreſſum, cùm magnos in eis progreſſus feciſſes, tempora Reip. ad rerum maiorum curas, & magis neceſſarias cogitationes à libris quaſi in medio curſu auocarunt: habes Io. Paulum Seluam, antiſtitem eccleſiæ D. Flori, virum erudititiſſimum, & in omnibus liberalibus doctrinis diu, multúmque verſatū, olim doctorem tuū: qui tibi res obſcuras declarabit, difficiles explanabit, impeditas expediet, atq; explicabit. Nā, vt fratri tuo Carolo, regi noſtro, ab ineunte ætatè doctor contigit cùm ſingulari doctrina præditus, tum linguæ Græcæ cognitione omnibus, qui hodie viuunt, antecellens, aut certè nemini ſecundus, Iac. Amiotus, nunc magnus eius eleemoſynarius, & D. Cornelij cœnobiarcha? ita tu Seluam puer nactus

nactus es, virum cùm in primis doctum, tum prudentem, & ſollertem animorum, ingeniorúmque regiorũ fingendorum artificem. Habes preterea Fr. Carnaualetum, equitem auratum, cuſtodem quondam ac rectorem tuum, virum non ſolùm artibus omnibus militaribus, & virtutibus bellicis ornatum, verùm etiam optimis diſciplinis eruditum. Quare ſiue per te leges, ita ingenio vales, vt nihil te in his commentariis fugere, aut fallere queat: ſiue domeſticorum tuorum, quos modò commemoraui, opera vti voles, omnia tibi plana erunt, & expedita. Vnum reliquũ eſt, quod abs te petam, prius quàm finem faciam, vt memor promiſſi tui, litteratis, & bonarum artiũ ſtudioſis ſuffragari pergas, tibíque perſuadeas, te beneficium, quod in eos conferes, bene collocaturum. Ij enim ſunt, qui virtutes tuas ab obliuione vindicare, & eas ſuis eruditis ſcriptis, ſine quibus illæ parum ab inerti, & otioſa vita diſtarent, immortalitati commendare poſſunt. Quàm multos enim præter eos, quos vel poëtæ, vel hiſtorici ſempiternæ memoriæ conſecrarunt, multa fortiter feciſſe, & optimè de rep. meritos eſſe exiſtimas, qui tamen nobis incogniti iacent? in-

numerabileis ſcilicet. quid ita? quia nullum ſuarum rerum bene geſtarum nacti ſunt preconem aut prædicatorem. Nam, vt verè Flaccus cecinit, parum ſepultæ diſtat inertiæ celata virtus Quare, vt tuæ virtutes cõmemoratione poſteritatis ſempiterna viuant ac vigeant, complectere, ſi me audis Errice, Muſarum ſacerdotes, hoc eſt litteratos & doctos viros, quibus cùm res laudabileis, & prædicatione dignas præbueris ac tradideris, hi viciſſim tibi earum rerum teſtimonium, & præconiũ ſuis immortalibus ſcriptis conſignatum reddent. Neque hoc tibi veniat in mentem, Marti cum muſis nihil eſſe commune. Nã vel hoc eo valet, vt intelligamus, Muſis in ipſo belli ſtrepitu & clamore nullum relinqui locum, vt non bellicæ virtutes muſarum ope nihil egeãt: vel hoc eſſe falſum facilè demonſtrare poſſum, cum ſummi Imperatores, alij poëtarũ carminibus monumẽtorum ſuorum aditus exornarint, alij Martis manubias muſis cõſecrarint. Vale & rem bene gere. Lutetiæ, a. d. 12. Kalen. Decembr. anno à ſalute hominum generi data, 1568.

Clariſsimo

Clariſsimo & eruditiſſ. V. Germano Valenti Guellio P P. Senatori Ampliſſ. Germanus Lambinus.

NOn id ago (vir clariſſime) vt hac mea qualicumque epiſtola tantillũ ſplẽdoris & ornamenti paternis vigiliis accedat. Vt enim hactenus in lucem emiſſæ, ſic & hæ ſatis per ſe ſufficient ad ſui commẽdationem & gloriam. Tum quod is non ſum, cui, vel ætas, vel Dei ſpecialis quidam fauor, aliquid nominis inter æquales, ne dicam eruditos, attulerit: ac ſi quid nunc poſſem, vererer adhuc, ne ea in re nimis ſuſpectum eſſet domeſticum teſtimoniũ. Quinimo vt intelligas, me, ſi non doctrinæ, laboris, & tolerantiæ filium imitatorẽ relictum, obſeruantiæ tamen & amoris in te certiſſimum eſſe monimentum. Igitur quæ patri, etiam in ipſo morbo qui vitæ diem extremum attulit, in Plauti comœdias meditari licuit, ea, inquam, in agone apud matrem depoſita, tibíque fortè iampridem conſecrata, dicare volui: vt quantum in me eſſet, vel vota defuncti perſoluerem, vel illius ſaltem optatis reſpondere conarer. Nec enim me latet qua beneuolentia, nõ vt litteratos cæteros, ſed fra-

terna pene ſis eum proſequutus: & viciſſim, quo in pretio & honore, tùm propter tuã ſingularem doctrinam, tum æqui obſeruantiam, apud eum fueris: vt coniectare liceat, ſi eum Deus & mihi & Reipublicæ diutius ſeruaſſet, nonnihil tuis auſpiciis tentaturum fuiſſe. Accedit & illud quoddam quaſi neceſſitatis vinculum, vt non immeritò laborum patris mei fructus cõſequaris, qui poſtquam è fonte ſacro me ſuſcepiſti, vices illius quodammodo geras. Debuerant autem, fateor, trita eſſe hæc commentaria: verum aliquandiu me ſollicitum detinuit, communis vtilitatis alioqui cupidum, deſiderata imprimis, vt videbatur, patris ἀκρίβεια, quam in aliis quibuſcúmque libris euulgandis adhibere cõſueuerat: notæ item ad poſtremas comœdias obiter & tamquam ab aliud agente conſcriptæ, quadamtenus à propoſito reuocabant: donec vicerit & parentum auctoritas: & amicorum ſincerius iudicium: quibus viſum eſt, nil illic detrahendum, nil quoque hic expetendum eſſe, ſatiſque fuiſſe patri, quod ſibi ea in re temperarit: & ſi quid (vt morte præuentus fuerat) aut abundaret, aut deeſſet, non ideo temerè quidquam de ſcriptis illius immutandum.

Sub-

Suberat tamen eiuſmodi nouiſſima cogitatio, commẽtariis iſtis æquè ac cæco quidam proprióque lumine orbato, accidiſſe, cui iã nõniſi robuſtiori aliquo duce præeũte, iter ingredi tutum ſit. Aduertens autem poſterioris cuiuſdam æui Maronem tuum grauitate & pondere præſtantem ab omnibus dignè fuiſſe exceptum, non dubitaui amplius, quin, qua gratia & auctoritate apud præſtantes clariſſimóſque viros valet, eadem vtique patrem veteris latinitatis, etſi vulgatioris, non minus venuſtæ tamen & politæ Plautum haberi faciat: atque, ſi forſan neruorum debilitate titubet, erigere: vel, quod eſt hoc tempore verendum magis, ſi detrectantium morſibus appetatur, ab eis vindicare poſſit. Viuat ergo, probetur, ametur, horum certè omnium pars maxima per me tibi concedetur, quẽ, etiam pater, ſi ſupereſſet, maiori, credo, munere non grauatus decoraret. Quod ſi minus quidpiam deſiderio ſuo fuerim aſſecutus, id cæteris in rebus quibus & officium meum & dignitas tua poſtulabunt, compenſare nitar. Vale Lutetiæ Pariſiorũ 17. Octobr. LXXVI.

Dionyſius Lambinus Carolo Nono, Regi Chriſtianiſsimo.

SI quod eſt in his paucis ſcriptorum veterum, tamquã ex naufragio reliquiis, litterarum genus, Karole, Rex Chriſtianiſſime, vnde multæ, magnæque vtilitates ad nos permanarint, poëmata ſunt. Poëtæ enim, qui iidem philoſophi fuerunt, primos illos homines rudeis, impolitos, feros erudierunt, expoliuerunt, à feritate ad hunc humanum, & ciuilem victum, cultúmque traduxerunt. Iidem & melius, quàm plerique minuti philoſophi, virtutis pulchritudinem deſcripſerunt, eiúſque amore nos inflammarunt, & grauius à vitiorum turpitudine nos abſterruerunt: iidem non, vt hiſtorici, ex veris rerum geſtarũ narrationibus, ſingulariúmque perſonarum dictis, factis, euentis: ſed philoſophorum more, rebus veriſimilibus excogitatis, perſonis fictis, caſibus cuique perſonæ conſentaneis ad extremum ſubiunctis, nos & præceptis vtiliſſimis inſtituerunt, & moribus optimis imbuerunt. Cùm autem poëtarum non ſit vnum genus: alij enim ſunt epici, alij tragici, alij comici, alij lyrici ac melici, alij dithyrambici,

ci, alij iamborum, & elegorum, & epigrãmatum ſcriptores, & ſi qui ſunt alij: omnium & vetuſtiſſimi, & laudatiſſimi ſunt epici. Philoſophi enim, & theologi illi antiqui res tum diuinas, tum humanas eas, quibus hominum vita exculta, & ad humanitatem conformata eſt, heroo potiſſimùm carminis genere perſecuti, poſteris tradiderũt: quo in numero ſunt apud Græcos Orpheus, Muſæus, Homerus (nam ſuperiorum, non ſolùm ſcripta, verùm etiam nomina, temporis diuturnitas obliuione ſempiterna obruit, penitúſque deleuit) Heſiodus, Tyrtæus, Phocylides, Xenophanes, Pythagoras, Empedocles, Parmenides, aliíque cõplures: apud Latinos Ennius, Furius, Lucretius, Varius, Virgilius. Epicos ſubſecuti ſunt tragici, qui clarorũ virorum, publicarúmque perſonarum actiones, atque euentus numeris & modis imitantur: quo in genere ſunt AEſchylus, Sophocles, Euripides, Pacuuius, Actius: comici, qui obſcurorum, & priuatorum hominum vitam, facta, caſus exprimunt: quales ſunt Eupolis, Cratinus, Ariſtophanes, Menãder, Epicharmus, Cæcilius, Plautus, Terentius: Dithyrambici, qui in Bacchi numine prædicando, laudibúſque effe-

rendo, atque in eius rebus geſtis, ac victoriis canendis toti ferè ſunt occupati: quorum omnium primum Glaucum quendã fuiſſe ab Herodoto traditum eſt: iamborum ſcriptores, qui in eos, à quibus læſi ſunt, acerbius inuehuntur: vt Archilochus, Hipponax, & interdum Catullus, & Horatius: elegorum opifices, quo in numero ſunt Callimachus, Mimnermus, Philetas, Tibullus, Propertius, Ouidius: Horum igitur omnium cùm epici, meo quidem iudicio, plurimùm proſint, longéque ceteris auctoritate antecellant: hi ſtudiosè nobis ſunt legendi. In epicis porrò non eos tantùm numerandos eſſe duco, qui res fortiter, & præclarè geſtas, belláque cecinerũt, vt Homerus, Apollonius, Ennius, Varius, Virgilius, Lucanus: aut qui de agricultura ſcripſerunt, vt Heſiodus: aut qui de piſcibus, & venatione, vt Oppianus: verùm etiam, multóque adeò magis eos, qui rerum cauſas occultas, atque à natura inuolutas longis verſibus explicarunt, vt Empedocles, & Lucretius: & qui de affectibus animi comprimendis, de virtutibus expetendis, de vitiis fugiendis heroïco carmine præcepta reliquerunt, vt Pithagoras, vt Phocylides, vt Horatius. Nam cùm è rerum

rum naturalium cognitione, morúmque ac virtutum explicatione homines efficiãtur neſcio quo modo maiores, atque elatiores:& cùm ex vtraque re animi magnitudo contra fortunæ impetus, rerúmque humanarum imbecilitatem: fortitudo contra mortis timorem, temperantia contra libidinem, conſtantia contra ſuperſtitionem comparetur: poëtis autem hoc maximè propoſitum eſſe debeat, vt lectorem reddant meliorem: ſecundo loco, vt delectent: abſurdum ſit profectò eum, qui talia argumenta heroïcò carmine pro rerum dignitate tractarit, indignum poëtæ nomine iudicari: bellorum, aut rerum ruſticarum, & ſimilium ſcriptorem ſolum in poëtarum numero, cœtúque collocari. Magnopere etiã ab iis diſſentio, (quamuis graues ſint auctores) qui Empedoclẽ, & ceteros huius generis ſcriptores è poëtarum choro ſuſtulerunt, nihilq; eos neq; poëtæ propriũ neq; cũ Homero cõmune, præter numeros, habere pronuntiarũt. iis libẽtius aſſentior, qui illum & philoſophũ præſtãtem, & optimum poëtam fuiſſe cenſuerũt. Non enim poëſim imitatione ſola, ſed numeris, & figuris, & virtutibus poëticis

metiendam puto. neque poëtam imitatorem quendam ſtatuo tantùm, ſed ingenio excellentem virum, & mente concitatum, & penè dicam, diuinum: verbis non ſemper vtentem vſitatis, & popularibus, & de medio ſumptis: ſed interdum, & quidem ſæpius, nouatis, priſcis, longè arceſſitis: res magnas, res admirabileis, res abſtruſas, ac reconditas in lucem proferentem. Denique ei, cui ſit ingenium, cui mens diuinior, atque os Magna ſonaturum, do nominis huius honorem, vt iubet Flaccus. Verùm, dicet aliquis, hoc in Homero maximè laudabile eſt, quòd non ſolùm virtute præſtantium, fortiúmque virorum actiones honeſtas, & cum virtute coniunctas, ſed etiam improborum, ignauorum, amantium, libidinoſorum, iratorum, inuidentium, metuentium dicta, factáque optimè exprimit, atq; ob oculos proponit: quod quando neque Empedocles, neque Lucretius facere curàrunt, poëtarum nomen non merentur. Immò verò hoc ipſum eſt, quod in Homero reprehendunt cùm alij multi, tum philoſophorum princeps Plato: eúmque hoc nomine, neque in ciuitatem bene moratam, boníſque legibus temperatam recipit: & ex ſua rep. non vi

expel-

expellit ille quidem, aut ignominosè exturbat, ſed certè verecundè deducit, atque honorificè dimittit. Quare non continuò ſi Empedocles, & Lucretius perſonarum ſic affectarum orationem, atque actionẽ non imitantur, poëtarum nomen eis adimere nos oportet. At Lucretius animorum immortalitatem oppugnat, deorum prouidentiam negat, religiones omneis tollit, ſummum bonum in voluptate ponit. Sed hæc Epicuri, quem ſequitur Lucretius, nõ Lucretij culpa eſt. Poëma quidem ipſum propter ſententias à religione noſtra alienas, nihilominus poëma eſt. tantúmne? immò verò poëma venuſtum, poëma præclarum, poëma omnibus ingenij luminibus diſtinctum, inſignitum, atque illuſtratum. Haſce autem Epicuri rationes inſanas, ac furioſas, vt & illas abſurdas de atomorum concurſione fortuita, de mundis innumerabilibus, & ceteras, neq; difficile nobis eſt refutare, neque verò neceſſe eſt: quippe cùm ab ipſa veritatis voce, vel tacentibus omnibus, facillimè refellantur. At debuit ingenij ſui vim ad modeſtiorẽ, probatiorémque diſciplinã, atque ad grauius argumentum conferre. Debuit quis negat? Sed dolere, & queri hoc licet: corri-

gere non licet. At Epicurus & Lucretius impij fuerunt. Quid tum poſtea? num icirco nos quoque, qui eos legimus, impij ſumus? Primùm quàm multa ſunt in hoc poëmate cum aliorum philoſophorum ſententiis, ac decretis conſentanea? quàm multa probabilia? quàm multa denique præclara, ac propè diuina? Hæc ſumamus, hæc arripiamus, hæc approbemus. Illa, quę ſunt commentitia, quæ abſurda, quæ cum religione Chriſtiana pugnantia, reiiciamus, aſpernemur, improbemus. Deinde adeóne faciles, & creduli ſumus, vt, quæ ſunt à quibuſlibet ſcriptoribus memoriæ prodita, litteríſque mandata, ea vel tanquam ex Apollinis oraculo edita, vera eſſe iudicemus, vel tanquam ab Archimede deſcripta pro certis habeamus? Quòd ſi multa quotidie fabuloſa, incredibilia, falſa denique legimus, vel vt animos relaxemus, vel vt in iis, quę ſine controuerſia vera ſunt, libentius acquieſcamus, conſtantiúſque maneamus: quid eſt, quòd Lucretium, elegantiſſimũ, cultiſſimúmque poëtam, aſpernemur? Atqui non ita fuerunt nec ineptè religioſi, nec ſuperbè faſtidioſi, veteres illi Chriſtiani, ſanctiſſimi viri, Iuſtinus martyr, Gregorius Nazianzenus,
Baſilius

Baſilius Magnus, Ioan. Chryſoſtomus, Clemens Alexandrinus, Athenagoras, Euſebius, Cyprianus, Tertullianus, Arnobius, Firmianus, Auguſtinus, Hieronym⁹, vt ſcriptorem, niſi Chriſtianum, & omni ex parte grauem, caſtum, ac verum, neminem lectione dignum iudicarent. Quin & Empedoclem, & Democritum, & Epicurum & Lucretium, & ceteros philoſophos ac poëtas (vt oratores & hiſtoricos taceã) tũ Græcos, tum Latinos, quamuis profanos, quamuis mẽdaceis, quamuis impios, ſtudiosè legebant. Neque id temerè, aut fruſtrà. Nam quemadmodum apes ex ſingulis floribus, quod eſt ad mel conficiendum vtiliſſimum, atque aptiſſimum limare, ac depaſci conſueuerunt: quod eſt inutile, non attingunt, aut certè non deguſtãt: ita ſanctiſſimi illi, & Chriſtianiſſimi homines ex poëtis Græcis ac Latinis, ex ſcriptoribus profanis, atq; à pietate Chriſtiana remotiſſimis, quæ ad religionem noſtrã propagandam, atque ornandam valere exiſtimarent, ea diligenter & accuratè carpebãt, ac ſeligebãt: quæ repugnare ſentirẽt ea aut præteribãt, aut reſpuebãt. Quo maiore odio digni, grauiúſque vituperãdi ſũt peruerſi quidã homines, qui non ita pridẽ,

hac noſtrâ ætate, qua ętate omnes honeſtę diſciplinæ, omnes bonæ litteræ, multa ſæcula oppreſſæ, ac ſepultæ, aliquando tandẽ & Dei opt max. benignitate, & Regis Frãciſci I. aui tui, litterarum parẽtis, conſilio, ſtudio, atque opera reſtitutæ atque inſtauratæ oculos ſubſtulerunt, è tenebris emerſerũt, florere denique cœperũt: eius ipſius, à quo tantum beneficium accepimus, filio Errico II. patri tuo perſuadere conati ſunt, vt ex tota Gallia litteras omneis exterminaret, funditúſque deleret. Quod quemadmodum ab optimo principe non potuerunt obtinere, ita neque abs te, eius filio, ingentis ſpei, & diuinæ indolis adoleſcente, vnquam obtinebunt. Namque vt clariſſimi quidam viri ſe tum paratiſſimos litterarum defenſores apud parentem tuum præbuerunt: ita & poſthac apud te, ſi opus erit, vel iidem illi earum patrocinium conſtantiſſimè ſuſcipient, vel alij illorum exemplum ſecuti, acerrimos ſe earundem patronos profitebuntur. Sed (vt eò, vnde degreſſus ſum, reuertar) ſi ſcriptores omneis, qui religioni Chriſtianæ aduerſantur, reiiciendos, ac damnandos eſſe arbitramur: ne Plato quidem nobis erit attingendus: apud quem omnia ferè in

in vtramque partem diſputantur: qui vxores, & liberos vult eſſe communeis: hoc eſt, ſi verba ipſa ſpectemus, qui certorum, & ſtabilium matrimoniorum vſum tollit: cuius dialogorum bona pars flagitioſis puerorum amoribus referta eſt. Ne Ariſtoteles quidem lectione dignus erit: qui mundum, vt numquam ortum eſſe, ita nũquam interiturum putat: qui denique de animorum immortalitate videtur & à magiſtro ſuo Platone, & à nobis valde diſſidere, plurimúmque diſcrepare. Stoici diligentiſſimi virtutis cuſtodes, acerrimíque vitiorum, & voluptatis hoſtes, nobis erunt mortis inſtar fugiendi. Deum enim, rerum omnium opificem, ſecundarum cauſarum vinculis deuinciunt: fati, & neceſſitatis legibus conſtringunt: omni denique agẽdi libertate à fato ſeparata ſpoliant. quod & à Dei natura eſt alieniſſimum, & à noſtra religione remotiſſimum. Verùm philoſophos omittamus. Homerus ipſe, qui propter excellentiam commune poëtarũ nomen fecit ſuum, ſi in ſcriptore nihil, niſi ſincerum, caſtum, religioſum, pium probabimus, ſæpe nobis erit de manibus ponendus, atque abiiciendus. Quàm multa enim ſunt apud eum de Diis abſurda, eo-

rúmque maieſtate indigna? quàm multa fœda, obſcæna, flagitioſa, turpia? (quamquam magna quædam, & recõdita myſteria in huiuſmodi fabulis inuoluta deliteſcere nõ me fugit: quæ non eſt huius loci aperire, aut explicare) ſed tamen cui ſunt illa inaudita? Iupiter ipſe, Deorum, atq; hominum rex, ſexcẽtis adulteriis, ſtupríſque nobilitatus? Ganymedes ab eodem propter formã raptus? Mars à Vulcano in adulterio deprehenſus? Mercurius Marti complexum Veneris inuidens, ſibíque talem amoris ſucceſſum exoptans? Iuno muliebri illo dolore ex Iouis incõtinentia ſuſcepto excruciata? Venus in prœlio à Diomede ſauciata? Thetis & Aurora Iouẽ pro filiis, ne in acie cadãt, deprecantes? Iam Heroïbus, & fortiſſimis totius Græciæ, atque Aſiæ viris quam perſonã imponit? quos mores attribuit? quam orationem affingit? iurgant inter ſe, conuiciantur, maledicunt, libidine inflammantur, ira incenduntur, ægritudine cõtabeſcunt, plorant, lamẽtãtur. Achilles Apollini minatur: cum Xãtho fluuio decertare paratus eſt: iuuenibus Troianis captiuis crudeliſſimè interfectis Patroclo parentat. Eundem mortuum tantũ vitæ deſiderium afficit: tantum mortis odiũ.
per-

percipit, vt dicat, malle ſe ab inferis excitatum homini non admodũ copioſo mercenariã operã pręſtare, quàm mortuis omnibus imperare. noti quidẽ ſunt omnibus Homerici verſus, ſed eos tamen proferre nihil vetat.

Βουλοίμην κ' ἐπάρουρος ἐὼν θητευέμεν ἄλλῳ
Ἀνδρὶ παρ' ἀκλήρῳ, ᾧ μὴ βίοτος πολὺς εἴη,
Ἢ πᾶσιν νεκύεσσι καταφθιμένοισιν ἀνάσσειν.

Vlyſſes non viri fortis, non prudentis, non ſapientis, ſed verſuti, ſed malitioſi, ſed fallacis, ſed mendacis exemplar nobis ab illo proponitur. Idem apud Alcinoum ait nihil ſibi videri melius, nihil præſtabilius, nihil optabilius, quàm

Conuiuas lætos plenis accumbere menſis,
Cùm Cererẽ expediunt, & lauta obſonia cõti
Hinc illinc pueri apponũt; & vina miniſtrãt,
Et reboãt citharis laqueata, auratáque tecta.

Vulgatiſſimi ſunt verſus, planè cũ Ariſtippi, & Cyrenaïcorũ ſentẽtia cõgruẽtes.

Οὐδὲν ἔγωγέ τι φημὶ τέλος χαριέστερον εἶναι.
Ἢ ὅταν εὐφροσύνη μὲν ἔχῃ κατὰ δῆμον ἅπαντα,
Δαιτυμόνες δ' ἀνὰ δώματ' ἀκουάζωνται ἀοιδοῦ,
Ἥμενοι ἑξείης, παρὰ δὲ πλήθωσι τράπεζαι
Σίτου καὶ κρειῶν, μέθυ δ' ἐκ κρητῆρος ἀφύσσων
Οἰνοχόος φορέῃσι, καὶ ἐγχείῃ δεπάεσσι.
Τοῦτό τι μοι κάλλιστον ἐνὶ φρεσὶν εἴδεται εἶναι.

Sed de Homero verecũdius, parciúſque

nobis erat dicendum, Veniamus ad tragicos, qui omniũ manibus teruntur, qui aſſiduè leguntur, qui ediſcuntur. Primùm ipſa tragœdiarum argumenta, partim tota ſunt atrocia, & ſcelerata, & impia: partim flagitioſa, & inceſta: partim incredibilia, atque abſurda: exempli gratia: liberi à matribus trucidati: matres à liberis interfectæ: viri ab vxoribus, adiuuãte adultero, de medio ſublati: indomitæ, atque effrenatæ mulierũ libidines: filiorum cum matribus concubitus: nouercæ priuignorũ amore flagrantes: fratres mutuis vulneribus animã vnà cũ ſanguine profundentes: patres per ſpeciem & cauſam religionis filias immolantes; fortiſſimi viri alij acceptæ iniuriæ dolore ad inſaniam redacti: alij, ne ad bellum proficiſcantur, furorem ſimulantes: ſexcẽta his ſimilia. Deinde ſententiæ talibus argumentis conſentaneæ:

O derint dum metuant: &

Natis ſepulcrum ipſe eſt parens: &

Nam ſi violandum eſt ius, regnandi gratia
Violandum eſt: aliis rebus pietatem colas: &

Iurauit lingua, mentem iniuratam gero. &

Τοῦ μὲν δικαίου τὴν δόκησιν ἄρνυσο,
Τὰ δ' ἔργα τοῦ πᾶν δρῶντος ἔνθα κερδανεῖς id eſt

Opinionem iuſti hominis tibi para:

Sed

Sed quaſtuoſa quæ ſient, facito omnia. &
Τὸ κέρδος ἡδὺ κἂν ἀπὸ ψευδῶν ἔῃ: id eſt,
Dulce & lucrum, partũ licet ex mendacio. &
Πολλαῖσι μορφαῖς οἱ θεοὶ σοφισμάτων
Σφάλλουσιν ἡμᾶς, κρείττονες πεφυκότες: id eſt,
Multis labefactant nos ſuperi artium modis.
Præſtantiores quippe longè viribus. &
Ὦ Ζεῦ· τί λέξω, πότερά σ᾽ ἀνθρώπους ὁρᾶν
Ἢ δόξαν ἄλλως τήνδε κεκτῆσθαι μάτην,
Δοκοῦντας ἄλλως δαιμόνων εἶναι γένος,
Τύχην δὲ πάντα τἀν βροτοῖς ἐπισκοπεῖν, id eſt.
O Iupiter, téne aſpicere humanum genus
Dicam? an, deorum nulla cùm natura ſit,
Nos falſa opinione labi, & omnia
Mortalium negotia fortuna regi? &
Εὔφραινε σαυτὸν· πῖνε, τὸν καθ᾽ ἡμέραν βίον
Λογίζου σὸν, τὰ δ᾽ ἄλλα τῆς τύχης. id eſt,
Animum tuum oblecta: bibe: præſentem diem
Tuum eſſe: cetera omnia fortunæ puta.

Quid comici? nónne hi quoque, ſi ſummo cum eis iure agere, atque ad viuũ omnia reſecare volemus, è bibliothecis omnibus erunt exigendi? Nihil dicam de Ariſtophane. notũ os veteris comœdiæ. nota verborum illius non libertas, aut licentia: ſed turpitudo, atque impudentia. Plautini itẽ ſales nemini ſunt inauditi. mitto quàm ſint improbi, quã ſcurriles, quàm obſcæni.

Ne Terentius quidem, quem omnes eruditi comicorum omnium pudentiſſimum, & verecundiſſimum fatentur eſſe, omni ex parte ſermonibus prætextatis, atque impudicis vacat: quod genus,

Lepus tute es, & pulpamentum quæris. &

Ego iſtum eunuchum vel ſobrius.

Iam illud ab irato ſene impiè dictum,

Deos neſcio.

Ne multa. totum argumentũ comicum ex ſenibus auaris, ſtultis, deliris: ex adoleſcẽtibus amatoribus, intemperantibus, ſcortatoribus, profuſis, ac perditis: ex virginibus aut vi, aut pretio corruptis: ex meretricibus procacibus, ac rapacibus: ex ſeruis fallacibus, ac furacibus: ex lenonibus impiis, ac periuris: ex paraſitis edacibus: ex militibus glorioſis conſtat. Quòd ſi non poëtas modò, ſed oratores, & hiſtoricos, & cæteros ſcriptores omneis, ad religionis perpendiculũ, normámque exigemus: permulta in eis abſurda, improba, turpia, nefaria, impia reperiemus. Ad Lucretium igitur noſtrum reuertor, poëtam egregiũ, ac præſtãtem, ſcriptorémque omnium Latinorum politiſſimum, vetuſtiſſimum, elegantiſſimum: ex quo Virgilius & Horatius non ſolùm dimidiatos, ſed integros ſæpe

verſus

verſus mutuari ſolent. Hic vbi de rerũ primordiis, ſeu corpuſculis indiuiduis: de eorum motu, & figuris, de inani, de imaginibus, ſiue ſimulacris, quæ è ſummo rerum corpore mittuntur: de animorũ natura, de ortu, obitúque ſiderũ, de ſolis & lunæ defectu, de fulminis natura, de arcu cæleſti, de auernis, de cauſis morborum, & multis aliis rebus diſputat: ſubtilis, argutus, enucleatus, limatus eſt in librorum procemiis, in nonnullis ſimilitudinibus, in exẽplis, in diſputationibus de morte contemnẽda, de amore fugiendo, de ſomno, & inſomniis, grauis, copioſus, amplus, magnificus, elatus, ornatus eſt. Quem ſi quis caſus ad grauiorem, & probabiliorẽ aliquam diſciplinam, puta Platonicã, aut Peripateticã, aut Stoicã detuliſſet: Dij immortales, quãtum ex eo fructũ, quantã vtilitatẽ caperemus! quãtam ſui admirationẽ hominibus excitaret! quãta ſui ſtudia cõmoueret! Nam ſi, tam infelici argumento ſibi propoſito, ac ſuſcepto, poëma tamen edidit tam preclarum, tam illuſtre, tam luculentum: quid eum cẽſemus fuiſſe facturum, ſi vel rerum Platonicarum magnitudinem, ac maieſtatem, vel Ariſtotelis acumen, atque vbertatem, vel Zenonis grauitatem, ac ſeueritatẽ

verſibus materiæ cõſentaneis expreſſiſſet? quantum nomen, quantam laudem, quantam gloriam conſecutus eſſet? Quamobrẽ ſic agamus potius. id, quod adeſt, laudemus, eóque fruamur: eo, quod abeſt, æquo animo, patientérque careamus: hoc eſt, huius poëmatis elegantiam, venuſtatem, pulchritudinẽ amemus, atque amplectamur: argumenti melioris ſortem in eo deſideremus. Quid enim? eos poëtas, ex quibus ſolam curarum noſtrarum obliuionẽ, ſolámque oblectationem quærimus, cupidiſſimè legere ſolemus: poëtam non modò noſtros animos delectantem, verùm etiam obſcuriſſimas de rerum natura quæſtiones pulcherrimis verſibus explicãtem, negligemus? Homerum, propterea quòd in quibuſdam fabularum partim turpium, partim abſurdarum inuolucris omniũ rerum naturalium, atque humanarum cognitionem incluſam continere exiſtimatur, non ſolùm legimus, verùm etiam ediſcimus: Lucretium, ſine fabularũ, taliúmque nugarum integumentis, de principiis & cauſis rerum, de mundo, de mundi partibus, de vita beata, de rebus cæleſtibus ac terrenis, nõ verè illum quidem, neque piè, ſed tamen ſimpliciter, & apertè, &, vt Epicureum,

cureum, ingenioſè, & acutè, & eruditè, & puriſſimo ſermone loquentem non audiemus? Non enim, ſi multis locis à Platone diſſidet: non ſi multa cum religione noſtra pugnantia dicit, iccirco ea etiam, quę cum illorum, & Chriſtianorum ſententia congruunt, ſpernere debemus. Quàm præclarè de coërcendis cupiditatibus, de ſedandis animorum motibus, de mentis trãquillitate comparanda diſputat? Quàm ſubtiliter, & argutè eos, qui nihil percipi, nihílque ſciri poſſe affirmãt: qui ſenſus omneis fallaceis eſſe dicunt, coarguit, ac refellit? quãcopioſè ſenſus defendit? quã probabiliter, & penè dicam, verè oſtẽdit, ſenſuum fide labefactata, atque euerſa, actiones omneis humanas eodem motu conquaſſatas concidere & corruere? Quot, & quàm firmis argumentis demonſtrat, ſenſuum veritate ſublata, rationem quoque ipſam, atque adeò vitam, ac ſalutem funditùs interire? quàm pulchræ ſunt apud eum deſcriptiones? quàm venuſta (vt Gręci appellant) epiſodia? quàm bellæ de coloribus, de ſpeculis, de magnete, de auernis diſputationes? quàm graues ad continenter, iuſtè, moderatè, innocenter viuendum cohortationes? Quòd ſi quis plus æquo ſeue-

rus totam huius poëmatis ſententiam, ac materiam vituperabit, atque aſpernabitur, ſolo fortaſſis Epicuri, quem Lucretius exprimere conatus eſt, nomine offenſus: quid de eius ſermone ſtatuemus? quo quid purius, quid incorruptius, quid nitidius, quid elegantius dici, aut excogitari poteſt? Equidem hoc tibi, Karole, non dubitãter affirmabo, nullum in tota lingua Latina ſcriptorẽ Lucretio Latinè melius eſſe locutum: non M. Tullij, non C. Cæſaris orationem eſſe puriorem. Itaque, ſi ita cõmodum eſt, totam ſanè Lucretij, hoc eſt Leucippi, Democriti, Empedoclis, Ariſtippi, Epicuri, quos ſecutus eſt Lucretius, philoſophiã improbemus: at incredibilem verborum nitorem: at ſingularem ſermonis elegantiam: at incorruptam Latinè loquẽdi facilitatem admiremur, amplectamur, æmulemur. Atque vtinam, Karole, vtrumque ſimul, & pietatem, & linguæ Græcę, ac Latinę cognitionem ex vnis atque eiſdem auctoribus comparare poſſemus, eſſet pręclarum ſacris libris eſſe contentos, profanos non deſiderare. Nunc autem, cùm litteras quidem Græcas ex Homero, & ceteris epicis: ex Sophocle, & ceteris tragicis: ex Ariſtophane, qui ſolus ex tot comicis

ad

ad nos peruênit incolumis: ex Platone,& Xenophonte, & Ariſtotele, & Plutarcho: ex Herodoto, & Thucydide, & Polybio, & Dionyſio Halicarnaſſeo: ex Lyſia, & Demoſthene,& Æſchine, & aliis rhetoribus. Latinas autem ex Plauto, Terentio, Lucretio, Varrone, Cæſare, M. Tullio, Catullo, Virgilio, Horatio, Tibullo, Propertio, Plinio,& ſimilibus, qui vel falſam religionem, vel meram impietatem quibuſdam locis ſpirant, ac redolent, diſcere neceſſe habeamus: quid vetat, quo minus hos ſcriptores ita tractemus, itáque legamus, vt eorum ſermonis quidem diuitias, lepóres, ornamenta ab ipſis compilemus: talibúſque furtis ac ſpoliis, antiquorum illorum Chriſtianorum exemplo, eccleſiam Dei opt. max. locupletemus, amplificemus, exornemus: religionem autem noſtram, quam ex litteris ſacris, tanquam ex liquidiſſimo, & ſinceriſſimo fonte hauſimus, incorruptam, inuiolatam, atque integram conſeruemus? Nam neque olim cùm me litteris Latinis docendis præfeciſti, eo conſilio Lucretium meis auditoribus explicandum ſuſcepi, vt philoſophiã Epicuream, iam exploſam, atque damnatam, reuocarem, ac reſtituerem: neque nũc, poſt-

quàm eundem me linguam Græcam docere iuſſiſti : magno meo labore, multíſque vigiliis, hunc eundem poëtam mendis innumerabilib⁹ maxima ex parte purgatum, & breuibus commentariis illuſtratum, ea mente edendum curaui, vt homines vel à pietate Chriſtiana auocarem, vel noua religione inficerem, non ita inſanio: (nam philoſophiam quidẽ ſequor, & probo tum eam, quæ à Platone, & Xenophõte, tum eam, quæ ab Ariſtotele manauit: religionem autem nullam aliam neque colo, neque amplector, niſi quam à Domino noſtro Ieſu Chriſto, Dei immortalis filio, generis humani ſeruatore, ac liberatore edoctus ſum:) ſed primùm vt linguã Latinam hoc ipſo inopem, atque egẽtem, quòd Lucretius mẽdoſus, laceratus, ac deformatus obſoleſcebat, bonis eam ſuis, & opibus auitis augerem, ditarem, atque ornarem: deinde vt de omnibus omniũ gentium hominibus, quos Latini ſermonis mundities delectat, optimo huius linguæ auctore tot mendis ferè perpurgato, bene mererer: poſtremò vt omnes bonarum litterarum ſtudioſi tibi, Rex potentiſſime, qui patris & aui tui veſtigia perſequẽs, ingenuarum artium, bonarúmque litterarũ

docto-

doctores, ac magiſtros Lutetiæ Pariſiorũ amplis præmiis affectos retines, alis, ac tueris, gratiam habeant, quòd ij, quos in vrbe totiùs Galliæ maxima, ac celeberrima, liberalibus artibus, ac diſciplinis, literíſque Hebraïcis, Græcis, ac Latinis docẽdis præpoſuiſti, non ſolùm iuuentutem ex omnibus Europæ partibus in hanc vrbem, tanquam ad vberrimum omnium diſciplinarum mercatum, cõuenientem, viua voce erudiant, verùm etiam ſcriptoribus antiquis, iniuria temporum deprauatis, in integrum reſtituendis, omnium mortalium à litteris non abhorrentium ſtudia iuuare, ac ſubleuare conentur. Enimuerò, Karole, nihil habet tua maieſtas maius, quantumuis licet alij artem militarem extollant, quàm quòd bonas litteras, ingenuáſque diſciplinas diligis, tueris, ac propagas. Ars enim militaris ſine litterarum, & doctrinæ adiumento non ſolùm Regibus ac ciuitatibus liberis parum prodeſt, verùm etiam totas ſæpe reſpublicas, totáque regna labefactat, ac funditùs euertit: litteræ cõtrà, & cognitione rerum ex libris petita, ſæpe ſine armorum, & rei militaris acceſſione maximas ciuitates incolumeis, potentiſſimáque regna ſalua tuentur, & conſeruant.

Iam verò, quòd nos maleuoli quidam homines inſimulant, quaſi omnia reip. mala, quę his perditiſſimis temporibus vidimus, à litteris, & litteratis orta ſint, vt tibi perſuadeant, litteras ex tota Gallia eſſe eiiciēdas, funditúſque exſtinguēdas, ſi remp. ab his malis cōquieſcere, aut reſpirare cupis: ſic contrà tibi perſuadeto, Karole, veriúſque hoc eſſe credito, quàm, *Pythia quæ tripode ex Phœbi, lauróque profatur*, vt ait Lucretius, eos omneis, qui huiuſmodi ſermonibus litteras in crimen, & inuidiam vocant, vel auaros, vel ambitioſos, vel facinoroſos & ſceleratos, & ſimilibus vitiis coopertos, & contaminatos eſſe: atque idcircò litteras odiſſe. Nam cùm ſuis flagitiis, & vitiis latebras ac tenebras quærant: litteras autem clariſſimi luminis inſtar eſſe intelligant: nihil ſuis tætris vlceribus, grauiſſimíſque animorum morbis tam aduerſum, quàm litteras eſſe arbitrantur. Itaque viri boni, integri, abſtinentes, temperantes, innocentes, & litteras plurimi faciunt, & litterarum ſtudioſos colunt: in pretio, atque in honore habent: eóſque ſi re iuuare non poſſunt, at verbis ampliſſimis, & oratione perquàm honorifica proſequuntur. Sed de his nimis fortaſſe multa, præſertim ad te.

Hos

Hos igitur T. Lucretij Cari de natura rerum libros ſex, Karole, Rex inuicte, omnium, qui vmquam poſt artem typographicam inuentam editi ſunt, emendatiſſimos, tibi dono, ac dedico. Neque verò in hoc, ſtellionatus crimen, aut inconſtantiæ vituperationem ſuſcipio, quòd, quæ aliis iam antè deſpōderim, ac donarim, tibi denuò donem. Singulos enim libros ſingulis viris tui regni & mihi amiciſſimis, & doctiſſimis, eo animo donaui, vt eſſent amicitiæ noſtræ monumentum ſempiternum. Tibi autem nunc eoſdem vniuerſos, illorum rogatu, tibi dono: quin illi ipſi, qui tuo in regno nati ſunt, quíque te dominum ac Regem ſuum agnoſcunt, ſeipſos vnà cum his libris tuos eſſe profitentur, tibíque tradunt, & commendant, vt & ipſi, & hi libri tuo fideliſſimo præſidio freti, ab omni iniuria externa ſint tutiores, ac munitiores. Nam ſinguli ſingulis donati, ac traditi, atque ita diſiuncti, ac diuulſi, cōtra iniuriā hominum, virtuti inimicorū, atque infeſtorum, his præſertim tēporibus, cùm litterę inuidia, odióq; immeritò laborant, fortaſſe eſſent imbecilliores. Nunc autem coniuncti, & vniuerſi, tibi, & tuæ certiſſimæ fidei commendati, tuáque validiſſima

& potentiſſima dextera tecti ac defenſi, nullos quantumuis acreis & violētos maleuolorum hominū impetus pertimeſcēt. Ita igitur viuas, & valeas, & regnes, Karole, vt litterarum, ac litteratorum, virtutéque præſtātium virorum columen, & præſidium, vt perfugium multas ætates eſſe poſſis. Lutetiæ, anno ab humano genere ſeruato, CIↃ. IↃ. LXIII. Kalendis Nouembris.

Dionyſius Lambinus Errico Memmio ſupplicum libellorum in Regia magiſtro, S. D.

QVamobrem hunc primum T. Lucretij Cari de natura rerum librum tibi donarim, Errice Memmi, cauſæ multæ concurrerunt. mouit in primùm magnus inter nos vſus, & ſumma neceſſitudo ſatis longo conuictu, neque parua aut breui cōſuetudine; conſtituta, ab illo iam tempore, cùm ego, tu; & frater tuus Io. Iacobus Memmius, & homo doctiſſimus, idémque vir optimus, ſtudiorum veſtrorum ſocius, & quaſi moderator Ioan. Maludarius, (ex cuius morte nec opinatá, atque immatura, mihi nuper ab Aurato noſtro nuntiata, incre-

incredibilem hauſi dolorem) Toloſæ vnà commorabamur. Qua in vrbe tametſi omne ferè noſtrum ſtudium in iuré ciuili ponebamus : horas tamen aliquot pomeridianas, & veſpertinas, & ſubſeciuas ad Græcos & Latinos quoſdam ſcriptores legendos conferebamus. atque ex Græcis quidem Homerum, Euripidem, Theocritum, Xenophoutem, Plutarchum : ex Latinis autem M. Tullium, M. Varronem, C. Cæſarem. T. Liuium, Virgilium, Horatiũ, remiſſionis animorum gratia legebamus. Sic igitur me afficit ſuauiſſima illius temporis recordatio, vt neque mihi vnquam beatius vixiſſe videar, &, ſi te prætereeam, atque adeò ſi nõ in principe loco ponam, flagitium me admiſſurum putem. Multum ſecundo loco apud me valuit tui, & C. Mẽmij Gemelli, cui vni ſuos libros omneis Lucretius inſcripſit, & dedicauit, nominis communitas, eáque, quàm Græci appellant, ὁμωνυμία. Nam cùm ego vniuerſos quidem libros Regi Karolo nono conſecratos : ſingulos autem ſingulis hominibus noſtratibus & mihi cariſſimis, & doctrina præſtantibus donatos in lucem prodire voluiſſem: exiſtimaui, quemadmodũ Lucretius Mẽmmio omneis dicauiſſet, ita

me tibi, tamquam eius gentili, vnum ſaltē librum, eúmque primum, dicare debere. Acceſſit & quæ mihi ad hoc faciendum acerrimos ſtimulos admouit, tua omnium Græcorum, & Latinorum librorum, non modò è typis expreſſorum, verùm etiam manuſcriptorum, quos vndique magno pretio conquiſiſti, & collegiſti, inſtructiſſima bibliotheca: ex qua depromtum vnū T. Lucretij Cari exemplar perueſtutū cùm mihi commodatò dediſſes: tantùm mihi ad huius ornatiſſimi, politiſſimíque ſcriptoris partim iniuria tēporum, partim culpa hominum vel indoctorum, vel ineptè religioſorum deprauati emēdationem adiumentum attuliſti, vt non minimam partim locorum in eo reſtitutorum cùm præſens ætas, tum omnis poſteritas tuo libro ſit debitura. Atque hoc pluris eſt ea, quam habes, optimorum librorū ſupellex, quòd eam libentiſſimè, ac liberaliſſimè iis omnibus impertiris, quos exploratum habes ſolere, vnde profecerint, ingenuè profiteri, neque eum, quem foris perceperint, fructū ſibi vendicare. Itaque mihi, quem optimè noſti, & quem ſcis nouam omniū M. Tullij ſcriptorum editionē omnibus ſuis numeris, & partibus perfectam atque expletā me-

meditari,iãpridem tria vetuſtiſſima, atque emendatiſſima omniumM.Tullij operum exemplaria vltrò detuliſti, currentémque (vt aiunt) incitaſti. Neque verò id ſolùm feciſti,ſed etiam,(qua in re induſtriam ac diligentiam tuam incredibili litterarum amore coniunctam admiror) ſcripturas omneis inter ſe diſſimileis, atque à vulgata lectione diſcrepanteis ad oram vnius exempli typis excuſi, partim tua, partim tui librarij manu adſcriptas mihi commodaſti,vt minore meo labore ex talibus ſcripturis quaſi ſub vno aſpectu poſitis, Adriano Turnebo interea, & Io. Aurato collegis meis,quorũ iudicium eſt, vt ſcis, in hiſce litteris ſubtiliſſimum,adhibitis, & conſultis, eam potiſſimùm ſequerer, ac probarem,quæ & M. Tullio eſſet digniſſima, & eius ſententiæ maximè conſentanea,&omnium virorum doctorum cõſenſu,neminéque repugnante, optima ac veriſſima. Namque omnino mihi deliberatum eſt à vulgata & recepta ſcriptura, ne latum quidem vnguem diſcedere,nihílque in tanto, talíque ſcriptore immutare, niſi quod ita perſpicuè & ſine controuerſia corruptum ſit,ac deprauatum, cuiúſque reſtitutio ita ſit auctoritate librorum veterum

comprobata, & (quod caput eſt) veritate ac ratione fundata, vt omnes mortales neque indoctiſſimi, neque maximè hebetes ſic eſſe legendum, quemadmodum reſtituendum curauero, fateantur. Verùm de M. Tullio & aliàs, & ſuo loco. Nũc T. Lucretij Cari de natura rerum, à me ſumma (quod te non fugit) diligẽtia, maximóque labore ad veteres membranas emendati, atque ex carie, ſitu, & ſqualore in ſuam priſtinam formam, natiuúmque habitum ac nitorem propemodum vindicati, librum primum tibi, tuo merito, libentiſſimè dono. Vale. Lutetiæ anno à genere humano ſeruato CIↃ. IↃ. LXIII Kal. Sextilibus.

Idem erudito Lectori.

FVit mea ſemper hæc ſententia, lector erudite, eos, qui ſcriptores veteres vel difficileis, atque obſcuros explanant, atque illuſtrant, vel iniuria temporum deprauatos, codicum manuſcriptorum auctoritate freti, in antiquum ſtatum, priſtinúmque ac natiuum ſplendorẽ reſtituunt, de bonis litteris, honeſtiſque diſciplinis melius mereri, quàm qui aut poëmata, aut orationes, aut libros artem aliquam iam

antè

antè à veteribus traditam, atque explicatã complectenteis ſcribunt & componunt. Nam ſi ſe ad poëmata ſcribenda conferẽt: profectò Virgilio, Catullo, Horatio, Tibullo, & ceteris, quos ſibi ad imitãdũ propoſuerint, non erunt ſuperiores. Si orationes, & epiſtolas conſcribere conabuntur: à M. Tullij facundia, atque eloquentia longo ſcilicet aberunt interuallo. Si verò artis grammaticæ, aut rhetoricæ, aut dialecticæ præceptiones litteris perſequi ſtudebunt: veteribus illis, qui eadem præcepta tradiderunt, ſine dubio multo erunt inferiores. Itaque cùm horum ferè omnium arrogãtiam mirari ſoleo, tum eorũ maximè ſtultitiam, ac penè dicam, inſaniam ſatis miſerari, ac deplorare non poſſum, qui hodie grammaticas arteis, rhetoricas, dialecticas à ſe ſcriptas, magno ſupercilio adoleſcentibus venditant, atque oſtentant. Nã vel ea ipſa dicũt, quæ ſunt iam à veteribus occupata: vel alia. Si eadem: vel id apertè, & ſine diſſimulatione faciũt: & tum, præterquàm quòd impudentes, atque iniuſti ſunt, etiam actum agunt, inanémque operã ſumunt. vel obſcurè, ac diſſimulanter, quibuſdámque rebus immutatis: & tum nihil à furibus differunt, qui rerum furtiuarum notis

commutatis, furta ſua ſe occultare poſſe cõfidunt. Si alia omnia afferunt: nugas afferunt: & ita, non ignorantiam ſolùm, verùm etiam temeritatem, ac vanitatẽ ſuam patefaciunt, indicant, ac produnt. Cùm enim afferre meliora non poſſint, reliquũ eſt, vt ſuis ſectatoribus deteriora pro melioribus obtrudant. Quare, ſi ita ſentiunt, quemadmodum præ ſe ferũt: cùm ipſi magno in errore verſantur, tũ alios in eundẽ errorem ſecum trahũt. ſin, quæ recta ſunt, intelligunt, ſed aliter tamen vel quæſtus ſpe ducti, vel inani gloria peruſti faciunt: capitalem fraudem admittunt. Neque verò me fugit, nonnullos & noſtra, & patrum noſtrorum ætate claros viros exſtitiſſe, qui & poëmata, & orationes, & arteis magna cum ſua laude conſcripſerunt. Sed & rarum eſt hoc hominum genus, & neſcio quo modo plerumque ſit, vt, qui ad ſcribendum ſunt ineptiſſimi, ij incredibili ſcribendi dulcedine, ac voluptate, quaſi prurigine, & ſcabie quadam affecti ducãtur: qui cõtrà ad id ipſum cùm ingenio, & natura facti, tum arte & ſtudio egregiè inſtructi ſunt: ij aut à ſcribendi voluntate & conſilio refugiant: aut, ſi quid ſoli & apud ſe ſcribant, de eo in vulgus edendo, tam-

tamquam ſibi & Muſis canentes, nõ valde laborent. Ego autẽ, quid in ſcribendo poſſim, aliis iudicandum relinquo, ſi modò è ſcriptis meis nõ ita multis, quæ diuulgata ſunt, iudicium hac de re fieri poterit. Sed certè in hoc genere partim explicandorũ, ac declarandorum, partim reſtituendorum atque emendandorum poëtarum veterum elaboraui. Qua in re quam laudem meruerim, neſcio: quin ne quæſiui quidem. Semper enim in ipſa virtute, & rectè factis ſatis laudis ineſſe iudicaui, etiam ſi multitudo non laudaret. Verumtamen mihi conſcius ſum me omnibus bonarum litterarum ſtudioſis prodeſſe, & conſulere voluiſſe. Si nõ fuit par voluntati facultas: non arrogantiæ, aut confidẽtiæ, ſed tarditatis, aut infirmitatis crimen ſuſcipere debebo. Sed ad Lucretium tandem, cuius gratia hic ſermo à me inſtitutus eſt, venio. Hũc igitur poëtam, lector humaniſſime, liquido tibi confirmare, veréque apud te gloriari poſſum, mea opera planè aliũ ab eo, qui abs te anteà viſus ſit, in man⁹ tuas peruenire. Octingẽtis enim locis (neq; hoc ὑπερβολικῶς, ſed Latino more dico) reſtitutũ eſſe, tibi legẽdo cognoſcere, atq; experiri licebit. Vſ⁹ autẽ ſum in eo reſtituẽdo, Romæ quidẽ trib⁹

libris manuſcriptis:vno Vaticano: altero, qui fuit Gabrielis Faërni:tertio,quem Scipio Tettius Neapolitanus mihi commodatò dedit: Lutetiæ verò,duobus:vno Mēmiano,altero Bertiniano,qui ex cœnobio D. Bertini,(Eſt autem hoc cœnobiũ in oppido D. Odomari non longè à Morinis) olim ad P. Gallandiũ ipſius rogatu Lutetiá miſſus eſt,deinde Adriano Turnebo à P. Gallandio eius copia facta eſt. Atque ego (ne mētiar) Bertinianum codicem,quē in meis ſcholiis ſæpe cõmemoro,nõ vidi,ſed librum Adriani Turnebi è formis plũbeis expreſſum,cum illo exemplari manuſcripto diligentiſſimè, & accuratiſſimè vſque ad librum ſextum duntaxat comparatum,habui,quandiu volui: eúmque, quia Bertiniani codicis ſcripturas omneis diſſimileis, & differenteis à vulgatis ſumma fide imitatas continebat,Bertinianum nominaui. Ne vulgatos quidem libros aſpernatus ſum. Quin omneis, quos potui, vndiquè conquiſiui, & corrogaui, Pariſienſeis,Lugdunenſeis,eóſque binos,Venetos item binos, vnos antiquiores, alteros recentiores,Florentinos,Vicetinos,Baſiliēſeis. Præterea grãmaticos omneis veteres, & linguæ Latinæ veluti magiſtros,quos ſuperioris

perioris ætatis oratorum, ac poëtarum verſus proferre meminiſſem, ſtudioſè relegi: in his Varronem, Pompeium Feſtum, Macrobium, Nonium Marcellum, Diomedẽ, Soſipatrum Cariſium, Seruiũ, Priſcianũ, & ſimileis, vt, ſi qui verſus Lucretiani integri, atque intaminati, aut certè quàm minimùm contaminati, & corrupti, ab eis proferentur: ego eorũ teſtimoniũ ſecutus, Lucretij vulnera ſanarem. Scholia præterea, ſeu breueis cõmẽtarios, addidi, quibus partim immutatorũ à me locorũ rationẽ reddidi, partim obſcuriores quaſdã voces declaraui, partim quædã ad philoſophiã, aut hiſtoriã pertinentia, difficiliora, atque impeditiora, ex Homero, Heſiodo, Pindaro, Theocrito ex Platone, Ariſtotele, Theophraſto, Cleomede, ex Herodoto, Thucydide, Xenophõte, Plutarcho, Diodoro Siculo, Strabone, Pauſania, Arriano, Laërtio ex M. Tullio, C. Cæſare, T Liuio, Q. Curtio, Plinio, & aliis poëtis, philoſophis, hiſtoricis, partim Græcis, partim Latinis, quos enumerare longum ſit, expediui, atque illuſtraui. Poſtremò, quoniam ſæpe animaduerti, magnos, & eruditos viros, dũ ſuis cogitatis, atque inuentis, nimio opere delectantur (vt ſumus omnes φίλαυτοι, na-

tura(dúmque in ſuis ſcriptis recognoſcendis, atque examinandis neminem alium arbitrum adhibent, prætequàm ſeipſos, interdum turpiter labi, atque errare: ego meis viribus, meóque ingenio diffiſus, vbicumque mihi, vt hærerem, ac dubitarem, áccidit, ad viros doctos mihi notos ac familiareis, tùm alios multos, tùm verò Galliæ noſtræ, atque adeò totius Europæ principes, collegas meos, Adrianum Turnebum, & Ioãnem Auratum retuli: nonnullas meas coniecturas cum eis communicaui: eorũ ſententias, & quaſi reſponſa, quamuis ea interdum non ſatis mihi probata, ſumma fide ipſis auctoribus reddidi: neque me puduit, vnde profeciſſem, ingenuè profiteri: quin contrà, turpiſſimum mihi futurum duxi, id, quod ab aliis acceptum probauiſſem, mihi impudenter adſcribere, atque arrogare. Hæc te lector, ſcire volui. Atque ea ipſa nimis fortaſſe multa tibi videbuntur, iamdudum Lucretium legere properanti. Sed te per humanitatem tuam, per pietatem tuam, per eam denique, quam mihi debes, ſi quã debes, gratiã, obſecro, & obteſtor, ne prius Lucretium legere incipias, quàm librarij, operarúmque errata ita correxeris,

quem-

quemadmodum eſſe corrigenda ad calcẽ libri admonui. In quorum numerum, atque ordinem, nonnulla etiam ex iis, quæ primæ editioni addidimus, non ſatis diligenter ſuis locis adglutinata, & idcirco ab operis per imprudentiam prætermiſſa, cõiecti, &, quo quæque loco eſſent reponẽda indicaui. Quòd ſiqua alia inter legendum animaduertes, quæ nos fugerint, ac fefellerint: fac memineris, nos homines eſſe, diſcáſque, rebus humanis concedere oportere. Vale.

Idem tertiæ editionis lectori S.D.

FVerat olim (erudite lector) à pictore quodam præſtantiſſimo, atque excellentiſſimo tabula pulcherrimè picta. Eam tabulam mali pictores longo pòſt tempore vetuſtate aliquantùm obſcuratã, & propemodũ obſoletam, nacti, non ſolùm nouis & alienis coloribus cõtaminarant veriùs, quàm illuſtrarãt, verùm etiam cœno, & ſordibus conſpurcarãt. Ego autem eam miſerandum in modum contaminatã, ita, vt vix priſtina picturæ dignitas & pulchritudo agnoſceretur: annos abhinc ſeptem, multis ſimilibus tabulis, ex illa prima, & natiua, quaſi ad viuum expreſſis, atque

imitatis,adiutus,in ſuam penè formam,atque in antiquam integritatem, ac dignitatem reſtitueraſ:ſordeis ferè omneis abluceram:colores ineptos, & ſuppoſitos abſterſeram:aliena lineamenta deleueram: natiuos & veros colores ſuppoſititiis illis, & falſis inquinatos,oblitos,obſcuratos,acpene dicam,ſepultos,aperueram,patefecerã, illuſtraram,in lucem reuocarã, ingenua & germana lineamenta,ſpuriis & adulterinis illis partim deformata, partim cooperta interpolaram,reconcinnaram, ac redintegraram. Eam hunc in modum opera mea quaſi renatam,cùm totam quidẽ Regi Gallorum,Karolo I X. ſingulas autem parteis ſex viris Galliæ noſtræ doctiſſimis, atque ornatiſſimis, donauiſſem, & quaſi conſecraſſem,omnibúſque nationibus ſpectandam ac fruendam expoſuiſſem: quidã omnium mortalium, qui vmquam fuerunt, qui ſunt,qui erunt, iniuſtiſſimus, audaciſſimus,impudentiſſ.ſibi improbiſſimè arrogauit: à ſe eſſe redintegratam, ſuo decori reſtitutam,atque ab omnibus maculis vindicatam, ſuis denique & natiuis coloribus illuſtratam, impudentiſſimè prædicauit. Hanc iniuriam apud te, lector, queri volui prius, quàm in hac tertia Lucretij mei

mei editione quidquam legere inciperes: non ſolùm vt de iſto improbiſſimo fure, atque adeò reip. depeculatore, ita, vt meretur, exiſtimares, tibíque nota eſſet iſtius Patæcionis iniuſtitia, & confidentia ſingularis, verùm etiam vt atrociſſimum mihi ab iſto factam iniuriam, meúmque iuſtiſſimum dolorem, pariter, communitérque mecum doleres. Proferam autem, & explicabo in cōſpectu tuo tabulas publicas, quibus ego eum furti manifeſti, atq; adeò peculatus, ita apertè conuincam, vt, quamuis omneis homines confidentia, atque impudentia vincat, negare non audeat tamen, ſe in rem alienam iniquiſſimè inuaſiſſe, eámque vero domino, ac iuſto poſſeſſori iniuſtiſſimè eripuiſſe. Sed, ne te diu tius ſuſpenſum, atque incertum teneam, ſcire cupientem, quā ego tabulam pictam olim ab aliis inquinatā ac deformatam, à me nō ita pridem magna ex parte nitidiorem effectam, ab iſto mihi ereptam, querar. non ſinam te diutius (quamquam propemodum, quid velim, quídque ſignificē, intelligentem) verum tamen non ſinam te, ſi forte tibi res tota inaudita, atque incognita eſt, diutius animi pendêre. Omnium poëtarum Latinorum, qui hodie exſtant,

& qui ad noſtram ætatem peruenerunt, elegantiſſimus & puriſſimus: idémque grauiſſimus, atque ornatiſſimus, Lucretius eſt. Eum cùm librarij ſcriptores, nondum inuenta arte typographica, mendis innumerabilibus, maculíſque fœdiſſimis cõtaminaſſent, atque obruiſſent: ad illa à librariis illata vulnera, leuia ſanè & ſanabilia, acceſſerunt multo grauiora, ac penè dicam, inſanabilia, ab hominibus doctis quidẽ illis, ſed plus nimio ſuo ingenio indulgentibus (vt ſumus noſtri ferè plus æquò amãtes) impoſita atque inflicta. Quibus hic, alioqui politiſſimus & elegantiſſimus ſcriptor, ita laceratus, confoſſus, deprauatus, corruptus eſt, vt vix quiſquam eum legere, vix attingere, vix adſpicere auderet. Quod cùm ego animaduertiſſem, ſæpéque & in Italia, & in hac noſtra Gallia doctiſſimorum virorum querelis interfuiſſem, tantam linguæ Latinæ iacturam deplorantium: ego eodem ferè tempore, quo tempore, Horatium cum octo exemplaribus antiquis Romæ contuleram: Lucretiũ quoque cum tribus codicibus manuſcriptis, quos ibidem nactus ſum, diligentiſſimè & accuratiſſimè comparaui. Ac de Horatio quidẽ, quid in eo præſtiterim, ignora-

ignorare arbitror neminem. Litteræ certè & ex vltima Gallia Belgica, & ex Germania, & ex Italia à doctiſſimis viris ad me multæ venerunt, quibus mihi & gratulati ſunt, & gratias egerunt, quòd Q. Horatium Flaccum à tot mendis vindicaſſem, talibúſque commentariis illuſtraſſem. De Lucretio autem, ſi qui ſunt, qui numquam, quid in eum à me boni profectum ſit, audierint, eũ ego tribus illis cȯdicibus, quos Romæ habui, & duobus, quorum alterum hîc Lutetiæ à Turnebo, ſingulari ingenio & doctrina viro, collega meo, (cuius mortem æternùm Gallia deflebit) alterum ab Err. Memmio, viro clariſſimoq́, in recondítiore ſenatu ſenatore ornatiſſimo, commodatò acceperã: his, inquã, quinque codicibus fretus, Lucretiũ omni ex parte maculoſum, deformẽ, atque vlceroſum, magna ex parte à maculis, & vlceribus vindicaui, & (quod vehemẽter ad rem pertinet) commentariis breuibus quidem illis, ſed tamen (nequid arrogantius dicã) non inutilibus, illuſtraui. Quod cùm feciſſem, poſteriúſque quoſdã locos horis ſubſeciuis, partim mecum relegiſſem ac recognouiſſem, partim cum doctis viris cõmunicaſſem: curaui, vt ſecundùm ederetur, idque

figura, & forma quàm minima, & ad circũgeſtandum facillima. Vix dum hæc ſecunda editio abſoluta erat, cùm, ecce, mihi nũtiatum eſt, Thraſonem quendam (ſic enim eum doctiſſimus quidam Germanus, doctis omnibus nomine & fama notus, appellat: ego autem numquam adducar, vt eum nominatim deſcribam) exortum eſſe, qui non ſolùm in alienam poſſeſſionem irrueret, verùm etiam alienam meſſem in granaria ſua conuerteret, & conueheret. Non negabo (lector) mihi hunc nuntium iniucundum accidiſſe. Verumtamen hoc me ſolabar, quòd ita mecum ratiocinabar, ita cogitabam: & verò hoc mihi perſuadebam, eum, qui hoc ſuſciperet, vel doctum & pudentem, vel indoctum atque impudentem eſſe: (nã neminem, qui aut doctrinam cum impudentia, aut ignorantiam litterarum cum pudore coniunxiſſet, pertimeſcebam) ſi doctus & pudens eſſet: confidebam, eum & gratiam mihi relaturum, quòd ſibi viam ad Lucretium intelligendum, aperuiſſem, ac muniuiſſem, lucémque quaſi prætuliſſem: &, ſiquid fortè humanitus peccaſſem, ſummo iure mecum non acturum. Sin indoctus & impudens: eum ego augurabar

ſuis

ſuis etiam ridiculum futurum. Omnino non exiſtimabam, quemquam ad eam amētiam progreſſurum, vt, quæ à me eſſent occupata, ſibi impudentiſſimè arrogaret: quæ optimè emendata, iniuſtiſſimè reprehenderet: quæ fortaſſe minus accuratè vt ab homine, excogitata, & ſcripta: ex iis maledicendi anſam arriperet. Sed venit tandem ad nos exſpectatus ille, & renouatus ab illo ThraſoneLucretius. librum aperui, inſpexi, legi. Quid quæris? Obſtupui, (lector) tribus, aut quattuor paginis lectis. Omnia ferè, quæ in eo Lucretio recta ſūt, mea ſunt: quæ tamen iſte, aut ſilentio prætermittit, aut malignè laudat, aut ſibi impudenter arrogat. Si cunde reprehendendi anſam arripere poteſt, ibi mihi petulantiſſimè inſultat, in eo me improbiſſimè inſectatur. Quid multa? Numquam poſt homines natos quiſquā tam verus atque inſignis ſycophanta fuit, quàm ſeſe iſte in me prębuit. Quid ergo? dicet aliquis. Túneſolus, Lābine, regnū in litteris obtinebis? te ſolum librorum omnium emēdandorum facultatē habere gloriaberis? ceteros omneis, tāquā profanos, ab his ſacris arcebis? Ego verò (lector) nō vſque eò ſum rerum imperitus, vt neſciam, latiſſimum harum

litterarum, quas colimus, eſſe campum eúmque iis omnibus, qui bonos libros aſſiduè tractant, ac peruolutant, patêre. Nõ ita ſum aut arrogans, aut impudens: vt me ſolum idoneum eſſe cenſeam, qui ſcriptores antiquos tractem, emendem, explicem, declarem: mihi ſoli has parteis depoſcam, ac ſumam: aliis autem huius muneris administratione interdicam. Sed hæc mea ſententia eſt, lector erudite, cùm ſuum cuique ſit ius ſcribẽdi, tum eos, qui poſteriore loco ſcribunt, iis, qui priores aliquid in commune attulerũt, & maximè, qui ſcriptorem aliquem vel explicare, vel emendare conati ſunt, dum viuunt, & dum quod inchoarũt, abſoluere ac perpolire poſſunt, laudis ſperatæ fructum præripere non oportere. Quòd ſiquis contendat, hoc etiam aliquando factum eſſe, quotidie factitari, & his moribus increbruiſſe, atque ideò licere: eſto, demus ita eſſe: verùm ea lege tamen, primùm vt, ſi quid ab eo, qui anteuenerit, præclarè vel ingenij acumine inuentum, vel labore & diligentia perfectum eſt id, ſi non laudes, at certè ſilentio non prætereas. Si neque vt laudes, neque vt commemores, maleuolentia, & inuidia impeditus, animũ inducere poſſis: ac certè

vt

vt tibi non impudẽter adſcribas, atque iniuſtè aſſumas. deinde ſiquid humana natura parum cauit, aut, ſiquid etiam peccauit (quis enim homo natus hoc effugere poteſt?) vt rebus humanis concedas, aut etiam diſſimules, & conniueas, atque hoc pacto legem in te æquiorem ſancias: aut ſi fortè maledicus, & ad reprehendendũ procliuis es natura: id tamen clementer & modicè, aut intra modum facias. Nunc autem quid de eo ſentiendum, aut quid dicendum, lector, qui præclarè ab altero facta, non ſolùm tacet, verùm etiam ſibi ore perfricto arrogat? in quibus humanitus titubatum, aut offenſum eſt, ea petulantiſſimè exagitat, atque inſectatur? quid eſt eſſe audacem? nõ periculum exiſtimationis, & famæ ſine neceſſaria, atque adeò probabili cauſa adire, ídque conari, vnde nullam laudem, ſummam ignominiam, & infamiam referas? quid eſſe arrogantem? non ea ſibi tribuere ac ſumere, quæ nõ habeas? quid eſſe impudentem? non ei lædere os, eiúſque aureis atque animum offendere, qui te numquam ne verbo quidem violarit? quid eſſe ingratum? non ei nocere, qui profuit? quid eſſe petulãtẽ? nõ eũ maledictis appetere, qui modeſtè, innocẽter & ſi-

ne maleficio viuat? quid eſſe furē? non rem alienam inuito domino contrectare. ſuam facere, atque in ſuum vſum vertere? quid eſſe inſidioſum, fallacem, infidum, &, vt ſignificantius dicam, nigrū? non per ſimulationē laudandi vituperare, & altera manu aquam porrigere, altera ignem intentare? Quid eſſe ſycophantam? non ea, quæ rectè dicta, aut facta ſunt, ſilentio præterire: quæ humanitus peccata ſunt, ea improbiſſimè reprehendere? in præclaris & laudabilibus inuentis mutum & elinguem eſſe: in creatis mediocribus vocem contendere, & clamorem tollere? Talem igitur iſtum, quem nutu ſignifico, coguoſcès. Quòd ſiquis ingenij, aut doctrinæ fama clarus: ſiquis Faërnus, Victorius, Manutius, Sigonius, Angellius, Brutus, Lolius, Vrſinus: ſiquis Turnebus, Auratus, Muretus, Boſius, Bōmorelli⁹, Paſſerati⁹, Baiffius, Scaliger: ſi quis Camerarius, Iunius, Xylander, Betuleius, Fabrici⁹, Lāgius, Suffridus: ſiquis Achilles Statius, Oſorius: ſiquis Bucananus, Rogerius, Scrimgerus, & tales viri innumerabiles, quos habet Italia, Gallia, Germania, Hiſpania, Britānia, omni doctrina præſtāteis, hoc negotium ſuſcepiſſet: non eſſet quòd indignè, aut moleſtè ferrē: immò verò

rò eſſet, quòd gauderem, vnum aliquem ex talibus viris exſtitiſſe, qui me fortaſſe defeſſum, & oneri ſuccumbẽtem ſubleuaret: qui mihi, onus plus æquo graue, ægrè ſuſtinẽti, ſuccurreret ac ſubueniret, nunc autẽ, exortum eſſe vnum ex omnibus mortalibus nulla ex re magis, quàm feritate, importunitate, contumacia, ſuperbia, audacia, confidentia, & impudentia excellentẽ, qui auderet rem à me inchoatam ac ſuſceptã mihi de manibus extorquere, eámque ſibi iniuſtiſſimè atque impudentiſſimè arrogare, mihi improbiſſimè maledicere, me indicta cauſa damnare, de me, vt de homine nullis litteris tincto, ipſum, vt hominẽ omnium, qui viuunt, erudititiſſimum ac litteratiſſimum, ſententiam pronuntiare, nõ indigniſſimum eſt? Neque verò eſt, quòd quiſquam Belga, Menapius, Sicamber, Flander, Hollandus, Brabantius, aut Germanus, lædi ſe putet, aut de harum nationum laude detrahi exiſtimet, cùm iſtum, barbarum, aut ſychophãtam laceſſitus cõpello. Nullas enim cum his nationibus inimicitias gero, immò mihi nonnulla etiam cum eis familiaritas & neceſſitudo intercedit. Accipio quotidie ab harum nationũ hominibus doctiſſimis litteras, egóque

ad eos viciſſim mitto meas, ex quibus & quid illi de me exiſtiment, & quantũ ego eis tribuam, intelligere licet. Verſabar etiam quondam:(ita dico quondam Nam hodie per hoc nouũ edictũ nuper apud illos propoſitũ ac diuulgatũ, omnium, quæ poſt homines natos compoſita ſunt, nobis moleſtiſſimè feredũ, quo vetat auctor edicti, graui mulcta ei, qui ſecus faxit, irrogata, quẽquam in iis vrbibus, quæ regis Philippi imperio ſubiectæ ſunt, natum, in vllam noſtræ Galliæ ſcholam, bonarũ litterarum, aut iuris ciuilis diſcendi cauſa, venire: cùm ſchola vniuerſa Pariſienſis (nam de ceteris in præſenti nihil dico) ab infinitis vſque ſæculis, omniũ toti⁹ orbis Chriſtiani ſcholarũ princeps, pontificibus omnibus S.E. Rom. approbantibus, meritiſſimò habita, atque ab omnibus nationibus ſemper antea maximè celebrata, & frequentata ſit: per hoc igitur nouum edictũ, nobis hodie non licet, neque poſthac licebit, quemquam illarum nationum virũ, aut adoleſcentem Lutetiæ, aut omnino in Gallia videre. Ademta planè, atque erepta nobis eſt omnis bonarũ artium, atque adeò orationis ac ſermonis cũ illis hominibus cõmunio ac ſocietas). Sed redeo ad

ſer-

ſermonem inſtitutũ. verſabar igitur olim quotidie Lutetiæ cum eruditis viris, ac iuuenibus:qui huc ex illis terrarum oris vel ſtudiorum, vel vrbis cognoſcẽdæ cauſa venerant, cum Vtenhouio, Blotio, Fruterio, Cantero maiore & minore, cum Volgueto, Molinario, Vornano, Torio, Eumenio, Bonardo, & multis alijs, quos enumerare longum ſit, cùm & illi me ament, atque obſeruent, & ego eos redamẽ, mutuáque beneuolẽtia complectar. Quorum nonnulli, cùm hanc iniuriam mihi ab iſto, quem deſcribo, factam eſſe cognouiſſent, & apud me eum grauiter accuſarunt, & iniuriam mihi ab eo factã moleſtè tulerunt, & iſtũ priuatim acriter obiurgarunt. Neque hoc ſatis habuerunt: ſed ſatyras quoque in eum mordaciſſimas, & epigrãmata aculeatiſſima conſcripſerunt: quæ ſub ſigno habeo, diligentiſſiméque cuſtodio: neque vmquam eius iniuria adducar, niſi perget inſanire, vt in vulgus edam. Miſſæ ſunt preterea à quibuſdam eorum Lutetia iam profectis ad me epiſtolæ, quibus mihi totum hominis ingenium, totiúſque vitæ anteactæ conſuetudinem deſcribunt, atque explicant. quas, quantumuis malè de me meritus ſit, numquam foras proferam.

Verumtamen, nequis me hæc accuſatoriè confingere, & ſuſpiciones falſas in iſtum commouuere exiſtimet: proferam hoc loco ſatyræ cuiuſdam, ab erudito, & nobili iuuene, Iano Doëza, in iſtum ſcriptæ, atque ad Danielem Rogeriũ Anglum miſſæ, principium: qua in ſatyra ille inſignem iniuriam, Fruterio, communi amico, moribundo, & animam iam agenti, per ſpeciem officij, & amicitiæ, ab iſto factã, grauiter queritur: totámque iſtius malitiam, & perfidiam, & iniuſtitiam octoginta & amplius verſibus hexametris perſequitur. Huius igitur ſatyræ ipſum duntaxat principium ponã, vt quiuis ex paucis verſibus intelligat, & quid de iſto ſui ſentiant, & qualis iſte fuerit in ſuos, & ne cui mirum ſit, iſtum talem in me exſtitiſſe, alienũ qui ſe in amicos tam inhumanum, atque importunum præbuerit. Sic igitur Doëza,

Fruterius quòd ſe, partémque ſui meliorem
Sacrauit moriens, & magni pondus Olympi
Auxit Atlanteis ceruicibus, eſſe beatus
Cenſetur meritò. quis enim tam liuidus, vt non
Hoc ipſum fateatur? at idem quòd male cautis
Inſcripſit tabulis: Heres mihi Fanius eſto:
Omnibus infelix contrà, nec ſanus habetur,
Quotquot amico ipſo ſumus, heu, dum viueret, vſi.

Non,

Non, vt Fanius hic, fraudũ caput, & plagii olim
Conuictus, Lambine, tibi: cùm, fronte retecta,
Furtiuis riſum mouit cornicula plumis.
Dictu turpe ſuis, quos inter erat quoque nobis
Tunc aliquis locus: at que etiamnum forſitan eſſet
Qui fuerat, ſi non aliò nos ipſe vocaſſet
Perfidus, & ſanctum pede cõculcaſſet amorẽ, &c.

Reliquos verſus, vt dixi, non adſcribam, ne cui ſæuior atque aſperior æquo in referenda iniuria videar. Verumtamen conſideret lector, quæ ſit huius teſtimonij vis. Si hic Doëza, contemtus aliquis homo, & leuis, & improbus eſſet: tamen, quoniam iſti amicus eſt, fides ei habenda eſſet. ſi eſſet ab iſto alieniſſimus, tamen, quia caſtiſſimis & integerrimis moribus præditus eſt, teſtimonium eius grauiſſimum eſſe deberet. At nunc idem & amicus eſt, & homo integerrimus. Et hic teſtatur me ab iſto eſſe compilatum: eum plagij à me conuictũ: eum plumis furtiuis, tanquam corniculam Æſopicam, ornatum, omnibus riſum mouiſſe dicit: fraudum caput appellat. Quid poteſt in quemquam grauius, aut criminoſius dici? Et tamẽ alia ſunt in illa ſatyra lõgè grauiora, & ſceleratiora, quę nũc tacebũ tur. Peto igitur ab aliis omnib⁹, qui nationis communitate cum iſto cõiuncti ſunt,

ne communem omnium cauſam cum i-ſtius cauſa coniunctam eſſe putent, ſed e-xiſtiment, me ab iſto iniuſtiſſimè læſum, & indigniſſimis modis acceptum, & atrociſſi-mis iniuriis laceſſitum, neceſſitate coactū, atque inuitum, ad hanc cauſam dicendā, deſcendere. Qua in re ſi cui forte videbor indecorè, & præter conſuetudinem, atque adeò præter naturam meam, immodera-tius efferri, & maledicta in eum iuſto a-crius regerere: cogitet, legem hanc eſſe an-tiquiſſimam, atque æquiſſimam, eum, qui maledixit prior, peius audire. quamquam non ſum ei pro eius in me cōtumeliis gra-uiſſimis nimis aſperè reſponſurus, neque par pari relaturus: ſed mei pudoris, eius lo-ci, quem me Rex Karolus obtinere voluit, & grauitatis, & ætatis, rationem habiturus. Quòd ſi quid tamen interdum dicetur grauius: exiſtimare debebis, primùm, hanc vocem non eſſe meam, ſed iuſti doloris, æquitatis, iuſtitiæ & veritatis: deinde, vt ſit vox mea, me reſpondere voluiſſe, non laceſſere: Quòd ſi benedictis, & benefactis certaſſet: fuiſſe bene auditurum, beneficii-que gratiam, qualem ſeuiſſet, talem meſſu-rum. Nunc autem æquum eſſe, quod ab ipſo profectum eſt, in auctorem reuerti.

Quo-

Quoniam igitur de iniuria,&contumelia, quæ mihi, totíque genti Gallorum, Regi ipſi, nationibus denique exteris, quibus olim meas vigilias impertiui, illata eſt, cognouiſti: reſtat, vt tabulis publicis id, quod tibi expoſui, demonſtrē & confirmē. Tabulæ autē publicæ ſunt, Lucretij iam à me biſediti exēpla: ſemel, vnà cū cōmentariis, maiore forma, anno CIↃ.IↃ. LXIII. iterum ſine commentariis, & tamen cum breuibus ſcholiis ad calcem adiectis, forma quàm maximè puſilla. ex quibus, quam ego operam in Lucretio emendando nauarim, quid ille noui attulerit, facilè cognoſces: multíque adeò viri boni, & docti, cognouerunt: qui recenti mea de iſtius furtis improbiſſimis, & iniuriis, & cōtumeliis, querela, data opera Lucretiū ab initio ad extremum vnà cum meis commentariis, perlegerunt, meáſque duas editiones cum iſtius editione cōtulerunt. quo facto, negare non potuerunt, iſtum non modò furem eſſe manifeſtò deprehēſum, verùm etiam petulantem, impudentem, contumelioſum, & quouis malo dignū. Omnino enim ita ſe res habet, quicquid eſt in eius Lucretiana editione rectum & laudabile, paucis exceptis, ex mea editione ſumſit,

ſiue ſit hoc in contextu verborum Lucretij, ſiue in commentariis. Namque hoc admonendum es, lector, me in prima editione vulgatam lectionem nimis interdum fortaſſe religiosè retinuiſſe, ſatíſque habuiſſe, ſi antiquam ſcripturam, recepta nihil immutata, in commentariis meis proponerē, fideliterque repræſentarē. Quod cùm ita feciſſem: depeculator iſte, pleraſque ſcripturas veteres, aut coniecturas meas, in commentariis meis repertas, ſibi arrogauit, quaſi earum auctor, atque inuētor. Verumtamen, ſi quando aliquid ab iſto recte profectum eſt, quod non negamus: id non tacebitur, neque iſte merita laude priuabitur: quāquam certior factus ſum ab iis, qui iſtum bene norunt, hoc eſſe in eo ferè perpetuum, vt, quæ aliis venerunt in mentem, quæque ab aliis tradita, & fidei ſuæ commiſſa accepit, ea ſibi impudenter adſcribat. Sed tamen quæ in eius editione compárent, in noſtra verò ſecus, ea ſuis auctoribus bona fide reddentur. Vbi prędonem iſtum in furto manifeſto medium tenebo: tum tu mihi, bone lector, hanc veniam dabis, vt, cùm rei furtiuæ ex lege XII. tabularum æterna ſit auctoritas, ego rebus meis manus iniiciam, meúmq;

Lucretium pro meo iure repetam, ac vindicem: tu autẽ furem plumis, & ornamentis alienis inſignem, non riſu dignum, vt corniculam illam: ſed pipulo differendũ, & infamiæ nota inurendum, ſi tibi videbitur, exiſtimabis. Hæc te, lector, ſcire volui prius, quàm hanc tertiam mei Lucretij editionem legeres, partim ne tu inter legẽdum in digreſſiunculas quaſdam ſtomachoſiores, & amariores incidens, quibus iſtius improbitatem retundo, tacitus apud te quæreres, quid hæ verborum velitationes ſibi vellent, & quorſum pertinerent: partim vt intelligeres, me non potuiſſe iſtius iniuriam, tacitam, atque inultam relinquere, niſi laudem magno meo labore, quem in emẽdando Lucretio ſuſcepi, partam, amittere, ac proijcere vellem: quod neminem experientem, & fortem virum, fuiſſe probaturum, certò ſcio. Vale. Lutetiæ, a.d. VIII. Nouẽbr. anno CIↃ.IↃ.L XX.

Dionyſ. Lambinus P. Ronſardo, poëtarum Gallicorum principi.

CVm primum T. Lucretij Cari librum de natura rerum Errico Memmio propter grauiſſimas, & iuſtiſſimas cauſas dicauiſſem, Ronſarde, hunc ſecundum me

tibi donare debere non leuioribus cauſis adductus iudicaui. Primùm enim poëtarum Gallicorum ſine controuerſia princeps & es, & haberis. Deinde, quemadmodum Lucretius noſter Latinorum primus naturam, & philoſophiam (mitto dicere, quamdo etiam, deliram, & in multis impiam) Latinis verſibus, iiſque ornatiſſimis, ac politiſſimis illuſtrauit: ita tu per amœniſſima omnium poëtarum, Græcorum, ac Latinorum nemora diu peruagatus, atque ex eorum liquidiſſimis & puriſſimis fontibus infinita rerũ noſtris hominibus inauditarum vbertate hauſta, ea poëmata ſermone Gallico in vulgus edidiſti, quæ Homeri, Heſiodi, Pindari, Anacreontis, Apollonij, Theocriti, Callimachi, Virgilij, Horatij, Tibulli, Propertij, Ouidij, & ceterorum λημκύθας & μυροθήκια redolerẽt. Huc accedit, quòd ego, paullo te natu grãdior, te adoleſcẽtẽ (vt probè meminiſſe potes) ad Græcarum litterarum ſtudia, quamuis currẽtem, incitaui: tibi etiam (vt ipſe prædicare ſoles) in ſcriptoribus Græcis ac Latinis verſanti, quaſi lumen ſæpe prætuli. Deinde tu me elegantiſſimo quodam, & propè diuino carmine, quod immortale cum ceteris tuis ſcriptis, futurum eſſe confido,

fido, ampliſſimè ornaſti, memoriæque ſempiternæ commendaſti. Poſtremò amicitiã noſtram ex optimis initiis ortam, & profectam cùm abſente me, aſſidua mei recordatione aluiſti: tùm poſt longinquas, & diuturnas peregrinationes meas patriæ reddito, plurimis, & illuſtribus amoris ſignis, ſummíſque erga me ſtudiis amplificaſti, atque auxiſti. His igitur cauſis impulſus hunc ſecundum librum, in quo de primorum corporum motu, de figuris eorum variis, & tamen finitis, numero infinito, natura ſimpliciſſima, omniumque colorũ, atque adeò omnium primarum qualitatũ experte, de mundis inumerabilibus, qui fortuito illorum corpuſculorum concurſu (rideamus licet Epicuri deliria) & oriũtur, & intereunt, diſputatur: hũc (inquam) librum amicitiæ noſtræ teſtem futurum ſempiternum, tibi libens, atque ex animo dono. Vale

Dionyſ. Lambinus, Germano Valẽti, Pimpuntio, viro Doctiſſ. in tribunali ſupremo Pariſienſi, iudici, & conſiliario Regio.

CVm multis, ac magnis de rebus philoſophos illos veteres quæſiuiſſe, at-

que inter ſe diſſenſiſſe non ignoras, Germane Valens: tùm de animorum origine, ſede, & natura: hoc eſt vnde orti, in qua parte corporis locati ſint, vtrùm ſint mortales, an immortales, tam variæ ſunt inter eos, támque diſcrepantes ſententiæ, vt, cùm eas collegeris, & ſub vnum quaſi aſpectum poſueris, non illi veri inueniendi, ſed contrà dicendi ſtudio hac de re inter ſe concertaſſe videantur. Atque eorum tamẽ tolerabilior eſſet ſiue peruicacia, ſiue temeritas, ſiue confidentia, ſi in eo ſaltem conſenſiſſent, vt quamuis in ceteris de animo quæſtionibus cæcutirent: animorum immortalitatem tamen ſuis rationibus cõfirmarent. Nunc autem cùm plerique eorum (quo in numero ſunt ij, qui animum vel ſanguinem, vel cerebrum, vel aliquam aliam corporis partem, vel flatum, ac ventum, vel ignem, vel harmoniam, vel aurã tenuiſſimam cum vapore, & aëre, & quarta quadam nominis experte natura confuſam, & permiſtam eſſe cenſent:) animos, quaſi capitis damnatos, mortaleis eſſe ſtatuant: pauci, in quibus ſunt Plato, & Xenophon, à morte, & interitu vindicare conentur: non immeritò nos & illorum inſipientem inſipientiam aſpernari, & nobis ipſis

ipſis gratulari debemus: qui ab IESV CHRISTO, vnico Dei optimi maximi filio, ſeruatore, & liberatore noſtro erudi-ti, atque inſtituti, nullis rationibus huma-nis, nullíſque argumentis, quantumuis li-cet aptè concluſis, ne Platonicis quidem, adducti, atque coacti, animos noſtros, im-mortaleis eſſe perſuaſum habemus, atque ita perſuaſum habemus, vt nullæ nos ra-tiones contrariæ quantumuis acutæ, atque argutæ: quantumuis probabiles, ac veriſi-miles: quantumuis firmæ ac validæ, nedum Lucretianæ, quæ ſunt perquàm leues atq; infirmæ, de hac ſentẽtia demouere poſſint. Quod eo dico, ne qui maleuoli homines, qui ex ſuo ingenio ceteros fingere conſue-uerunt: quòd ego cùm optimorum Græci & Latini ſermonis auctorum, tùm T. Lu-cretij Cari lectione valde delector, pro-pterea me aut de animorũ immortalitate, aut vlla alia de re, quæ ad pietatem perti-net, aliter, quàm hominem Chriſtiana re-ligione imbutum oporteat, ſentire ſuſpi-cetur. Nam, vt omittam, quòd totius meæ vitæ anteactæ teſtimonio, ſiqua talis eſſet commota in me ſuſpicio, falſa ſcilicet, re-felli poſſet: quid aut me, aut quemquam ſanum ac pium moueant collecta à Lucre-

tio aduerſus animorum immortalitatem argumenta, cùm ea omnia valeant in parteis, ſeu poteſtates animæ turbidas, & rationis experteis, non in eã, quæ omni motu à ratione auerſo vacat, quæque ex ętheriis illis, & diuinis ignibus decerpta, & quaſi delibrata eſt? Quid quòd tãtã vix eſt veritatis, vt Lucretius ipſe libro ſuperiore animos eſſe immortaleis, iíſque in cælum, vnde profecti ſunt, reditum patêre imprudens, atque adeò inuitus fateatur? Quid enim illa ſibi aliud volunt?

Cedit item retro, de terra quod fuit antè,
In terras: & quod miſſum eſt ex ætheris oris,
Id rurſum cæli rellatum templa receptant.

Cur igitur & hunc tertium librum, in quo immortalitas animorũ accerrimè oppugnatur, & ceteros, in quibus multa & à noſtris moribus aliena, & cum vera religione pugnantia dicuntur, non inuiti legimus: quia verſus ſunt optimi, atque ornatiſſimi: quia vocabula rerũ alia maximè propria, lectiſſima, ſignificantiſſima: alia venuſtiſſimè facta, aptiſſimè nouata, illuſtriſſimè tranſlata ſunt: quia ſermonis genus eſt puriſſimum, nitidiſſimum, politiſſimum, vſq; adeò, vt (quod tu, qui huius ſcriptoris nitorem, atque elegantiam cum primis admiraris,

miraris,crebrò dicere ſoles)ſi fingamus aliquem & iiſdem temporibus,& in eadem, atque Lucretium,vrbe natũ, Epicuri ſententias ac rationes oratione ſoluta perſequi,atque explicare conari: credibile non ſit,eum Lucretij maximè dilucidum ſcribendi genus, limatiſſimum ſubtilitatem, ſummam vbertatem, ampliſſimam verborum maieſtatem, diuinam denique illam (vt ita dicam)grãdiloquentiam, ne longo quidem interuallo aſſecuturum. Accedit huc, quòd non omnia ſunt in Lucretio reſpuenda ac reiicienda:quin longè plurima reperiuntur lectione digniſſima: qualia ſunt ea,quæ ab eo de continentia, ac frugalitate,de morte contemnenda, de amore fugiendo, de ſpeculorum ratione, de morborum cauſis,de imbribus, grandinibus,fulminibus,& ſimilibus, de magnete, de diſſimilibus & variis fontium naturis, & ſexcentis aliis rebus cognitu periucundis, diſputantur. Hunc igitur tertium librum,Germane Pimpunti, centum quinquaginta,& eo amplius, locis à me ex auctoritate codicum calamo exaratorum emendatum,& ſcholiis fortaſſe non inutilibus explanatum, tibi dono, mei quidem amoris,meæque erga te obſeruãtiæ pignus cer-

certiſſimum: noſtræ autem mutuæ amicitiæ monumentum, vt ſpero & opto, immortale, ac ſempiternum futurum. Vale.

Dionyſ. Lambinus, M. Antonio Mureto.

SI quis eſt ex iis, quibuſcum aliqua mihi neceſſitudo intercedit, cui vnus aliquis è ſex T. Lucretij Cari de natura rerum libris à me ex auctoritate codicum manuſcriptorũ emendatis, & explanatis, debeatur: tu profectò Marce Antoni, non in poſtremis dignus es, qui tuam quoque huius munuſculi iuſtam partem conſequare. Nã cùm hos libros ſex, hominibus mihi amiciſſimis donare cõſtituiſſem: plureis autẽ, quàm quot eſſent libri, cùm multorum cauſa, eadem, aut certe penè par, ac ſimilis eſſet, donare non poſſem: ſi te, vt hominem ſumma mecum neceſſitudine coniunctum, omníque doctrina liberali præſtantẽ, præteriiſſem: tu neque tibi vllã iniuriam fieri, neque à me ius amicitiæ lædi fortaſſe meritò queri poſſes. Multos enim viros licet mihi cõmemorare tibi notiſſimos, atque adeò communeis amicos, eoſdémque perquàm eruditos: in his P. Paſchaliũ, virum eloquentiſſ. hiſtoricum Regium: I. A. Baïffium: I. Maludanum: I. Paſſera-

ſeratium, à me neceſſariò, cùm hæ meæ facultates iam exhauſtæ, & conſumtæ eſſent, neque hæc noſtra peranguſta benignitas ad plureis, quàm ad ſex, dimanare poſſet, huius muneris experteis, indonatos, atque adeò inſalutatos relictos. Si igitur amicitiæ, aut eruditionis cauſam duntaxat ſpectare vellem, cùm ſit hoc hominum ferè ingenium, vt, quod quiſque ſe ſcire profitetur, in eo ceteris vel antecellere, vel certè æqualis videri velit: & te talem virum, ac mihi tam carum præterirem: nihilo tu fortaſſe iuſtiorē, quàm multi alij, de me querendi cauſam haberes. Nunc autem cùm ad eas cauſas, quæ tibi cum aliis nonnullis poſſunt eſſe communes, accedant quædam propriè, ac præcipuè tuæ: grauiſſimè me peccaturum, & dedecus admiſſurum eſſe exiſtimarem, ſi te ſiue imprudens, ſiue cōſultò præterirem, neque tibi vnum ex mei Lucretij libris librum impertirem. Tu enim mihi, cùm Romæ eſſem, princeps acerrimos ad hoc negotium ſuſcipiendum, ac perficiendum ſtimulos admouiſti, mihique vulgata Lucretij exempla cum exēplaribus antiquis, ac manuſcriptis conferenti aſſiduam operam dediſti. neque hoc tantùm feciſti, verùm etiam, cùm in ſcri-

pturam aliquam à vulgata diſcrepãtem ac diuerſam incideremus, atque in ea hæreremus: tu ſæpe ex obſcuris, & propemodum oblitteratis veteris ſcripturæ veſtigiis veram lectionem (quo ingenio, quóque acumine es) ſagaciſſimè odorabaris. Præterea cùm anno ſuperiore vnà cum clariſſimo viro Hippolyto Eſtenſi, Cardinali Ferrarienſi, Pij IIII. Põtificis Romani legato, in Galliam noſtram longo interuallo veniſſes, audiréſque, me ſingulos T. Lucretij Cari libros ſingulis amicis dicare in animo habere: videres autẽ mihi per ciuileis diſcordias, & Reip. calamitatẽ, huius politiſſimi ſcriptoris editionem maturare non licere: neq; tamẽ dubitares, quin, vbi à tot, tantíſque malis Gallia conquieuiſſet, aut certe reſpiraſſet, id ſtatim párerem, quod iãdiu parturiſſem: paucis antè quàm Galliam, patriam tuam, tua voluntate iterum relinqueres, Romámque repeteres, diebus, certum quendã ex mei Lucretij libris, librum à me ſtipulatus es: non quòd rem ipſam tanti faciẽdam putares, quamquam tu ſoles noſtras nòn minimi æſtimare nugas, ſed vt hoc apud omneis mortaleis, & qui hodie viuunt, & qui pòſt aliis erunt in annis, amicitiæ noſtræ monúmentum

exſtaret

exſtaret ſempiternum. Quod igitur tibi tot nominibus debeo, mi Murete: ſerò quidem, quippe temporibus, quominus hoc æs alienum ad diem repræſentarem, impeditus: ſed aliquando tamen, bona, fide libentérque perſoluo. Tibi autem hoc munuſculum meum eo gratius fore confido, quòd cùm tibi à me poteſtas, optióque eligendi facta fuiſſet, hunc ipſum librum elegiſti, neque verò tibi in eligendo iudicium defuit. Totam enim hic liber ſimulacrorum, ſeu imaginum Epicurearum, quibus ille ad oculos noſtros affluẽtibus, viſum laceſſi: ad animum autem accurrentibus, eúmque ferientibus, cogitandi vim, & διανοητικὰς φαντασίας excitari putabat, explicationem complectitur: idẽ ſpeculorum rationem, rem varietatis plenam, & cognitione digniſſimam: idem accerrimam ſenſuum defenſionem aduerſus nouos Academicos, qui ſenſus eſſe incertos ac fallaceis, & nihil ſciri poſſe contendebant: idem pleniſſimam atque vberrimam de quinque ſenſibus, de cogitandi ratione, de ingreſſu, de fame & ſiti, & de earum rerum cauſis, de ſomno, & ſomniis, de libidine, & amore, multáque alia vtiliſſima, ac iucundiſſima cõtinet. Hunc igitur librum

tibi promiſſum, & debitum, ac penè dicã tuum, tibi non dono, ſed optima fide reddo. Vale. Lutetiæ, anno à ſalute generi humano data CIↃ. IↃ. LXIII. pridie idus Septembr.

Dionyſius Lambinus, Adr. Turnebo.

EX T. Lucretij Cari libris ſex, Adriane Turnebe, quattuor iam ſunt conſumti, magníſque & claris viris donati. reſtant duo, quintus & ſextus, iampridem tibi, & Io. Aurato, collegis meis, viris doctiſſimis, noſtræque Galliæ ornamentis, & præter collegij ipſius neceſſitudinem, mihi amiciſſimis, deſpõſi, ac deſtinati. Ac de Io. Aurato quidem, homine ingenio, & doctrina tui ſimillimo, & penè gemino, dicentur ea fortaſſe, quæ illo digna ſunt, ſi modò cõſequi potero, cùm ad librum ſextum, qui ei debetur, ventum fuerit. nunc autem cùm ad te de te ſcribere inſtituo, & doctrinam tuam ſingularem conſidero, planè obſtupeſco. Nam ſi quando eos, qui vel noſtra, vel patrum noſtrorum ætate, ingenij, & doctrinæ gloria claruerũt, memoria repeto: video ſingulos in ſingulis diſciplinis, atque artibus vel præſtare, vel præſtitiſſe: hunc in mathematicis, illum in phyſicis: alium

alium in philoſophia Peripatetica, alium in Platonica: illum in iure ciuili, hunc in medicina: hunc in poëtica, illum in arte dicendi: hunc in lingua Latina, illũ in Gręca. Te verò quibus doctrinis eruditũ, quibus diſciplinis inſtitutum, quibus litteris expolitum dicam? Nam ſi te in arithmeticis, geometricis, aſtrologicis, muſicis valde exercitatum eſſe prædicabo: veriſſimũ quidem tuę laudis teſtimonium tibi dabo: ſed reliquarum artium, ac diſciplinarum, quibus nõ minus excultus, atque ornatus es, laudes tibi adimere videbor. Si te præſtantiſſimum noſtræ ætatis philoſophum eſſe contendam: nemo quidem erit mortalium, qui me refellere queat: ſed, dum tibi vnum ex multis, quæ propriè & verè tua ſunt, reddo: cetera, quæ æquè ſunt tua, tibi detrahere exiſtimabor. Si te Romanæ antiquitatis eſſe ſcientiſſimum: ſi ad litterarum Latinarum receſſus intimos, abditóſque ac penetraleis focos intraſſe cõfirmabo: nemo mihi verum dicenti non aſſentietur: ſed aliquis fortaſſe ſententiæ meæ ignarus, dum hoc ita tibi ſeorſum ab aliis, quæ non minus ſunt tua, tribuo. exiſtimabit te à me per ſummam iniuriã aliis tuis infinitis laudibus, atque ornamentis ſpo-

liari. Si te linguam Græcam ita callere, ac tenere teſtificabor, vt ſi & iis temporibus, & in iis locis, in quibus hæc lingua maxime florebat, natus eſſes: nemo me, vt mentientem, redarguere poterit: ſed mihi verendum eſt, ne dum tibi huius vnius laudis erus teſtis, & buccinator ſum, ceteras, vuæ ſunt in te multò plures, & fortaſſe maqores, exiſtimet de induſtria reticere. Atqui iùm de geometricis, & geographicis ſermonem habes: totum orbem terrarum videris decempedis quibuſdam dimenſus eſſe, radióque propemodum deſcripſiſſe: Cùm de aſtris loqueris: cælum comminus ſpectaſſe, & ſtellas ipſas dinumeraſſe: Cum Ariſtotelē interpretaris: Alexandros, Themiſtios, Simplicios, atque adeò Ariſtotelē ipſum ab inferis excitare: Cùm Platonem, Theophraſtum, Plutarchum, cui videntur interdum à nobis intelligi nolle, ſuſcipis explicandos: facis vt, quæ de induſtria obſcurius eſſe locuti videbantur, planiſſimè, atque apertiſſimè dixiſſe videantur: Cum Homerum, Sophoclem, Euripidem, Pindarum, Ariſtophanē, & ceteros poëtas interpretaris: totam ætatē in poëtis legendis cōſumſiſſe exiſtimaris: Cum Herodotum, Thucididem, Polybiū, & alios hiſtoricos

tractas:

tractas:facis,vt nullos præterea ſcriptores per omnem vitam peruolutaſſe videaris: Cum Demoſthenem,Æſchinem, Lyſiam, ceteros Græcos rhetores in manus ſumis: Athenienſis hominis iiſdem temporibus nati, & in eadem Repub. verſati ſpeciem præbes:Cum M.Tullij,ſiue orationes, ſiue libros philoſophicos, ſiue epiſtolarum volumina in manibus habes:eos,qui te audiunt,in eã opinionẽ adducis,vt M.Tullij animam in corpus tuũ immigraſſe putent: ita omneis illius admirabilis ,& penè dicã, diuini ſcriptoris locos &implicatos explicas,& obſcuros illuſtras,& corruptos , vel ſcripturæ veteris veſtigia ſecutus,vel coniectura ductus , reſtituis , atque emendas. Idem de poëtis Latinis liquidò cõfirmare poſſum. Quid dicã de tua incredibili memoria?quæ tanta eſt, vt nihil vmquam legeris,quod non tibi in animo penitus inſederit. quid de ſtudio ac diligentia ? quæ tanta ſunt,vt, ſi ingenio eſſes tardiſſimo, qui cõtrà acumine,& ſollertia vincis omneis, tantos te in omni diſciplinarum genere progreſſus feciſſe, ſeu potius omneis ſcientiæ,doctrinæque numeros expleuiſſe minus debeat eſſe mirandum. Sed finem

faciam, ne quis, cui ſis ignotus. (quanquã quis eorum, qui litteras vel ſummis digitis attigerunt, te ignorat?) verũtamen deſinam, ne cui videar initio tuas laudes hac epiſtola prædicare voluiſſe, (cum longe alia mens, longè aliud conſilium meum fuerit) neque id præſtare, aut conſequi potuiſſe. quis enim poſſit? Nam, ne ego hæc fingere aſſentandi cauſa videar, non vereor, cùm & ij, qui tua ſcripta legerunt, & ij, qui te aliquando audiuerunt, de te ſciãt, & ſentiant, iis, quæ quiſquam eorum, qui hodie viuunt, dicendo conſequi poſſit, nedum ego, multo & maiora, & ampliora. Hunc igitur librum pulcherrimarum (vt ſcis) diſputationum plenum, tibi iam promiſſum, ac deſpenſum, vel vltro dono, vel optima fide perſoluo. Vale. Lutetiæ Pariſiorum, anno CIↃ.IↃ. LXIII. pridie Kalend. Nouembr.

Dionyſius Lambinus Io. Aurato.

VEllem hoc natura rerum tuliſſet, Ioãnes Aurate, vt, quemadmodum eorũ, quibus ſuperiores libros dicaui, neminem eruditione, & doctrina tibi antepono: ita pari omnium gradu, ordinéque ſeruato, tibi & illis ſuum cuique librum dicare potuiſſem,

tuiſſem. Nam neque alios aliis anteferendo, his iniuriam facere, ab illis inire gratiã voluiſſe viſus eſſem: neque te, qui principem, aut certè proximum doctrinæ locum inter noſtræ ætatis homines eruditos obtines, ſexto loco locauiſſem. Nunc autẽ cùm mihi ordo librorum ſeruãdus eſſet: ea autem numerorum ſit natura, vt & quæ prima ſunt, ſecundis, & quæ ſecunda, tertiis, & reliqua deinceps conſequentibus ordine ſint priora, prioréque loco ponenda: effugere non potui, quin, cùm ſingulos libros ſingulis hominibus donare conſtituiſſem, alios aliis anteferrem. Quamuis enim negare non poſſim, à me etiã hominum dignitatis habitam eſſe rationẽ: ſpectaui tamen vnà cum dignitate præcipuas quaſdam, & peculiareis ſingularũ perſonarum cauſas. Ne lõgius abeam: in eo, quòd Errico Memmio primum librum dicaui, præter hominis dignitatem, atque amplitudinem ſumma eruditione coniunctam, primùm ſpectata eſt à me duorum Memmiorum ὁμωνυμία, ſeu gentilitatis, & nominis communitas: deinde referendæ gratiæ obligatio, vt pote, qui in hoc negotio cõficiendo plurimùm à libro illo manuſcripto, quẽ is mihi cõmodatò dediſſet, adiu-

tus

profitentem:deinde, quod caput eſt, amicum. Et verò cùm de eximia, ac, penè dicam, diuina tui ingenij præſtantia, ſingularíque doctrina cogito, & cùm tua ſcripta vel relego, vel memoria repeto, videor mihi felicibus illis, & fertilibus nobiliũ poëtarum tẽporibs natus eſſe: iis dico vel quibus Græci illi, Simonides, Archiloch⁹, Pindarus, Steſichorus, Alcæus, Mimnermus, Callimachus, Theocritus: vel quibus Latini, Catullus, Virgilius, Horatius, Tibullus, Propertius, Ouidius florebãt. Ceteros enim homines admiramur, & in doctis viris numeramus, qui veterũ illorũ ſiue Grę-corũ, ſiue Latinorum ſententias ſæpe perobſcuras, & ænigmatum ſimillimas explicare, atq; enodare poſſunt. Te autem quid dicam eam laudem eſſe conſecutũ, qui nõ ſolùm antiquorum ſcripta vel obſcura ſic illuſtras, vel corrupta ſic corrigis, ac reſtituis, vt cũ illis vixiſſe videaris: verùm etiã ſcribẽdi ſimilitudine proximè ad illos accedis? Cùm enim dithyrãbos ſcribẽdos ſuſcipis: cũ Pindaro ancipiti Marte certas. cũ verſus Lyricos ſcribis: cum eodẽ Pindaro, cũ Simonide, Steſichoro, Alcæo, Sapphone non ſine vincendi ſpe contendere videêris. Cùm elegos decantas: Mimnermum,

Callimachum, Philetam ſi non ſuperas, ac certe aſſequeris, breuiſſimo quàm proximus interuallo. Cùm bucolica ludibūdus componis: Theocrito nihil cōcedis. Quid de tuis ſcriptis Latinis dicam? Cùm te ad epigrammata ſcribenda confers: Catullū ſpiras. Cùm verſus Lyricos canis, lyram videris tractare Horatianam. Cùm elegos amatorios ludis: Tibullum, & Propertiū, & Ouidium exprimis. Denique veteres illos in ſingulis poëſeos generibus elaboraſſe, & præſtitiſſe videmus. te vnum, tāquam & epicum, & melicum, & lyricum, & elegorum, & bucolicorum, & epigrammatum ſcriptorē optimum, admiramur. Neque verò mihi verendum eſt, ne, dum ego de te hæc prædico, tibi videar ea gratificari voluiſſe: cùm hæc ſcribam iis viuis, qui me mentientem refellere, & coarguere poſſint. Verumtamen finem facere ſatius eſt, ne in re nota, clara, & tot hominum conſcientia, ſermonéque teſtata, noſtræ quoque orationis teſtimonium minime neceſſarium adhibere voluiſſe videamur. Vale Lutetiæ, pridie idus Octobr. anno CIↃ.IↃ.LXIII.

Ludoui-

LVDOVICI REGII CONSTANTINI SELEctiores aliquot Epiſtolæ.

Edoardo.VI. Anglorum Regi, Ludouicus Regius S.D.

ETſi Britannia gentium nulli poſtferēda eſt, ſiue vbertatem ſoli, & commoditatem maris, & cœli temperiem ſpectemus, ſiue fortitudinem hominum& præſtantiam artium quibus referta eſt, ſiue nobilitatem & antiquitatem regnorum, quibus decoratur: tamen ex tot eius laudibus nulla eſt aut amplior aut illuſtrior, quàm quòd te regem hodie nacta eſt, cùm probitate & pietate maximè inſignē, tum verò ſupra ætatem, ſupra conſuetudinem aliorum huius memoriæ principum, omni politiore humanitate, & linguarum variarum cognitione præditum. Ac cupiueram quidem anteà ſæpius huc venire, vt ſitum inſulæ, ac genus hominum nōſſem, & quibus vterentur inſtitutis: ſed mihi vſque ad hanc diem impedimento fuerunt cùm oc-

Carolo Lotharingo Principi & Cardinali Ludouicus Regius, S. D.

VEreor ne qui me modò viderint ad amplitudinem tuam meis officiis colendam venire, arbitrentur ſecutum magis hanc præpotentem florentémque gratiã, quàm eximiam tuã ſingularémqne virtutem. Solent enim homines, qui ſuis commodis non honeſtate amicitias metiuntur, illis potiſſimùm inſeruire, à quibus expeditam fore vident remuneratione͂, atque eorum gratiam cupidiſſimè aucupari, quos Regibus eſſe chariſſimos, aut in rep. primas tenere cernunt: vt ex eorum auctoritate præſidia periculis, & honoribus adiumenta quærant. Ego verò tametſi intelligo te apud Regem gratia & auctoritate plurimùm valere, tuæque opis indigeo maximè, numquam tamen adduci potui, vt pluris gratiam, opes, dignitatem, nobilitatémque tuam æſtimarem, quàm ingenium, eruditionem, & ad res gerendas innatam virtutem. Videre licet alios quibus eadem à natura fortunáque adiumenta contigerunt, ea ipſa non ad communem vtilitatẽ (vt par erat) cõferre, ſed totos ſeſe libidinibus dedere, virtutes omneis aſ-

pernari, faſtidire remp. per luxum atque ignauiam ætatem agere, dedecorantes pręſtãtiam generis & dignitatis. Tu verò cùm à puero perſuaſum haberes, optimum quemque patriæ natum, virtutem primam aut ſolam ęxpetendam, nihil hominem niſi quod honeſtum decorúmque ſit, vel admirari, vel optare oportere, te ad remp. &ad res magnas gerendas accommodaſti, & laborioſam vitam tibi quidem ipſi non neceſſariam, ſed certè hominum generi fructuoſam, ocioſæ quietæque prætuliſti. Itaque effeciſti vt magnum in te poſitum noſtræ ætati ornamẽtum, afflictíſque optimis artibus certiſſimum præſidium ſperent omnes. Ac ſanè doleo non licuiſſe adhuc declarare quantum meum ſtudium extaret vel colẽdæ tuę virtutis, vel obſeruandæ dignitatis. Sed pudor meus, grauiſſimæque occupationes tuæ hanc officij ceſſationem ac potius tarditatem attulerunt, quam tamen poſthac omni diligentia atque aſſiduitate erga te ſarcire conabor. Nuper autem cùm conuertiſſem è Græco ſermone in Frãcicum Inſtitutionem Cyri ex Xenophõte, & duos Iſocratis libellos, quorum vnus eſt de regno, alter de principis ac populi officio in rep. coniungendo, eóſque

cóſque Regi(quoniam initio principatus mirificè congruere videbantur) offerédos putarem, te vnum ex omnibus eius intimis ac familiaribus potiſſimùm delegi, cuius verbis munus illud meum ornari ac tanto principi commendari maximè vellem. Satis conſtat inter omneis nihil extare in hoc genere ſcripti, quod ſit cum his libris vel verborum elegantia, vel ſententiarum pondere, vel vtilitatis vbertate cõparandum. Quos ego an verbis ad cõſuetudinem noſtram aptis rectè expreſſerim, tute mihi iudex eſſe optimus poteris. Et quoniam multum eſt poſitum in amicis ac familiaribus Regum, vt hæc & ſimilia munera æquioribus vel iniquioribus animis ab illis accipiantur, à te maximopere peto & quæſo vt ex tanto dignitatis honoríſque faſtigio auram aliquam commendationis nouo clienti velis afflare. Videmus ſtirpes quæ natura caducæ ſunt, eaſdem vt ſe erigant, clauiculis ſuis quicquid nanciſcũtur amplecti, cęteráque omnia, quę per ſe firmitatis habent minimum, ſemper ad aliquid, tanquam adminiculum, adniti. Quominus reprehendendi ſunt homines tenues, & quicunque minimum habent virium, ſi ad claros & potentes viros ſe cõ-

tendis tuis virtutibus eximiis, quoad eius fieri poſſit, præſentiæ tuæ deſiderium minuatur. Quanquàm verò bellicæ laudes tuę iampridem in luce Europæ, & in oculis auribúſque omnium verſantur: tamen pro mea ſumma erga te obſeruantia non poſſum nō confiteri, cumulari me magno gaudio, quòd videam te rebus gerendis ſocium adiungi D. Guyſio, omnis memoriæ maximo Duci, & eſſe cum tanto viro non arctiſſima modò beneuolentiæ neceſſitudine, ſed etiam conſiliorum omnium ſocietate coniunctiſſimum: ſegetem quidem, ac materiem certæ oſtentandæ iſtius fortitudinis nouam ſemper ſuppeditari mirificè lætor Tantam tamen in militari homine eruditionem, tam incredibilem vtriuſque linguæ peritiam, tantum ſtudiũ cognoſcendi ſemper aliquid aut diſcendi vel in medio militum clamore, ac tubarũ ſono, tacitus præterire nullo modo poſſum. Nam cùm omni litterarum generi, tum philoſophiæ, cui multum adoleſcens diſcendi cauſa tribuiſti temporis, in primis deditus: quantum ſupereſt belli & reipub. temporibus, id omne conſumis in legendo atque ſcribendo. Ac ſuſcepiſti laborem vtilem certè tuæ gentis hominibus, & tibi

quidem ipſi honorificum, Commentarios Cæſaris, quibus nihil extat in hoc genere ſcripti elegantius, in Tuſcum ſermonem transferendi. Quódque magis mirũ videri poteſt, ſed hoc ingenio, memoria, ſcientia & vſu rei militaris digniſſimum, hiſtoriã, Henrici regis noſtri potentiſſimi inuictiſſimíq́ue meditaris. Magnus ipſe Dux in omni belli genere, prælijs, oppugnationibus, naualibus expeditionibus, omníque bellico apparatu. Quis enim noſtrorũ temporũ conſilia atque euentus, quis cauſas publicorũ diſſidiorum, rerum geſtarũ, progreſſiones, atque pugnas, aut accuratiꝰ explicare, aut maiore teſtimonij auctoritate literis mandare poſſit, quàm tu, qui illuſtrioribus noſtræ memoriæ bellis, Britannico, Germanico, Belgico, Hetruſco, Romano, Parmenſi non interfuiſti ſolùm, ſed etiam præfuiſti? Quod opus ſi abſolueris, tandem aliquando noſtræ ætati teſtatũ facies, multum intereſſe vtrum hiſtoriæ ſcribantur à belli rerúmque gerendarum gnaris, vel ignaris. Nam ſæpenumero ò mirari ſoleo tum iſtorum inſcitiam, qui tantæ rei magnitudinem ac difficultatem animo non ſatis perpẽdunt, tum vel maximè qui imparati à reliquis rebus quæ ſint propriæ

hiſto-

hiſtoriæ componendæ, ad ſcribendum ſe conferunt: cùm nunquam hoſtem, numquam caſtra viderint, nunquam denique vllam partem publici muneris attigerint. Quamobrem gaude tuis iſtis tam excellẽtibus raríſque bonis, & fruere gloria: quæ floreſcet quotidie magis ac magis, ſempérque viuet in hominũ mentibus ac ſermonib⁹, multis & præclaris ſcriptis, cùm tuis, tum alienis, ad omnẽ memoriam cõmendata Cæterùm quod velle & optare in primis debeo, Deum opt. max. precor, vt in tot tantíſque periculis ſine periculo verſari poſſis, tum verò vt huc breui redeas ſaluus & incolumis bello ex ſententia confecto. Poſtremò de me ſic exiſtimes ac tibi perſuadeas velim: nihil eſſe tibi tam prõptum, támque paratũ, quàm in omnibus rebus, quæ ad tuam amplitudinem pertineant, operam, curam, diligentiámque noſtram. Vale. Lutetiæ Pariſiorum, Idib. Iuniis, M. D. L V I I I.

Ioanni Bertrando Cardinali Senonenſi Ludouicus Regius S. D.

NOn ego libenter pro plurimis tuis erga me beneficiis, hoc vili munere defungor orationis: ſed quod mihi in hac

dus quàm fortaſſè miſerandus ſum. Ἡ μὲν γὰρ παιδεία, ὥς φησὶ λουκιανὸς, δεῖται καὶ πόνου πολλοῦ, καὶ χρόνου μακροῦ. καὶ τύχης λαμπρᾶς, καὶ δαπάνης οὐ σμικρᾶς. Equidem expecto quotidiè proſperum aliquem fortunæ flatũ, qui poſt tot exantlatos labores tanquã ex lõga nauigatione, in portũ doctrinæ ac tranquillitatis perueħat, optatũ illũ quidem iandiu, ſed multa varietate tẽporũ toties intercluſum. Quò tamen nunquam perueniam ſine commendatione eorũ qui auctoritate & gratia apud Regem valent. Difficile eſt loqui, & non neſcis quid velim, ſed dicatur neceſſe eſt. τὸ γὰρ πένεσθαι οὐχ ὁμολογεῖν τινὶ αἰσχρὸν, ἀλλὰ μὴ διαφεύγειν ἔργῳ αἴσχιον κατὰ Θουκυδίδην. Quamobrem quoniam tãtoperè faues optimarũ artium diſciplinis, & nobis, quod in ſummi honoris loco numero, tam benè cupere videris: à te maiorẽ in modũ peto & quæſo, vt quã vultu & verbis volũtatem toties ſignificaſti, re tãdem ipſa declares: & quia ſpem dediſti, opem etiam ferre velis. Solonem ſuæ ætatis ſapientiſſimum, qui Athenienſibus leges viuendi tulit, dicere ſolitũ ſcripſerunt, omnem rempublicã præmio & pœna cõtineri. Vbi enim honeſti labores honoribus atque præmiis decorantur,

ibi ingenia polent, bonæ artes aluntur, omnis generis ſtudia excitantur: alioquin hebeſcunt languéntque deſidia homines, & deſperatione debilitati, nolunt in eo laborare, cui honorem nullum, aut præmiũ propoſitum vident. Quòd ſi mihi meíſque ſtudiis honeſtè erit proſpectum, eorum profectò fructus vel in primis ad te redibit: ſin à me quid prætermiſſum fuerit, cõmiſſum facinus, & admiſſum dedecus confitebor. Cæterùm mihi in animo eſt ſcribere de regno Franciæ, vel de optimo regni ſtatu: atque ab vltimis temporibus repetere maiorum noſtrorũ inſtituta: deinde mentem reipublicæ Francicæ, morem, diſciplinam, temperationem proponere: pòſt quibus artibus domi, militiæque partum ſit & auctum regnum orbis terrarum florentiſſimum, tum ad extremum, quánã ratione tandiu ſtare potuerit, quandiu non aliud eorum Regnorum atque Imperiorũ, quæ poſt hominum memoriam extiterũt. Quorum etiam ſimilitudines ac diſſimilitudines perueſtigatione comprehendere deliberatum eſt, ac quæ inſuper rerum cõuerſiones fuerint, & ex quibus cauſis ortæ. Vtinam modò cogitata efficere poſſim: magnum eſt enim opus ac difficile, quod

impe-

impedito animo,& niſi antè præparato ocio non poteſt ſuſcipi,& abſolui. Siquidẽ non ſolùm ea ſunt explicanda quę perdiu in Aula,aut vſquam alibi de rebus Francicis didici,ſed etiam ex media antiquitate, & ex interioribus omnis generis literis eruẽda, quę de maximis Regnis atque Imperiis, de eorum initiis, progreſſionibus, inclinationibus, fideles rerum geſtarum ſcriptores libris commendarunt,quęque à doctiſſimis Græciæ philoſophis acutiſſimè diſputata,& tractata vberrimè fuerũt. Verùm hoc totum ſcribẽdi conſilium rationẽmque ex tuo iudicio moderabimur: ſi probaueris, aggrediemur: ſin improbaueris,dimittemus.Quippè ea eſt tua dignitas atque prudentia,is vſus rerum, ſic denique es de me promeritus, vt nihil malim quàm arbitrio tuo ſtare. De quibus quàm primùm in Aulam rediero,præſens,vt ſpero,tecum agam pluribus, & dabo operam vt eliciam ſententiam tuam.Ego inſtitutũ meum vertendi Græca ſecutus,nuper reddidi Francicè Ariſtotelis Politica, in hunc præcipuè vſum,de quo nũc loquebar,quæ propediem addentur reliquis noſtris tralationibus,quas ex Platone,Iſocrate,Xenophonte,Demoſthene,probatiſſimis at-

quibus ille vir tuis reſpondet, quòd & procul abeſſes, & certorum hominum, qui iſtuc proficiſcerentur, facultas non eſſet quibus crederem. Itaque neceſſariò mihi rogandus fuit Trecorenſis Epiſcopus, qui negocia tua potiora hîc curat, vt quamprimùm contingeret illum ad te ſcribere, meas & Pageti literas vellet cum ſuis ad te mittere. Vale. Lutetiæ Pariſ. X V. Cal. Mart. M.D.L I.

Georgio Armeniaco Cardinali Ludouicus Regius, S.D.

CVm penè eodem tempore huc eſſet allatum te Archiepiſcopum Turonẽſem eſſe factum, & in Aulam cum Nauarræ rege aduentare: non potui nõ gaudere, vehementérque lætari, quòd ſummum honorem, tuæque eximiæ virtuti iandiu debitum, intelligerem acceſſiſſe, & ſperarem, quandiu hîc eſſes futurus, perfruendam nobis daturum & humanitatem tuam, & ſapiẽtiam. Is enim tu vir es, cúmque te præſtitiſti maximis in rebus gerendis, grauiſſimíſque legationibus obeundis, vt de dignitatis tuæ amplificatione boni omnes iure debeant lætari: ego verò ſupra alios magis, qui moderationem

animi tui & æquitatem noui, ſingularémque beneuolentiam literis etiam ad me peramanter honorificéque ſcriptis proximè perſpexi. Qui ſi affuiſſem dum in Aulā veniſti, eam obſeruantiam qua te reuereor & colo, coràm præſtitiſſem, & lætitiā quam percepi ex optato aduentu tuo, & ex ampliſſimi iſtius ſacerdotij acceſſione, declaraſſem. Nam quo rarius ad hāc tantam generis nobilitatem virtus accedit, quóque difficilius fortuna coniungitur præſtanti eximiæque virtuti, hoc magis gratulandum tibi cenſeo: qui cùm longè nobiliſſimus ſis, & fortunæ muneribus ornatiſſimus, virtute etiam & doctrina multum cæteros præcedas. Vnde optimè viuendi ratione comparata, pro nihilo ducis illa ornamenta generis atque fortunę, quę ſcis eſſe ſubiecta ſub varios incertóſque caſus. Quin potius in Deo primùm opt. max. deinde in te ipſo omnem ſpem reponens tui, neque in proſperis rebus & ad voluntatem perpetuò fluentibus inſoleſcis, neque ſi fortunam reflare contingeret, magnoperè (vt arbitror) angerêris, reputans ipſe tecum eius varietatem, rerúmque humanarum imbecilitatem. Proinde bonis illis ſic vteris, vt te dignum, eáque

perſona

perſona quæ tibi diuinitus in republica Chriſtiana impoſita eſt. Et quò vberior diuitiarum copia ſuppetit, tantò te geris ſummiſſius: quóque ampliorem dignitatis gradum adeptus es, tantò te faciliorem erga omneis, humaniorémque præbes. Sed neſcio quo pacto ad hæc delapſus ſum, cùm id mihi propoſitum initiò non fuiſſet. Nos hîc circum vicos & villas erramus in plurimis maximíſque moleſtiis: quas tamẽ iam leuat nobis ineuntis veris amœnitas. Nã cedente paulatim hyemis ſquallore, cœlum miteſcere, & campi herbis cõueſtiri incipiunt, totiúſque naturæ vultus renaſcentis anni beneficio exhilaratur. Alij aliò profecturos nos hinc dicunt: ſed quotidie experimur nihil tam certum in Aula, quàm incertos eſſe omneis eiuſcemodi rumores. Regem tamen, vt primùm cõualuerit, ad fanum Germani rediturum arbitramur. Quod ſi ſerius opinione hominum & noſtra voluntate fiet, ego vel Lutetiam vſque tui ſalutandi cauſa conuolabo. Interim has ad te litteras mitti oportere exiſtimaui grati erga te animi mei teſtes. Malui enim cùm debitam amplitudini tuæ obſeruantiam quoquo modo præſtitiſſem, ineptus fortaſſe videri, quàm ſi id

adaugere in dies contendas. Hoc bonæ artes, quarum abinitio ætatis ſummè ſtudioſus fuiſti, à te poſtulare videntur: quibus negari quicquam abs te fas eſſe non puto, præſertim pro ſuo alumno agentibus, & apud eum qui hæc tanta fortunæ & dignitatis ornamenta illis potiſſimùm ferat accepta. Scripſi ad D. Cardinalē in eam ſententiam literas, quas illi reddes vt primùm occaſio dabitur: ſed verborum tuorũ elegantia ſuauitatéque prius conditas & ornatas. Vale. Conſtantiis, V. Cal. Iul.

Ludouicus Regius Gulielmo Poyeto Franciæ Cancellario, S.D.

PHilippus Coſſęus Conſtantienſis Epiſcopus, cuius iuſſu Gulielmi Budæi vitam explicandam ſuſcepi, auctor mihi fuit vt hunc meum laborem nomini tuo conſecrarem, exiſtimans, quoniam Budæũ paulò antè vita fruentem vnicè dilexiſti, quicquid de eo mortuo ſcriberetur, tibi fore gratiſſimum. Ego verò tametſi videbatur id alienum inſtitutis meis, & difficile erat rem hanc tam expectatam & diligentia conſequi, & memoria complecti, & oratione exponere: tamen viro clariſſimo atque doctiſſimo, & iuſta imperāti, & præ-

Franciſco Chemano Franciæ Procancellario Ludouicus Regius, S.D.

CVm his diebus allatum eſſet ad vrbem, tibi nec opinãti ſummum magiſtratum eſſe mandatum, ſanè pro eo ac debui, maxima ſum lætitia affectus: neque ſolùm mihi ac bonis omnibus gratulandũ putaui, quòd virtuti ac literis, quàm tu es, amicior nemo poterat illum in locum, atque in hanc celſiſſimam ſedem dignitatis atque honoris aſcendere: ſed multò magis reip. Franciçæ, quæ turbulentiſſimis hiſce temporibus eum virum nanciſceretur, qui cùm maximis in rebus & gerendis & ſuſtinẽdis, domi & militiæ, publicè & priuatim, ab ineunte ætate exercitatiſſimus eſſet, & cùm ipſa natura moderatiſſimus, tum verò etiam doctrina, atque optimarũ artium ſtudiis eruditiſſimus. Gaudeo igitur ſingularem tuam virtutem, innocentiam, diligentiam, iuſtitiam & ſapiẽtiam quaſi totius orbis theatro tandem aliquãdo propoſitam, & in luce Europæ, ipſiúſque Franciæ oculis auribúſque poſitam: cúmque honorem tibi Deum fortunare quęſo, à téque ex Regis optimi voluntate, regníque clariſſimi dignitate, adminiſtra-

ri. Quam quidem gratulationem vt tuo nomine facerem, præcipuè me adduxit inſperata orationis tuæ & ſuauitas & humanitas, qua erga me non ita dudum vſus es, cùm à Tagaultio medico nobiliſſimo atque optimo ad te deductus eſſem. Tam præclarum enim mihi dediſti iudicij tui teſtimonium, tam magnum amoris ſignum, dum me bene ſperare & bono animo eſſe tam comiter iuberes, alacritatémque perſequendorum ſtudiorum afferres, vt niſi in publica omnium ordinum lætitia, totáque vrbe ad habendum tibi honorem effuſa, maiore quàm plerique alij gaudio cumularer, omnem ſenſum humanitatis meritò iudicarer exuiſſe. Itaque ſubſecutus illius ſermonis tui ſententiam, nihil prius habui (cùm præſertim diceres, ſiquando res ita ferret, te nullius opera libentius quàm mea vſurum) vt ſi quid in me eſt induſtriæ, laboris, ingenij, quod tua prædicatione, quàm meo merito maius puto, id omne amplitudini tuæ deferrem: arbitratus nihil meæ ætati conuenientius poſſe contingere, quàm tua frui interiore ſapiētia, téque domeſticum habere exemplum omnis virtutis ad imitandum: nec quicquam mihi honorificentius, quàm in fami-

familiam tanti viri cooptari, ſi quidem vlla in re operam tibi nauare poſſim. Igitur rogo te & etiã oro, ſic mediusfidius vt magis ex animo non poſſim, vt ſi minus opinione literarum, quarum facultas eſt in me perexigua, obſeruantiæ quidem planè meæ erga te, túæque erga me beneuolentiæ gratia, me in fidem & clientelam tuam recipere digneris. Nihil eſt quod ab induſtria, officio, ſtudiiſque noſtris proficiſci poſſit, quod non libentiſſimè, immò verius cupidiſſimè, ad colendam tuam dignitatem ſim collaturus. Vale. Luteriæ Pariſiorum, menſe Iunio, Anno M.D. XLIII.

Franciſco Oliuario Franciæ Cancellario, Ludouicus Regius, S.D.

NVnquam ego penitus intellexeram quanta ſit vis amicitiæ, niſi ex eo tẽpore, quo mortis acerbitate ereptus eſt mihi Franciſcus Connanus, vir magno ingenio, admirabili doctrina, ſingulari prudentia, amplo magiſtratu præditus, eximiáque dignitate: cuius conſuetudo quid haberet ſuauitatis, quámque eſſet honorifica, carendo magis ſenſi, quàm fruendo. Itaque cùm nullus

dolor ſit tantus, quem non longinquitas temporis vel minuat, vel molliat, mihi tamen quotidie augeſcit magis de illo ægritudo: & quantò longius progredior, tantò maiore incendor deſiderio, cõgreſſus noſtros, conſuetudinem victus, doctiſſimos ſermones illius requirens. Non erat amicitia inter nos quauis ex cauſa temerè ac fortuito primùm orta, ſed cùm ille me, opinione fortaſſis nonnulla, quam de meis ſtudiis habebat, ab hinc annos propè decẽ in familiaritatem recepiſſet ſuam: atque ego interim & admiratione virtutis eius, & magnitudine obſeruantiæ erga illum, iam nõ modò vt amicum diligerem, quemadmodum multi viri præſtantiſſimi, nec ſolùm vt doctum hominem reuererer, ſicut plerique omnes literarum ſtudioſi, ſed cũ his etiam omnibus in parentis eum loco colerem, cùm diuturna conſuetudine, & perpetuis meis officiis magis ac magis quotidie beneuolentia noſtra creſceret, ecce tertiana febre ſubitò conſumptus eſt vir ille, & bonis ac doctis omnibus cùm prudentiæ & ſapientiæ, tum beneuolentiæ atque amoris triſte ſanè deſiderium reliquit. Hoc quale fuerit cùm in aliis animaduerti ſæpiſſimè, tum verò in te maximè cognoui:

ui:qui quanti illum æſtimares, non ſolùm ex eo intelligi potuit, quòd vita fruentem tam amaſti ſemper, vt plus neminem: tanti autem feciſti, vt te illi vni inter cæteros eiuſdem ordinis homines multum tribuiſſe vniuerſa Gallia ſit teſtis: ſed etiam quòd mortuum, quoties in eius mentionem incidis, honorificentiſſimis verbis perpetuò proſequeris, & veriſſimo tuo teſtimonio, grauiſſimóque iudicio non intermittis ornare. Ac ſanè in eo declaras id quod anteà egeris, non vicinitati tantùm, quæ in propinqua parte neceſſitudinis putatur: aut aſſiduitati erga te, in qua omnes gratas amicitias atque etiã pias propinquitates vincebat, ſed magis adeò virtuti ac meritis ipſius tribuiſſe. Tales nimirum amicitiæ cõiunctioníſque neceſſitudines inter præſtãtes homines intercedere ſolent, quæ nullis aut temporum aut locorum interuallis dirimuntur, nulla varietate fortunæ, nullis caſibus immutantur, ac ne morte quidem ipſa, quæ cæteris rebus omnibus finem adfert, deponuntur, ſed cùm virtute quæ immortalis habetur, nitantur, ad ſempiternam memoriam temporis prorogantur. Superiore æſtate rus cum vxore ac liberis conceſſerat, vt ibi nulla vi interpellante,

vacuus ab interuentoribus, liberius & ſolutius in literis viueret. ſæpè enim à fluctibus vel aulicis, vel vrbanis, forenſique tēpeſtate, quàm inductione quadam animi, atque voluntate refugiebat, tanquam in portum ſe in ſolitudinem recipiebat prædij Luſertiani, quod octauo lapide ab vrbe ſitum Briam verſus, poſſedit ac præcipuè coluit: vbi occupationibus animum relaxabat, & quaſi in iucundo ſtudiorum ſuorum diuerſorio requieſcens, ſibi ocium ſumebat ad commentandum: in quo præclaras ingenij cogitationes literis mandabat: in quo multiplicem ac variam iuris ſcientiam ratione & via tractabat, omnémque doctrinam inueſtigabat atque contemplabatur. Iam maiorem æſtatis partem ruri traduxerat: cúmque in vrbem menſe Auguſto reuertiſſet, credo vt tibi eò aduentāti obuiam procederet, poſtridie eius diei cœpit tentari febre tertiana. Rex eo tēpore redierat ex Andium & Britonum finibus Fontaneblæum: cúmque ego ex amicis qui Lutetia veniebant, ſciſcitarer de Cōnano noſtro, vt valeret, comperi illum morbo teneri, perculſit ilicò animum. Sic enim abhinc triennium bis grauiter diúque ægrotauit: nunc appetit Autumnus: multi

multi morbi,& quidem mortiferi, vbique hoc grauiſſimo anno ſæuiūt,quàm vereor quorſum hic euadat? Biduo pòſt cōceſſi Lutetiam,maximè admodum vt illum omni genere neceſſitudinis, omnium conſiliorum ſocietate coniūctiſſimum ſalutarem. Fuerat illo die miſſus ſanguis,quod equidē miratus ſum in ea corporis macie & gracilitate : medici tamen eo conſilio à ſe factum dicebāt,vt tertianæ cauſam tollerēt, néue in quartanam conuerteretur. Iam adueſperaſcebat, & is multo ſudore frigido manabat,ac leuiter ſomnus eum complectebatur:quamobrem non licuit id tēporis hominem videre & affari. Poſtridie cōſtitueram omne pomeridianum tēpus illi tranſmittere,& idcirco apud te pranſus eram:cùm ecce ſub exitum prādij, de morte Connani allatum eſt: illúmque ſub meridiem è vita exceſſiſſe, die ſexto quàm ægrotare cœperat, nunciatum. Fuit hoc mihi luctuoſum,acerbum ſuis, graue literis,omnibus bonis triſte : Nam quò rariores ſunt qui probitatem morum cum eximia literarum grauiorum intelligentia coniungant,& eloquentiam reconditioribus artibus locupletent, hoc grauiorem fecit iacturā ætas noſtra in eo homine,qui

& optimus vir fuit, & iuriſconſultus eloquentiſſ. & omnium aliarum artium diſciplinis inſtructiſſimus. Erat in eo, vt dixi, ſumma gracilitas, & raritas corporis, qui habitus & quæ figura non procul abeſſe putatur à vitæ periculo, ſi animi contentio vehementior accedit. Igitur in eum intuẽs qui erat mihi chariſſimus, pro illius erga me beneuolentia, & mea ſumma erga illum obſeruantia, quòd ſe in ſuis perennibus ſtudiis contineret, non nunquã hortabar & monebam, vt id quod ageret, temperatius ageret: ne per incuriã corporis, in morbum toties incideret, quo celerius ſua opinione, atque omnium expectatione, abriperetur: vti modum ſtudio faceret, & effuſam illam ſine intermiſſione contentionem meditandi, legendi, atque ſcribendi reprimeret: non committendũ vt labòrum noſtrorum flores exareſcerent antequàm fructus pariant, & maturitatem aſſequantur: ingraueſcentẽ ętatem illis demetendis aut percipiẽdis accommodatam. Et vt oratio plus ponderis apud illum haberet, proponebam quoque Platonem, quem tum in manibus habebam, longè omnium qui ſcripſerũt aut locuti ſunt, & maieſtate ſententiarum, & elegantia verbo-

rum principem, admonentem in Timæo, vti quandiu hac lucis vſura frueremur, nõ minorem corporis quàm animi curam gereremus, quòd malè affecto corpore animi muneribus fungi nequeamus. In curãdo autem corpore imitari oportere naturã vniuerſitatis rerum altricem, quæ nihil in mundo, ad cuius ſimilitudinẽ facti ſumus, ocioſum pateretur, ſic vt nunquam obtorpere permittamus, ſed quantum eſt ſitum in nobis, moueamus illud ſemper, & moderatis exercitationibus ad perferendos labores corroboremus. Sin eo neglecto animum ſolum coleremus, fore vt potẽtior factus exultaret atque efferretur, totúmq; ipſum intus agitans, languoribus impleret. Quinetiam cùm ad diſcendum inueſtigandúmque vehementius incumberemus, labefactare corpus, nonnunquam & inflammare, ac non expectata morte neceſſaria diſſoluere, præſertim ſi contentio acrior adiungeretur: adduci tamen, vt aliquantum de ſummo illo ſtudio remitteret ſuo, non potuit. Itaque dum literarum cupidior quàm lucis eſſe pergit, dum hoc ſublato bono vitam nihili putat, dum valetudinem negligentius curat, vires corporis ſic afflixerat & proſtrauerat, vt le-

uiſſima febris adueniens eum perbreui de medio ſuſtulerit. Ingraueſcente morbo, cùm iam dubia ſpe vitæ ſpiritum duceret, nihil à priſtina ſua virtute alienum fecit, non vocem vllam anteacta vita indignam edidit: quin ab aſtantibus admonitus ſalutis, reſpondit hanc ſemper ſibi curæ fuiſſe, ſed doloris victum debilitatúmque magnitudine ſuccumbere. Tandem verò ſine vllo corporis aut vultus motu ita tranquillè placidéque deceſſit, vt nõ è vita ad mortem, ſed ex labore ad quietem, ex ætate breui ad perpetuam, ab exilio hoc quidem miſero ac permoleſto, ad iucundiſſimam beatiſſimámque illam animorum patriã, Dei opt. max. ſedem atque ſolium migrare videretur. Sic magno fortunæ caſu accidit, vt quem viuum & incolumem videre maximoperè cupiebam, ei flens ac mœſtus cum cæteris parentarem. Perijt tertio & quadrageſimo ætatis anno, Cal. Septembr. Anno ſalutis generis humani M.D.L I. atque Lutetiæ in D. Opportunæ ſepultus. Quamquam igitur poſt tot amicorum funera, poſt tot accepta fortunæ vulnera, iam mihi viderer ferẽdis calamitatibus diuturna cõſuetudine callũ obduxiſſe, dici tamẽ nõ poteſt, ne cogitari quidem

dem ſatis, quantum ex eius interitu dolorem vel mœrorem potius acceperim. Sed meipſe conſolor, & maximè illo ſolatio, quòd virtus & doctrina illius, quas coluimus amauimúſque, nõ ſunt extinctæ, ſed viuũt ſempérque viuent in doctorũ hominum mentibus ac ſermonibus, alẽtur æternitate, & augebũtur totius poſteritatis memoria. Etenim cùm non ſolùm ingenio & doctrina, ſed etiam ocio ſtudióque abundaret, commentarios iuris Ciuilis ſcripſit valde quidem probãdos, cùm propter elegantiam, tum grauitatem rerũ quibus referti ſunt. Qui tãdiu, vt mea fert opinio, in manibus habebuntur, quandiu Romanæ literæ ſtabunt, quandiu ciuilis prudentia, quandiu iuris dicendi ratio vlla inter homines manebit. Fuit autem propoſitũ, eius diſciplinæ penè infinitæ vim & materiam vel ſcientiæ perueſtigatione, vel diſſerẽdi ratione comprehendere. Docendi quidem certè rationem ac viam accuratiorẽ, quàm quæ in recentioribus, atque adeò in ipſis planè veteribus iuriſcõſultis cæſareíſque conſtitutionibus reperitur, adhibere voluit, ac profectò iuris artẽ inſtituere. Magnum opus & arduum, atque haud ſcio an de humanis operibus longè difficillimum.

Enimuerò cogitanti mihi ſæpenumerò, & in ſummos homines intuenti, qui abhinc annorũ duo millia, arteis ad bene beatéque viuendum neceſſarias aut inuenerãt ipſi, aut inuentas literis illuſtrauerant, & perpoliuerant, ſolus Ariſtoteles ex omni memoria ætatum, temporum, nationum, occurrit naturæ quadã prouidẽtia genitus, qui ea quæ prius in diuerſis artibus diſperſa & diſſipata fuerant, μεθοδικῶς conglutinauit, quadamque ratione conſtrinxit. Cæteri mihi videntur tanquam partus degeneres, vel non præſtitiſſe quod polliciti ſunt, vel non perfeciſſe quod ab illis expectabatur. inchoata quidem plurima, & magna ex parte cõfuſa permixtáque reliquiſſe. Quòd ſi ſcientiæ tantùm inſtituuntur rerum vniuerſarum & ſempiternarum, quæ intelligentia & ratione cõprehenduntur, quæ ſunt maximè ſecundum naturam, & procul abſunt ab opinione, quæ ſemper eædem atque eodẽ modo ſunt apud omnes, quæ in vnum exitum ſpectant, & nunquam fallunt, equidem non video quemadmodum ars certa iuſti & iniqui conſtitui poſſit, quorum tanta eſt per vniuerſum orbem terrarum differentia, quæque non tam per ſeipſa, quàm pro legibus, ritibus,

mori-

moribus, conſuetudinibúſque ciuitatum, nationum, gentium conſiderantur. Præterea quorſum tot reſponſa iuriſconſultorum mutila & decurtata? tot edicta prætorum? plebiſcita? principum conſtitutiones? ſenatuſconſulta? quorum conſtat maiorem partem ipſa vetuſtate conſenuiſſe, aut tacitis populorum conſenſionibus mutatam, aut emergentibus nouis quotidie legibus, aliis ſuper alias aceruatis, eſſe ſublatam. An vt reliquæ omnes gentes regantur ex præſcripto vnius ciuitatis? quæ varias mutationes habuit: quę quãdiu libera fuit, perpetuis ſeditionibus plebis & optimatum laborauit, & poſtquam dominationi Cæſarum paruit, omnis memoriæ deterrimos principes tulit, ex quorum placitis totum hoc ius Romanorum, quod videmus, conflatum eſt & effectum? Quod ſi omnium aliarum rerumpubl. cùm priſcarum, tum recẽtium, quæ bene moratæ benéque conſtitutæ fuerũt, inſtituta animo percurramus, nunquã in his reperiemus iuriſconſultos extitiſſe qui libellos conficerent de pactis & tranſactionibus, qui ſtipulationum, iudiciorum, exceptionum formulas componerent, qui docerent quemadmodum in iure cauendum, & quid de quaque

conſultatione reſpondendum eſſet. Non apud Athenienſes, & Lacedæmonios, à quibus iuris Romani initia ducuntur. Nõ apud Aſſyrios, Carthaginienſes, Aegyptios, Perſas, Macedones, Gotthos, Vandalos, Saracenos, quorum ditiones amplæ fuerunt. Longum eſſet, & non neceſſariũ, cõmemorare de omnibus: ſed ſi qui id genus hominum indulgentius aluerunt, conſtat apud eos omnia litibus arſiſſe: quemadmodum olim vſu venit Romanis, & paulò ante noſtram memoriam in Pannonia accidiſſe Viues refert, ac nunc magno noſtro malo in Frãcia experimur: vbi omnia gymnaſia, fora, tribunalia vocibus iuriſcõſultorũ perſonãt. Quis enim nominis Francici amãs non miretur, vel doleat potius, in tanto numero magiſtratuum ac legũ aceruo, lites infinitas atque immortaleis haberi? nihil tam certum, quod non in dubium vocetur? nullam controuerſiam tam expeditam, quæ non impeditiſſima reddatur? nullum contractum tam ſtabilẽ, qui non reſcindi: nullam ſententiam tam firmam, quæ non perſtringi poſſit? omnia harpyiarum forenſiũ calũniis, dolis, fraudibus inuoluta? ipſam priſci iuris maieſtatem cautionibus & formulis deformatam obſo-

obſoleuiſſe?his denique moribus germanæ iuſtitiæ effigiem ampliusnullam inueniri: vmbra nos tantùm & imaginibus vti, quas etiam vtinam (quod Cicero ſua ætate querebatur)retineremus? Quantò melius cum humano genere ageretur, ſi omiſſis tot legibus ſcriptis, earúmque malitioſis interpretationibus, quæ non tam controuerſias tollunt, quàm litium actiones conſtituunt, ſummam illam legē, iuris atq; iniuriæ regulam ſequeremur, quæ vniuerſum mundum regit imperandi prohibēdíque ſapientia, quæ non populorum iuſſis, non principum decretis, non ſentētiis iudicū aut ſcripta eſt, aut confirmata, ſed ſeculis omnibus antè nata quàm ſcripta lex vlla, aut quàm omninò ciuitas conſtituta: quam non didicimus, accepimus, legimus, verùm ex natura ipſa arripuimus, hauſimus, expreſſimus: ad quam non docti, ſed facti: non inſtituti, ſed imbuti ſumus: vt honeſtè viueremus, fidem ſeruaremus, alterum non læderemus, ſuum cuique tribueremus, controuerſias inter nos ortas ex æquo & bono breuiter vel per arbitros cōponeremus, vel per iudices terminaremus. Cuius quidē iuſtitiæ naturalis ſi quis primas & inchoatas intelligentias, quas

in animis habemus impreſſas, explicaue-
rit, ſi ea quæ obſeruata ſunt in vſu & foreſi, & cõmuni ratione iuris dicendi animaduerterit ac notarit, verbis deſignarit, generibus illuſtrarit, partibus diſtribuerit, id quod Connanum noſtrum feciſſe videmus: præclarè mediusfidius is erit de humano genere mereri iudicãdus, nec dubitandum, quin ſi non planè artem, at quaſi artem iuris inueniſſe dicatur. Non vt omnia quæ illa arte effici poſſunt, inde petantur, nõ vt legem vno quoque verbo in ore habeamus, non vt ſexcenta capita ſine delectu effũdamus, innumerabiles doctores indoctos illos quidẽ, ac certe non neceſſarios ad oſtentationẽ memoriæ & lectionis proferamus, nõ denique vt quicquid deliberandum, agendum, ſtatuendũ nobis proponamus ad rubricas reuocemus: ſed nimirum vt cognitis primis ac certis rebus, reliqua, quia aut faciliora ſunt, aut ſimilia quique pro ſuo captu perſequatur: quippe quę accẽdi aut commoueri præceptis veterum poſſint, inſeri quidem à libris non poſſunt. Profectò aut me fallit opinio, aut nihil à reſtitutis literis in hoc genere ſcripti in lucem prodiit, quod ſit cum commẽtariis Connani vel diſſerendi ratione ac ſubtili-

tilitate, vel dicendi elegantia & proprietate, vel rerum delectu & ordine comparandũ. In quibus ſi quid occurret quod lectori erudito non faciat ſatis interdum, vt in tanto opere credibile eſt quædam ei humanitus excidiſſe, æquũ erit ignoſcere: atque eò magis, quòd immatura morte pręuentus, extremam manum maximè poſteriori parti addere non potuit. Quòd ſi per fati neceſſitatem in vniuerſo opere eandem diligentiam adhibuiſſet, quantam in tribus libris prioribus, quos toties ea cura limauerat, vt ter aut quater propria manu deſcribere non fuerit grauatus, facilè omnium ſuperiorum ſcriptorum gloriam, nõ modò ſtyli fœlicitate adæquauiſſet, ſed etiam diligentia viciſſet. Magnum enim eius iudicium fuit, magnumque optimarũ artium ſtudium, tum omnis liberalis & digna iuriſcõſulto ab eo percepta doctrina. Qui puer admodum educatus in diſciplina doctiſſimorum præceptorũ, ſed potiſſimùm Iacobi Spifamæi viri clariſſimi, nũc pontificis Niuernenſis: apud quem philoſophiam Ariſtotelicam didicit, & cui ex omnibus plurimum detulit. Deinde vt primùm ab his artibus, quibus ætas puerilis ad humanitatem ſolet informari, ſe ad ius

ciuile contulit, primùm Aureliæ, nobili & celebri vrbe, Petrũ Stellam audiuit, pòſt apud Biturigas Andræam Alciatũ Mediolanenſem, quem noſtræ ætatis multò præſtantiſſimum iuriſcõſultum fuiſſe verè videor poſſe contendere, nec minus optimis artibus eruditũ. Inde Lutetiã reuerſus, in iuriſcõſultorum ſubſelliis perdiu verſatus eſt: ibi rationũ regiarum, continuò libellorum ſupplicum in prętorio magiſter factus: in quo magiſtratu per vij. annos admirabili quadam laude verſatus eſt. Accedit eò, quòd domus eius ſemper patuit, ſempérque referta fuit viris doctis, quanquã doctrinæ ſuæ diſſimulator magis fuit quàm oſtentator: nemo parcius loquebatur, nemo minus aliis ſeſe vẽditabat. Non ſcribebat ad aucupandam gloriam, ſed ad animi oblectationem: ſorte ſua cõtentus, nec rem amplificare, quam honeſtam poſſedit, ſtudebat, nec honoribus maioribus inhiabat. Quid dicam de moribus facillimis? de pietate in Deum? bonitate in omnes? iuſtitia in illos qui eius opera vtebantur, aut qui aliquid negocij cum ipſo habebant? Sic vita erat, nemini nocere, prodeſſe verò quibuſcũque poſſet, non ſolum bene agendo, ſed etiam ſcribendo: ita vt

facillimè

facillimè ſine inuidia laudem inueniret, & ſine obtrectatione gratiam pararet. Quæ mecũ ipſe conſiderãs, equidem incipio caſtigare imbecillitatem meam, ac iam illius mortẽ non miſericordia, ſed beneuolentia potius proſequendã duco. Quid enim longius à luctu, quàm vita glorioſa innocẽter acta? & mors beata, licet immaturè oppetita? aut quid laudandũ magis quàm optimarum artiũ ſtudium, & præclara ingenij monumẽta ad ſempiternam hominũ memoriã literis commẽdata? Nihil eſt igitur quod tua cauſa, mi Connane, doleamus. Si quid mali accidit, nobis accidit, qui honorifica tua conſuetudine, humanitate ſingulari, recondita eruditione, ſuauiſſimis ſermonib⁹, prudẽtiſſimis cõſiliis in perpetuũ ſumus deſtituti. Tu aduerſas res noſtras ſubleuabàs, ſecũdas ornabas, in dubiis conſiliũ dabas. Tu arbiter ſcriptorũ noſtrorũ, moderator eras ſtudiorum: non erat quiſquam mortalium te mihi charior, aut in cuius prudentia libentius acquieſcerem. Quapropter ſi nullũ fuit beneficij genus, quod in me, licet immerentẽ, licet ſola literarum commẽdatione tibi primùm cognitũ, non contuleris, & tibi viuenti nullũ contrà amoris, nullũ obſeruantiæ, nullum

ſtudij officium à me defuit, egó ne tam expers humanitatis reperiar, vt tui nunc obliuiſcar? Sed quid ego in hac mea mediocritate poſſum? An tua in me beneficia cõmemorem? at nunquam ea mente contuliſti vt euulgarentur. An celebrem virtutes? at in illuſtri gradu dignitatis collocatæ, toti Galliæ notæ fuerunt. An libros abs te ſcriptos verbis ornem? at propter elegantiam grauitatémque rerum, quibus referti ſunt, & commendantur maximè, & quotidie ab omnibus expetuntur. Quid quò d, dum viueres, non tam præmia ſequebaris rectè factorum, quàm ipſa rectè facta? non laudis ſtudio trahebaris, non gloria ducebaris, ſola optimæ mentis conſcientia nixus, quæ tibi ſemper pluris fuit, quàm hominum ſermo. Tu tamen, intereà dum à percipiendis atque cognoſcẽdis optimis artibus, nec earum magnitudine ac difficultate, nec innumerabilibus aliis rerum aſperitatibus deterrimur, præſertim tam raris ad diſcendum propoſitis hoc ſeculo præmiis, dum doctrinam ad exemplum veterum non modò ex libris & in vmbraculis ocioque eruditorum, ſed ex omnium rerum vſu & varietate quærere conamur, nihil, quantum eſt ſi-
tum

tum in nobis, terra & mari, domi & militiæ, apud nos, apud exteros intentatum relinquimus: nunc in foro verſamur, nunc Aulam ſequimur, dum in perſequenda ſcientia & ſapientia omnes labores, curas, moleſtias parui ducimus: poſtremò dum noſtris ſtudiis portum quærimus, à quo iã non ſemel reflantibus ventis reiecti ſumus, accipies hæc dona inania, & quaſi inferias, quas ſanctiſſimis tuis manibus in mediis noſtris occupationibus, & erroribus aulicis offerimus. Sed neſcio quomodo hic me æſtus amoris in altum longius abſtraxit, quàm aut vellẽ, aut initiò fuerat propoſitum. Ego verò cùm de eo aliquid vellem ſcribere, tibi potiſſimùm id munus conuenire arbitrabar, quod duorum ampliſſimorum hominum memoriam eſſet in poſterum, vel etiam beneuolentiam propagaturum: vt ita vtrique, etſi nequaquam parem veſtris virtutibus, at pro noſtro tamen ſtudio, debitam gratiam, tibi educationis, illi familiaritatis, quoquo modo referrem. Quid enim poterat mihi vel ad vſum literarum melius, vel ad præſentem exiſtimationem honorificentius, vel ad reliqui temporis expectationẽ maius accidere, tanti viri conſuetudine atq; conui-

ctu? Ecquem potius quàm te magnum iuris antiſtitem, iuſtitiæque præſidem ſecutus eſſem? apud quem ea quæ legendo ab ineunte ætate didicerã, vſu & exercitatione frequẽti cumulatiora redderem, & perfectiora: tum verò earum rerum quæ verſantur in conſuetudine vitæ, in hac ſocietate ciuili, quæ ad mores hominum, & ad rempublicã pręſertim noſtram pertinent, cognitionem mihi pararem vberiorem, atque ſcientiam. Quamobrem ſi quid eſt in me ingenij, quod ſentio quàm ſit exiguum, aut ſi qua ab optimarũ artium ſtudiis profecta facultas, earum rerum omnium vel in primis fructum à me repetere propè tuo iure debes: qui me in contubernio tuo plures annos honorificè aluiſti, ac præceptis propter excellentem eruditionem, & exemplis propter eximiam virtutem auxiſti. Itaque cùm in te colendo obſeruandóque plus elaborauero quàm poſſum, minus omninò faciam quàm debeo, beneuolentiam fortaſſis imitabor, partem certè minimam tuorum meritorum non modò referenda, ſed ne cogitanda quidem gratia conſequar vnquam. Cathalauni. Cal. Maiis, anno M. D. L I I.

Ludouici

Ludouici Regij epiſtola ad curiam Pariſienſ. quæ orationis loco haberi poteſt.

QVod erat mihi optandum maximè, vt aliquando in hoc ampliſſimo Galliarum loco, ac clariſſimo totius Europæ concilio, ſpecimen ingenij darem, & laborum, quos ab ineunte ætate ſuſcepi, fructum ex doctiſſimorum hominum atq; integerrimorum ſenatorum iudicio conſequerer, id nunc datum oblatumq; vehementer lætarer, ſi vſitata ratione probandorum magiſtratuum, & recepto ſuperioribus annis more id fieri liceret. Sed noua lex impedimento eſt, quæ ad religionē veſtram, Iudices, addidit non ferendorū modò ſuffragiorum ſeueritatem, ſed difficultatem etiam ex tempore de iure reſpōdendi. Quæ dum animo contuerer, ſæpè multúmque dubitaui, ſatiúſne omninò foret, delatum ab optimo principe magiſtratum recuſare, quàm tantam rem, tam lubricam atque ancipitē ſuſcipere, quàm paruo momento omneis opes fortunáſque meas, omnem exiſtimationem ac ſpem reliquæ vitæ, in diſcrimen adducere. Nam hodierno die eam poteſtatem omnē vos habetis,

vt ſtatuatis vtrum hanc indolem nondum firmata ſtirpe virtutis, tãquam ſubita tempeſtate peruertatis, an plenã ſpei alicuius, & nunc primùm ægrè floreſcentem alatis. Enimuerò ſi nouos magiſtratus illius legis ſtatera, & veſtræ eruditionis trutina examinaueritis: quis erit tam inſigniter doctus, aut tam ſummè impudens, qui ad omnia quæ de iure dici poſſunt, ſuſcipiat, ac profiteatur ſe ex tempore eſſe reſponſurum? Eſt magna quidem & præclara certè iuris ciuilis ſcientia, recondita, multiplex, ſubtilis, nulla tamen certa ratione ac via conſcripta, cuius infinitam vim & materiam qui penitus cognitione comprehẽderit, arbitror poſſe reperiri neminẽ. Neque verò hæc mea oratio eò ſpectat, vt legem inconſideratius latam velim oſtendere: ſed vt, cùm eius verba nimiæ ſeueritatis plena eſſe videritis, voluntatem Regis optimi qui eam tulit, cõſiliúmque viri prudentiſſimi qui rogauit, amplectamini. Certum eſt enim Franciſcum regem illato à duobus potentiſſimis principibus graui periculoſóque bello, inopia ærarij preſſum, difficultate temporum coactum, non curias modò ipſas, ſed inferiora quoque tribunalia quamplurimis nouis magiſtratibus

tibus

tibus impleuiſſe. Cuius rei cùm illum pœniteret, rebus cõpoſitis, paulò antè quàm è vita excederet, hanc legem tuliſſe, qua redundantem iudicum turbam coerceret, & imminutã vicio temporum iuſtitiæ maieſtatem in veterem dignitatem vindicaret. Quinetiam in perfecto iudice non ſolùm iuris intelligentia ſpectanda eſt, ſed multæ ſunt artes & virtutes eximiæ huius adminiſtræ comitéſque facultatis, veluti innocentia, grauitas, fides, integritas, modeſtia, veritas, ſine quibus omnis cognitio manca eſt & inchoata: queq́ue nec ex diſſipatis veterum iuriſconſultorum libris, nec ex verboſis recẽtiorum commentariis peti poſſunt: & tamen in probandis iudicibus ſunt in primis conſiderandæ. Quæ cùm ita ſint, Iudices, quæſo à vobis vt in noſtra cauſa aſperitatẽ edicti humanitate veſtra mitigare velitis. Nam cùm principes noſtri liberam huic ordini dederũt cauſarum diſceptationem, & cõſtitutiones ſuas, aliáque reſcripta, ius ex veſtris ſuffragiis accipere voluerunt: nimirum crediderũt illos, quos ob ſingularem induſtriam, perſpecta eorum fide & grauitate, ad huius loci amplitudinem adhibuiſſent, non controuerſias modò priuatas ex æquo & bono ſubla

turos, ſed publica etiam negocia, pro ſapientia ac luce dignitatatis ſuæ, pro varietate rerum atque perſonarum, ex communi vtilitate tractaturos. Quòd ſi vnquam aliâs erga quemquam vlla facilitate atque humanitate citra officij religionē eſtis vſi, vos oro atque obſecro, Iudices, eam mihi vt hodierno die tribuatis. Qui vt ſumma haberem cætera digna hoc conſeſſu, digna hoc magiſtratu qui mihi delatus eſt, à quibus equidem abſum longiſſimè, temporis certè vix ſatis habui ad hæc mea ſtudia recolenda, ſed nec quibus de rebus apud vos dicturus eſſem, per edictū potui vllo modo cogitare, vt paratior ad dicendum venirem. Quò mitius agere mecum debetis, reputantes ipſi vobiſcum tum humani ingenij memoriæque noſtræ imbecillitatē, tum etiam iuris ciuilis magnitudinē atque difficultatē. Nam quanquam inficiari non poſſum me à primis temporibus ætatis, omnis artis ingenuæ diſciplinæque ciuilis percupidum fuiſſe: Aulicæ tamen ærumnę ac moleſtiæ, quæ me multos annos diſtrictum tenuerunt, plurimum de flore ætatis, ingenij, ſtudiorúmque deliberarunt. Quāuis enim conſuetudine perhonorifica vſus primùm Franciſci Chemantij Tauri-
norum

norum præſidis, deinde Franciſci Oliuarij Cancellarij, virorum clariſſimorum atque præſtantiſſimorum: tamen crebræ & propè diurnæ locorum mutationes, aſſiduus ſalutandi labor, tot rerum offenſiones occupationéſque parum admodum, aut nihil omninò temporis, hiſce noſtris literis relinquebant. Verùm ego haud magna in re conſtitutus, præſidio nullo tectus, ſola literarum commendatione, eáque permediocri fretus, non aliter poteram ex illis vadis & ſcopulis emergere, atque honori meo velificari. Itaque quibus potiſſimùm rationibus vos adduci poſſe ſperarem, vt tam periculoſam ancipitémque dimicationem remitteretis pro tẽpore ac loco nimium, pro rei magnitudine parum, pro veſtra prudentia ſatis videor dixiſſe. Quibus ſi minus permouemini, nouæ legi pareamus, voluntati veſtræ obtemperemus, Iudices, atque onere officij nos opprimi potius ſinamus, quàm locum qui ab optimo principe nobis cum fide ſemel datus eſt, propter infirmitatem animi deſeramus. Magnum opus atque arduum tentamus, ídque non tam ſatisfaciundi vobis ſpe, quàm progrediendi, quantum poſſumus, voluntate. Quod ſi difficilius

videbitur quàm vt à nobis ſuſcipi debuerit, velim exiſtimetis, dum legibus parere cogeremur, refugiendi pudore, dicendi ex hoc loco neceſſitatem ſuſcepiſſe.

Alia Epiſtola in ſcholis Toloſanis, quæ orationis loco haberi etiam poteſt.

PYthagoram Samium præſtanti ſapientia & nobilitate philoſophum, cùm in aliis rebus magnum ac probatum virum, tum in eo ſummum ac ſingularem fuiſſe comperimus, quòd illos qui ſeſe in diſciplinam homini tradebant, tacere quam diutiſſimè iubebat, nec prius diſputandi & percontandi quæ vellent, poteſtatem faciebat, niſi longo ſilentio docti fuiſſent. Hoc tanti philoſophi diuinum inſtitutum ſi teneremus hodie, cum in aliis artibus, tum in iure ciuili, haberemus (vt mea fert opinio) diſciplinas omnes florentiores. Nunc vt alia multa, ſic hoc præpoſterè fit, vt plerique de bonis artibus antè diſſerant, quàm de illarum vtilitate & magnitudine aliquid ſuſpicari potuerint: & prius ad docendum veniant, quàm idipſum quod ſuſcipiunt, nouerint, aut omninò quale ſit, didicerint. Quæ dum mecum cogitarem,

Audi-

Auditores optimi, tametſi quadriennio ſtudiorum cauſa hac in vrbe eram commoratus, atque totum curriculũ induſtriæ meæ in iure ciuili elaboraueram, tamen omne meum tempus priuatis ſtudiis trãſmittere malebam, quàm temerè ad docendum excurrere. Sic me hoc aditu laudis, qui ſemper cuique ſtudioſo patuit, non mea ſolùm voluntas, verumetiam conſcientia infirmitatis noſtræ, & pudor quidam prohibuit, ne aut id profiteri viderer quod non poſſem implere, quod eſt impudentiæ: aut id non efficere quod à me expectaretur, quod eſt negligentiæ. Sed cùm priuati noſtri ex iudicio doctiſſimorũ hominum aliquem fructum conſecuti eſſent, mutare conſilium coactus ſum. Nam vt iuriſconſulti in ordinem ſuum me cooptarunt, id onus officij mihi impoſuerunt, quod abiicere nefas eſſe duxi, non minus propter eorum auctoritatem, quam nullo modo debeo aſpernari: quàm propter ſingularem in me beneuolentiam, quam cupio omni ratione tueri. Quamobrem ſuſcepi, Auditores optimi, magnum profectò munus in tanta hominum frequentia publicè de iure diſſerendi, idque ſuſcepi non obeundi fiducia, ſed verecundia recu-

ſandi. Quid enim eſt quod aut eniti aut efficere poſſim, qui toto curſu ſtudiorum, magnis interim vulneribus ictus, morte Ioannis Pini Riuorum Epiſcopi viri clariſſimi, in quo vno tuendorum ſtudiorum noſtrorum ſpes omnis erat poſita, tum grauitate diuturnæ quartanæ, prætereà infinitis aliis moleſtiis oppreſſus, nunquam animo vacuo & ſoluto in eam potui diſciplinam incumbere? Quid quod vereor ne nouitas noſtra pleriſque inuiſa ſit & ſuſpecta, quódque nunc primùm animum ad docendum appuli, eo minus libenter me audiant? Sed par eſt illos cogitare, omnium rerum principia parua eſſe ſolere, deinde ſuis progreſſionibus vſa augeri. Non enim vt ſemen mandatum eſt terræ, protinus demetitur, ſed elicitur primùm ex eo herbeſcens viriditas, quæ ſuo tempore adoleſcit, ac tandem ad ſpicam peruenit. Nec vt ad articulos ſarmentorum gemma exiſtit, continuò vua percipitur, ſed inde oriens, ac ſeſe oſtendens, pòſt ſucco terræ & calore ſolis augeſcens, quæ initiò acerba fuerat, ad extremum maturata adulceſcit. Quinetiam natura corpus hominis ita & formauit & genuit, vt in primo ortu tenerum eſſet ac molle, deinde progre-

progrediente ætate creſceret, ac robuſtius fieret. In diſciplinis verò quis non videt omnem earum laudem ab humili paulatim ad ſummum veniſſe? Quòd ſi natura in omnibus rebus hoc fert, vt nihil ſimul naſcatur & perficiatur, hanc progreſſionem in his quæ ex terra generantur, admirabimur, in docẽdo non feremus? & ſi vſitatam in aliis diſciplinis probamus, in iure ciuili repudiabimus? quòdque ſalutare maturitati frugum ac fructuũ dicimus, id maturitati iudicij non vtiliſſimum iudicabimus? Sed omnium artium, ſicut arborum, magnitudo nos delectat, non item radices atque ſtirpes. Veruntamen eſſe illa ſine his nullo modo poteſt. Quapropter vos oro atque obſecro, Auditores optimi, ne me idcircò aſpernemini quòd nondum huius auctoritatem loci contigerim, nec ſtatim repudietis, ſi tardior initiò aut rudior videar, illud interim vobiſcum reputantes, neminem repentè ſummum extitiſſe, necnon illis qui modò præſtant iuris ciuilis ſcientia, fuiſſe aliquando, vt nunc mihi, alicunde arripiendum ad claritatem exordium.

Ludouicus Regius Lanceloto Charlo epiſcopo, S. D.

AMor tuus, ac iudicium de me, vtrum mihi plus ornamẽti, an ſcriptis meis commendationis afferat, non facilè dixerim. Nam cùm doctrina ac eloquentia, omníque probitate excellas, maximoperè lætor me meáque tibi probari. Illud verò tuæ in me voluntatis documentum vel maximum dediſti, cùm pondera ſententiarum ac verborum propè ſingulorum in noſtris ſcriptis tam diligenter examinares. Quæ ſi mihi poteſtas ſæpius contingat, næ ego multò libentius ad ſcribẽdum animum inducam, cùm tuo accuratiſſimo iudicio, tum nonnulla mea diligentia melior factus. Sic enim te exiſtimare velim, cùm à te docto in primis viro & valde humano diſceſſerim, neminem eſſe ſub cuius cenſuram me tam eſſe ſubiectum, non ſolùm confitear, ſed etiam gaudeam. Quamobrem quæcũque prius ſcripſi in hac tanta occupatione Aulæ atque vitæ, vel poſthac ſcribam, maiore ſtudio ocióque abundãs, ad arbitrium tuum libentiſſimè, ac multò verius cupidiſſimè conferam. Nunc autem mitto epiſtolã, à me quidem olim ſcriptã,

ſed

ſed nuper recognitam: in qua ego cum Bunello viro docto & eloquenti diſputo, an poſt tot veteres auctores, in tanta librorum turba, ſit aliquid ſcribēdum. Multa reperies ex omni antiquitate, & è media philoſophia repetita, quę niſi me fallit animus, tibi neutiquam diſplicebunt. Quę tamen velim ſic accipias, ὥσπερ ἐνδόσιμον λόγου μείζονος, ὅντινα μέλλω συγγράφειν περὶ Ἀρχῆς καὶ Ἐπιδόσεως τῆς παιδείας· ὅπως τ᾽ αἱ τέχναι καὶ ἐπιστῆμαι πολλάκις εὕρηνται καὶ ἀπόλλυντο, διὰ πολλὰς ἀνθρώπων φθορὰς, αἳ γεγόνασι καὶ ἔσονται ἐν παραλλάξει τῶν περὶ γῆν καὶ κατ᾽ οὐρανὸν ἰόντων, πυρὶ μὲν καὶ ὕδατι μέγισται, πολέμοις δὲ καὶ ἐθνῶν μετοικισμοῖς, καὶ διαλέκτων μεταβολαῖς, καὶ μυρίοις ἄλλοις ἕτεραι. Igit̃ propoſitū eſt exponere literarū initia, incrementa, progreſſus: deinde quēadmodum, & quibus temporibus ac locis philoſophia & eloquentia ad ſummum venerunt, & poſteà corruerunt: tum denique quid hac ætate in omnibus diſciplinis profectum, quid additum, & inuentum: in quo pares antiquis, in quo ſuperiores, aut inferiores ſumus. ξυνελόντι δ᾽ εἰπεῖν, illud omninò examinandū duxi, verùm ne ſit vulgò quod dici ſolet, Nihil dictum quòd non dictum prius. Magnum opus, Charle, & arduum meditor, ſed onus hoc la-

perceperim lætitiam, quòd video doctiſſimum hominem atque eloquentiſſimum, vltrò ad me literas dediſſe: an moleſtiam, quòd non pro eo ac debebam, & vir excellenti virtute auctoritatéque volebat, prius id præſtiterim, quod tu tanta ſuauitate & orationis & humanitatis effeciſti, vt ſpem reſcribendi penè omnem adimeres, ac nec omninò quidem fuerim ad tuas literas reſponſurus, mihi ipſe diffidens, ni turpe exiſtimaſſem in amicitia mutuò non reſpondere, certóque mihi ſuaſiſſem, te ſpectaturum in hac re amici animum magis, quàm ſcribentis facultatem. Quòd autem Fabros tuos mihi tam diligenter commendas: profectò tuam in eam familiam vel beneuolentiam, vel pietatem potius, ſatis laudare non poſſum, cui, vt verè ſcribis, humanitas & politiores literæ plurimum debent: quæque anteà cùm te dilexit vnicè, tum nunc orbatum clariſſimo viro atque ſanctiſſimo antiſtite Georgio Selua, certiſſimo tuorum ſtudiorum patrono, impenſius tuendum ornandúmque ſuſcepit. Quòd verò ἐν παρόδῳ, tantum mihi tribuis, equidem non ſum adeò impudens, vt id, à quo ſanè abſum lōgiſſimè, vllomodo agnoſcā:

& tamen inficiari non poſſum laudem, quæ abs te laudato viro profecta eſt, magnum interim mihi ſtimulum ad virtutem admouiſſe Aueo ſcire ecquid agas in hoc ſummo ocio, ecquid in hac tanta facultate vacui ac liberi temporis commentêris. Te quidem arbitror non ceſſare. Nec enim decet te eloquentem in primis, & ornatum vberrimis artibus, tibi ipſi tantummodò viuere aut ſtudere. Quin potius elaborandum in eo ſuadeo, quod & in primis potes, & à te omnes expectant, ætatem vt noſtram ſcriptis illuſtres, & celebres tuis. Nam ſi quis eſt hodie qui optimè lingua Latina vtatur, qui ornatè & copiosè, qui aptè & diſtinctè ſuas cogitationes literis mandare poſſit, eum te eſſe meritò arbitrantur omnes. Quam quidem orationis facultatem aut negligere, aut exareſcere ſinere, eſſet hominis cùm in maximis rebus errantis, & parum conſideratè eloquentiæ dignitatem intuentis, tum abutentis imprudenter ocio & literis. Epiſtolæ fuerunt à te hactenus ſcriptę ad amicos plurimæ, quæ magnam tui expectationem vbique commouerunt: oſtendunt enim te non ſtylum modò acuiſſe exercitatione dicendi, ſed ipſam etiam eloquen-
tiam

tiam & ſacrarum literarum ornamento cumulauiſſe,& cęterarum artium grauiorum inſtrumento locupletauiſſe. Accedit ad hæc acerrimum ſtudium, ac perenne, in quo te contines: iudicium quoque magno rerum vſu, multáque noſtrorum temporum varietate confirmatum. Quare quantum conniti animo potes, quantum labore contendere: tãtum quæſo fac vt efficias, né ve committas, vt cùm Dei opt. max. conceſſu atque munere tam multa támque præclara ad ſcribendum adiumẽta ſis adeptus, ne aut ingratus negligenter, aut immemor tantorum beneficiorum, improbè tibi defuiſſe videaris. Hoc à te patria poſtulat, hoc amici, hoc omnes eruditi, quibus negare & inhumanum maximè eſſet, & minimè ferendum. Quàm multa iacent ad hanc diem, quæ necdum vllum habuerunt lumen Latinarum literarum, quæ illuſtrari poſſunt & excitari? Scripta ſunt ſanè & noſtra memoria, & priſcis ſeculis plurima in omni artium ac diſciplinarum genere: ſed non omnia tam diſtinctè & diſtributè, nec tam eleganter & ornatè, vt cõmendari eruditorum lectione poſſint. Si qua verò talia fuerũt, aut culpa temporum funditus deleta ſunt, aut ita mendoſa &

mutila ad nos peruenerunt, vt multis in locis neutiquam intelligantur. In quibus tamen emendandis, corrigendis, obſeruandis, exponendis, vertendis, qui eruditiores hactenus habiti fuerunt, tantummodò occupati ſunt. Sed enim demonſtratis fontibus, notatis locis ex quibus veteres illa hauſerunt atque duxerunt, quid obſtat quominus in hoc ſpacio doctiſſimos homines ipſorum veſtigiis perſecuti, ad eadem quæ tractauerunt, & quærenda, & diſputanda perueniamus? Quos aſſequi vt eſt difficillimum, ſic profectò ſequi longè pulcherrimum fuerit: præſertim cùm munus reipublicę maius, & mortalium generi melius non poſſit afferri, nec ſit vllus animi cultus præſtantior, neque alius humanitatis quaſi cibus ſuauior. An cùm Agricolæ ſerant arbores alteri ſeculo profuturas, alij domos edificent, nemóque ſit paulò erectior qui non ſpectet poſtera ſecula ad ſe pertinere, optimarum artium diſciplinis eruditi homines non cogitabunt futura? non ſuam prudentiam intelligentiámque ad hominum vtilitatem conferent? quódque alij rebus breui interituris moliuntur, hoc idem diu victuris literarum monumentis non aſſequentur?

quentur? Atque haud ſcio, an qui id facere tam eleganter vt tu poſſunt, tantò etiam magis elaborare debeant, quãtò ſunt præſtabiliora quæ efficiunt, quàm quæ cæteri. NON omnis flos eruditionis ſiti veteris vbertatis exaruit: non antiquis ſolis aditus ad ſummam doctrinã patuit. Non eſt natura, quod plerique falsò quæruntur, ita ſuperiorũ ſeculorum fœcunditate exhauſta, vt nihil amplius pariat & procreet heroicis ſimile temporibus. Eadem nimirum eſt ſemper & vbique ſui ſimilis, nec minus potens quàm olim, neque minus ad gignenda & alenda præclara ingenia efficax. Quin valentiorem hodie credi par eſt, robore adiutam & confirmatam: quòd ſenſim per tot ſecula accreuit. Sed paucorum mentes in percipienda ſapientia occupantur: auaritiæ arteis tantùm colimus, & ea ſequimur ſtudia, quorum precium præſens eſt. Nec verò ſi huic ætati docendæ elaborauerunt priores, idcircò omnem veritatem occuparunt. Multum ex illa etiam nobis reliquerunt. Nec vlli nato vnquam præcludetur occaſio aliquid adhuc adiiciendi: ſemper quod agat, inueniet, quiſquis ſeriò huc ſe applicarit. Quãquam igitur arteis plurimùm prouectas

cùm à Græcis & Latinis, tum ab Arabibus accepimus: tamen edocti breui tempore, quæ illi vt inuenirent diu elaborauerunt, nobis etiam atque etiam conandum cætera, quæ deſunt, inuenire. Nec dubium, quin ſi huic ſtudio nos penitus totóſque dederemus, melius quàm vlli antiquorum de artibus omnibus, de rerum naturis, de hominum moribus, de rebuſpublicis diſputaremus. Et quemadmodum natura generi conſulens humano ſuperioribus quibuſdam ſeculis protulit egregios homines nonnullos, quanquã perpaucos, qui mundum omnem acie mentis viderint, & mortalium atque immortalium naturas indagarint: ſic etiam poteſt ſimiles proferre, qui beneficio cœli ac maiore afflatu ea referant, ad quæ nondum obſeruatio penetrauit, aut conſuetudo, quamuis diuturna, viam monſtrauit obſeruationi. Latet, fateor, in occulto veritas: ſed eius tractatio quotidie poteſt gignere plurima, quæ cum ſumma delectatione veſtigemus: ἄλλως τ' ἐπειδὴ καὶ τὰς ἐπιδόσεις ὁρῶμεν γιγνομένας καὶ τῶν ἄλλων ἁπάντων, οὐ διὰ τοὺς ἐμμένοντας τοῖς καθεστῶσι, ἀλλὰ διὰ τοὺς ἐπανορθιῶντας, καὶ τολμῶντας ἀεί τι κινεῖν τῶν μὴ καλῶς ἐχόντων. Quã multa nondũ in artẽ redacta ſunt? Quã multa primum

hoc primũ cognouim⁹ ſeculo. Quã multa venientis æui populus ignota nobis ſciet? Quàm multa futuris ſeculis reſeruantur? Iſta quæ nunc latẽt, dies extrahet, & veniet tẽpus quo poſteri tam ſaperta nos neſciſſe mirẽtur. Nimirũ magna tardè proueniũt, nec in lucem ſimul omnia prodeunt, ſed alia ætas aliud addit. καὶ μὴν καὶ τῶν φιλοσόφων οἱ ἐξαιρετώτατοι φασὶν τὰ αὐτὰ ἐν χρόνῳ πολλῷ πολλάκις, μᾶλλον δ' ἀπειράκις εὑρῆσθαι, καὶ κατὰ τεταγμένας περιόδους τοῦ παντὸς ἐπιστήμας καὶ τέχνας ἐμφανίζεσθαι, καὶ πάλιν ἀφανίζεσθαι. Ita ſępius eadẽ eſſe reperta, ac ſpęius cõcidiſſe nationibus ſublatis, apud quas illa viguerãt, propter eluuiones exuſtionéſque terrarum, quas accidere ſtatis temporibus neceſſe eſt, cùm ad motum primi cęli, vnde motus reliqui inferiores & omnis natura pendet, tum ad errantium ſyderum cõiunctiones & ſeparationes, quibus elementa, & quæ ex elementis conſtituuntur, præcipuè parent. Hanc eſſe rerum humanarum continuam viciſſitudinem, quæ eodem ſæpius recidãt, vel quòd materia ad ſimilitudines edendas eſt facilis, vel quòd ex quibuſdam terminatis numeris ſeries rerum cõnexa exiſtit, quemadmodũ Pythagoræ prius, deinde Platoni placuit. Sed quoquomodo ſe res habeat, ſi temporum memoriam repli-

cemus, comperiemus nullum uctorem ex his quorum ſcripta extant, exceptis Hebræis, ante tria millia annorum fuiſſe: quo quidẽ ex tẽpore, quantum perſpicere poſſumus, ingenia literis diſciplinísq; excoli cœperunt. Certè in Græcia, quæ eloquẽtia & omni genere artiũ floruit, nullus eſt ſcripto vetuſtior Homero, ὥστε φαίνεσθαι Ἕλληνας οὐδεμίαν ἔχοντας δι᾽ ἀρχαίαν ἀκοὴν παλαίαν δόξαν, οὐδὲ μάθημα χρόνῳ πόλιον οὐδὲν, ὡς ἐν Τιμαίῳ γέγραπται. Quin potius qui interiores ſcrutantur & reconditas literas, opinantur illas primũ apud Æthiopas, Indos & Chaldæos natas, deinde tranſiuiſſe ad Aegyptios, pòſt ad Græcos & Latinos: quorum ingenia circa Alexandrũ & Auguſtũ maximè eximia in omnibus artibus fuerũt: tandem in Europa ſeneſcentes, ad Arabas deſciuiſſe, qui omnem Philoſophiam & Mathematica vehementer excoluerunt: poſtremò inſcitia graſſante, tanquam mortuas multis ſeculis iacuiſſe, donec noſtra & ſuperiore memoria poſt expugnatum à Turcis Byzantium ſeſe rurſus in Italia, Germania, Gallia, Britannia, Hiſpania erigere cœperunt, tanta iam ad omnem virtutem atque doctrinam facta progreſſione, vt hodie non multum aut nihil

omninò antiquis Græcis, Romanis, Arabibúſque cedatur. Quòd ſi quis obiiciat multitudinē librorum qui & ſcripti ſunt, & ſcribuntur quotidie infiniti: reſpondebo, pauciſſimos in omnibus linguis & nationibus, in omni diſciplinarũ genere inueniri abſolutè perfectos, planéq; eruditos. Quales ſunt Platonis, Ariſtotelis, Hippocratis, Ptolemæi: qui non imagines rerũ & vmbras opinionũ cōſectati, ἀλλ᾽ ὀρθῶς τε καὶ γνησίως πεφιλοσοφηκότες, καὶ τὰ πράγματα εἰλικρινῆ ἐγνωκότες, ἐθεώρησαν περὶ πάσης ἀληθείας, καὶ οὐσίας τῆς ἀεὶ οὔσης, καὶ ὑπὸ γενέσεως καὶ φθορᾶς καὶ τῶν ἀνθρωπίνων δόξων ἢ φλυαρίων μὴ πλανωμένης. Ἄλλοι δ᾽ εἰσὶν, οἷον ἐπιφυλλίδες, καὶ στωμύλματα χελιδόνων, μουσεῖα, λωβηταὶ τῆς παιδείας, ἵνα κατ᾽ Ἀριστοφάνην εἴπω, qui eadē cēties millies dicant cōmutatis tātum verbis, & ordine inuerſo, ocioſos & nugatorios cōmentarios quotidie inculcantes. At quoniã mutantur quotidie hominũ inſtituta, more, leges, artes, opiniones, magnum facere iudicandi ſunt, vel potius optimè mereri de humano genere cenſendi, qui in tanta rerum inconſtantia, ac mutabilitate opinionũ, inſtructi diſſerendi ratione, & ſingulari facultate dicēdi, obſcuris lucem, dubiis fidem, confuſis ordinem, incultis elegantiam, faſti-

ditis gratiam, vetuſtis nouitatem, nouis auctoritatem dare ſua ætate poſſunt. Itaque tametſi veteres ſcriptores multa dixerunt, & nonnulli ex illis mirabiliter probantur: tamen, vt mea fert opinio, quamtumuis licet excellant, quãuis plurimi, vel potius innumerabiles præceſſerint, nõ præripuerunt nobis, ſed præbuerũt potius nouam ſemper facultatem ſcribẽdi: videlicet poſt experientiã tam diuturnã, poſt tot exempla, quibus nos inſtruxit antiquitas, poſt tot ætatum inuenta, poſt tam longam rerum omnium magnarum atque reconditarum artium ſcientiã: quæ nouæ illis & inuſitatæ, plus admirationis initiò habebant, quàm cognitionis. Serẽdum igitur, ſi minus hominibus, qui ſæpenumerò præſenti virtuti ſunt iniqui, at certè Deo optimo maximo: qui nos, vt cætera omnia, quę ad victũ cultúmque pertinent, ſic literas etiam & libros, ſine quibus hominum vita nulla eſt, non accipere modò à maioribus voluit, ſed poſteris etiam cũ nominis noſtri, ſi quid ad rem facit, memoria prodere. ἀλλὰ δὴ γλαῦκα εἰς Ἀθήνας, qui hæc ad te. Quæ ſi ſcriberem quaſi te erudiẽs, iurè reprehenderer. Quæ tamẽ quoniã à ſcribẽdo alienior paulò non ſemel in congreſſibus no-

noſtris viſus es, vtcunque attingenda putaui. A me verò tibi tuíſque omnia paratiſſima exiſtimes velim: id enim & virtus tua, & mea conſuetudo in doctos homines poſtulat. Illud ad extremum non rogo ſolùm, verumetiam obſecro: vt quoties tuo commodo poteris ad nos quàm creberrimè ſcribas: Hoc nihil gratius facere potes. Habebis autem me in reſcribendo impigerrimum. Vale. Lut. Pari. Cal. Maiis. M. D. X L I I.

Franciſco I I. Franciæ Regi Chriſtianiſſimo Ludouicus Regius, S. D,

CVm memorabilem patris tui Regis maximi exitum mandaſſem literis, & conſolationem ſcripſiſſem ad Reginam matrem tuam, mulierum huius ætatis ornamentum, ſtatueram quoque ſeparatim ea de re tibi aliquid exarare, ad quem ſciebam doloris multò maximam partem redundaſſe. Sed circunſpicienti mihi ſummā tuam erga matrem cùm pietatem tum obſeruantiam, quæ ad illam ſcripſiſſem, eadē ad te viſa ſunt pertinere: nec verò ſine cauſa repeti debere, niſi aut verboſé loquax, aut intempeſtiuè officioſus erga tuam Maieſtatem eſſe vellem, quod ineptum in pri-

mis & minimè ferendum eſſet. Omnem igitur orationem ad gratulationem traducendam exiſtimaui. Nam cùm per ſe magnum eſt regnare, tum verò imperare Franciꝗ nobiliſſimꝗ orbis terrarum regioni, & vix dum ex ephebis excedentem auſpicarī principatum, maximam habet rariſſimámque fœlicitatem. Ad quam accedit admirabilis matris bonitas, incredibilíſque prudentia: cuius conſiliis præcipuè obtemperans regnum paternum auitúmque gubernas. Accedunt etiam Lotaringi principes, aliíque præſtantiſſimi homines non pauci: quorum fideli opera domi & militiæ vtens, haud ambigam quin rem & ditionem Francicam auctiorem florentiorémque reddas. Quocirca nihil mirum ſi ab omnibus Europæ principibus & ciuitatibus legationes honorificæ ad te mittantur publicè gratulatum tantam dignitatem tibi in hac ætate delatam, Franciæque datum talem Regem & præſenti iudicio, & reliqui temporis expectatione. Certè eum te fore ſperant cum tot tantíſque adiumentis, qui regnum afflictum & oppreſſum continuis ſuperioribus bellis, in veterem dignitatem ſis vindicaturus. Deus igitur tibi principatum fortunet, vt expecta-

expectationi hominum reſpondens, omni virtute & fœlicitate regnandi, optimi patris tui deſiderium minuas. Bleſis, pridie Id. Februar. M.D.LX.

Philippo Regi Hiſpaniarum Ludouicus Regius, S.D.

POſteaquam reſcitum eſt inter te & Regem noſtrum agi de compoſitione, ſanequàm, pro eo ac debuerunt, omnes hoc optatiſſimo nuntio vehementer gauiſi ſunt. Sed vbi ad pacem conciliatam, affinitatis coniunctionem, velut confirmandæ pacis pignus, acceſſiſſe cognitum, totius Europæ lætitia incredibiliter aucta eſt. Qua de re cùm ſcripſiſſem orationem, quæ in vtriuſque Regis nomine apparuit, quamprimùm eius exemplum tibi offerẽdum putaui. Sed ne cui temerarium videatur, me externum hominem, infimum & ignotum, ſcripto tantum Regem adire: quæſo à te vt mihi des hanc veniam accommodatam præſenti occaſioni, tuæ quidem Maieſtati, quemadmodum ſpero, non moleſtam, vt patiare & munus noſtrum quamuis leue exiguúmque

tibi offerri, & ſeparatim tantæ manſuetudini, tanto in ſumma poteſtate rerum omnium modo gratulari. Quod vt facerem, multa me mouerunt: primùm, quòd huc nec obſcuro nec vario ſermone, ſed & clariſſima & vna omnium voce adferebatur, te à puero optimè educatum, literis honeſtiſſimè velle: deinde, quòd extare cupiebã aliquod meum ſtudium colendæ tuæ dignitatis: poſtremò, vt tanti in rempublicã Chriſtianam meriti laudem literis cuſtodirem, & quãtum ego poſſem, ab obliuione hominum, & à poſteritatis ſilentio vindicarem. Habuiſti patrẽ Carolum V. Cæſarem, virtute, gloria, rebus geſtis clariſſimum: qui bella geſſit omni vita maxima & plurima, penè continentia, cum barbaris atque Chriſtianis, qui ſuperiorum Cæſarũ gloriam prudẽtia ac fœlicitate ſuperauit. Tamen ſi ritè expendamus, certè hoc tantum pacis ſtudium, quod in te omnes prædicant & agnoſcunt, paternis laudibus & victoriis præferri iure debet. Quòd hæ ſine ſtrage multa generis humani parari nõ potuerint. Tua verò conſilia ſpectẽt ſalutem omnium & quietem: quæ ſunt tantò præſtantiora, quantò melius eſt ſeruare, quàm perdere paſſim homines: & iuuandis

dis illis, quam euertendis gloriam quærere. Quamobrem gratulor noſtræ ætati hanc optatam magis quàm ſperatam fælicitatem, gratulor orbi pacem terra maríque redditam, gratulor Gallię & Hiſpanię antiquum fœdus renouatum, gratulor denique nobiliſſimis familiis affinitatem denuò cōciliatam, ex qua omnia ſumma expectãtur. Quod verò ſupereſt, Socero pariter ac Genero diuturnam incolumitatem precor: vt tantis bonis perpetuo fruamur, quæ & diuina clementia, & vtriuſque pietate nobis contigerunt. Vale, Lutetiæ Pariſiorum, Cal. April. M.D.LIX.

Edoardo VI. Anglorum Regi Ludouicus Regius. S.D.

ETſi Britannia gentium nulli poſtferēda eſt, ſiue vbertatem ſoli, & commoditatem maris, & cæli temperiem ſpectemus, ſiue fortitudinem hominum & præſtantiam artium quibus referta eſt, ſiue nobilitatem & antiquitatem regnorum quibus decoratur: tamen ex tot eius laudibus nulla eſt aut amplior aut illuſtrior, quàm quod te regem hodie nacta eſt cùm omnis virtutis cupidiſſimum, tũ verò ſuprà æta-

tem,ſuprà conſuetudinem aliorum huius memoriæ regum, omni politiore humanitate,& linguarum variarum cognitione præditum. Ac cupiueram quidem anteà ſæpius huc venire,vt ſitum inſulæ,genúſque hominum noſſem,& quibus vterentur inſtitutis:ſed mihi vſque ad hanc diem impedimento fuerunt cùm occupationes priuatæ, tum bella quæ inter vtramque gentem diuturna fuerunt. Nuper autem fœdere inter te & Henricum Regem icto, poſt Bononiam receptam: cùm proceres noſtri qui confirmandæ pacis gratia huc venerant, multa de tua indole verè regia prædicarent,hoc magis incenſus ſum, non cupiditate ſolùm luſtrandæ regionis, ſed etiam admirabili fama incredibilium virtutum tuarum. Ac demum huc profectus, & ad te deductus,omnia quæ tribuerētur, tuo merito maiora,quàm aliorum prædicatione, facilè perſpexi. Quæ ego pluribus verbis efferrem, niſi exploratum haberem,te eſſe ea bonitate naturæ, vt eiuſmodi laudes nō aucuperis:atque ita à doctiſſimis præceptoribus inſtitutum, vt has tantas corporis atque animi dotes, quæ in te mirificè elucēt, Deo,cuius eſt vera & ſolida gloria,feràs acceptas. Cæterùm ſi palium

rùm cumulatè gratias agere tuæ maieſtati videar pro præſtãti munere quo me donaſti, quęſo ne meę potius naturæ, quàm magnitudini eius beneficij tribuas. Quam tamen debeo grati animi ſedulitatem perpetuò præſtabo, & qualibuſcunque ſcriptis meis, accepti beneficij memoriam teſtabor. Vale. Londini, Cal. Febr. M D.L I.

Philiberto Emanueli Sabaudiæ, & Margaritæ Biturigum, Ducibus, Ludouicus Regius, S.D.

NOndum ſatis conſtitui vtri gratulari magis debeam, tibí ne Dux magnanime, cui conſenſu duorum potentiſſimorum Regum patria & auita ditio redditur, & vxor deſponſa eſt, quam hæc ætas habet ſpecimen caſtitatis, prudentiæ, modeſtiæ, omníſque decoris muliebris: An tibi, virgo regia, quæ tandem nuptura es principi belli pacíſq; artibus nulli ſecũdo, & nobilitate, authoritate, fœlicitate præſtantiſſimo. Videor mihi iam videre vniuerſam Sabaudiam belli calamitatibus leuatam vtrique obuiam procedere, iam populum innumerabilem ex agris, vicis, oppidis, ſtudio gratulationis effundi: iam reliquos Allobrogas & Pedemontanos gaudiis

exultare ob reſtitutum ſibi Principem, & ob veſtras nuptias fœlices. Ego autem, cùm hanc lectiſſimam vxorem tibi deſtinatam vnam ex omnibus potiſſimùm in aula coluerim: meam erga illam obſeruãtiam viro etiam eius accommodandam putaui, nec abs re futurum, ſi & ipſe ſignũ edidiſſem lætitiæ, quam percepi ex hac amicitiæ coniunctioníſque neceſſitudine, quæ Europę finem bellorum præcipuè attulit. Valete, Lutetiæ Pariſ. menſe Aprili M.D.LIX.

Carolo Lotharingo Principi & Cardinali Ludouicus Regius S.D.

VEllem Deus feciſſet vt tibi potius recentes ſemper ingenij fœtus offerre poſſem, quàm toties precibus meis te fatigare cogerer. Sed animus angoribus confectus quotidie magis ac magis hebeſcit, nec deſperatione debilitatus quicquam poteſt in literis paulò altius vel meditari, vel moliri. Nam cùm à puero omni arti & doctrinæ liberali multùm deditus fuerim, ac meliorem ætatem in aula & luce regni Franciæ egerim: nunquam diſcedens ab illis qui & ſapientia & regenda republica principes habebantur, vt cum doctrinæ

ſtudiis

ſtudiis vſum frequentem rerum pro mea virili parte coniungerem: quòd exiſtimabam omnem cognitionem contemplationémque mancam, ſi nulla actio ſequatur: nondum tamen aut perēnia ſtudia, aut tot labores exantlati ex benignitate regia, cuius pręcipuè promus & condus es, præſidium vllum firmum compararunt: nondum exoptanti mihi, ac tantoperè cupienti, vel flagitanti potius, fructus otij datus eſt ad celebrandas grauiorum artium diſciplinas, atque recolēdas, Ac neſcio quonam meo fato fiat, vt quantò longius progredior, tantò acerbioribus calamitatum fluctibus iacter. Equidem vereor ne tandem tenebris offuſis naufragium faciam, perditis omnibus induſtriæ meę fructibus, & fortunæ, aut ſuborta grauiore tempeſtate, curſum quem ceperam, cogar immutare. Portum enim & perfugium nullum video paratum otij moderati & literati, in quo aduentante ſenectute conquieſcam: niſi tu, qui gratia & authoritate plurimùm preſtas, indigenti mihi opitulari velis. Quod cùm facturum benignè ſæpius receperis, ídque non ſolùm tua ſponte (quod in ſumma beneuolentia puto) ſed etiam plurimorum, ampliſſimorum, ac

grauiſſimorum virorum commendatione adductus:te obſecro per Deum Opt.Max. per præſtantiam ingenij tui & generis, denique per literas ipſas,quarum patrociniū ſuſcepiſti,quæ tibi in omni vita chariſſimę fuerunt, & quibus mortalium generi nihil melius,nihil magis expetendum Dei conceſſu atque munere eſt datum, vt ſi te vnū ex omnibus feci ſemper plurimi,ſi ſumma obſeruantia colui, ſi te toties æquiſſimum æſtimatorem & iudicē præſtitiſti ſcriptorum noſtrorū, quæ iam ſatis multa in hac occupatione aulę atque vitæ edidi,poſtremò ſi dignum regio tuóque beneficio iudicas:obſecro, inquam, vt ſubuenias huic meæ ſolicitudini,vt huic meæ tenuitati ſubleuandæ:vel,vt verius dicam,inopiæ, tuā beneuolentiam & gratiam impertias Noli,quæſo,pati hūc ſupplicem tuum in perpetuis ærumnis ac ſqualore verſari,cui poſita ſunt in te omnia. Quem enim alium appellem, quem obteſter, quem implorē, præter te habeo neminem. Tuum eſt, Cardinalis maxime, hoc munus, promouere literas,iuuare ſtudioſos:tuæ eſt dignitatis, tuæ benignitatis, tuæque pietatis. Itaque me totum tibi, in quo facultas iuuandi tāta eſt, quanta in vllo vnquam fuit, commendo

mendo, & penitus trado. Quem ſi tuẽdum ornandúmque ſuſceperis, vt ſuſcepturum ſpero, addictum, deditum, obſtrictum habebis memoria beneficij ſempiterna. Vale. Bleſis. prid. Idib. Decembris. Anno M. D. L X.

Franciſco Lotaringo Guiſiæ DUCI
Ludouicus Regius, *S*.D.

VEtus eſt mos doctorum hominum laudandus, vt cùm ex literis aliquid ad communem fructum in aſpectum lucémque proferunt, dedicent libros præſtãtioribus illuſtrioribúſque ætatis ſuæ viris, quorum ex amplitudine aut præſidia aduerſus inuidiam, aut ſuis fortunis adiumenta quærant. Itaque cùm nuper è Græco ſermone in Francicum conuertiſſem Ariſtotelis & Platonis duorum præſtantiſſimorum philoſophorum nobiliſſimos de optimo reipublicæ ſtatu libros, plenos quidem illos magnæ eruditionis, ſummæque vtilitatis refertos: quærenti mihi cui hunc meum laborem dicarem, nemo ætate noſtra te dignior occurrebat, cùm ob raras egregiáſque virtutes quibus ornatus es, tum propter res magnas à te domi militiæque geſtas: qua-

rum fama orbem terrarũ peragrauit, & laudem nulla vnquam obliuio oblitera-bit. Nec dubito quin ſi doctiſſimi illi homines reuiuiſcerent, idem mecum ſentirent, ſeque libentiſſimè, ac multo verius cupidiſſimè conferrent in fidem tanti viri, Ducum huius memoriæ nobilitate, fortitudine, fœlicitate, exiſtimatione facilè principis. Quòd ſi quando, in tantis occupationibus, aliquam facultatem vacui ac liberi temporis adeptus, ad hæc ſapientiæ monumenta reſpexeris: profectò multa inuenies, quæ magno tuo ingenio omnium rerum capaci, acerrimóque iudicio ſatisfaciant, cum compluribus aliis de cauſis, tum maximè quòd cum inſtituta degẽdæ vitæ ratione pulchrè conueniant, & ſint ſimilia negotiis publicis ac grauibus quæ quotidie tractas in cõſilio Regis ſanctiore. Addidi porrò his politicis libris ſeptem orationes Demoſthenis, videlicet treis Olynthiacas, & quatuor Philippicas, à me etiam Francicè explicatas, idque propter cognationem quæ fuit huic ſummo oratori cum vtroque philoſopho, & vt ſapiẽter ſentiendi ſcientiam cum ornatè dicendi facultate pro mea parte ſociarem: cõtinuans inceptum atque inſtitutum meum

dirigen-

dirigendi ſtyli, formandíque iudicij, exercitationis aſſiduitate ad præſcriptum tantorum authorum, quorum quiſque in ſuo genere propè perfectus eſt. Nec verò curaui ſolùm verbis ad morem noſtrum aptis illorum ſententias interpretari, ſed eniſus ſum locis obſcurioribus lucem afferre, vt munus tibi donatum ornatius redderem, cæteriſque qui in tuo nomine euulgatum legent, faciſius ad intelligendum. Et quoniam Politica, ſiue ars ciuilis, & prudentia, in vſu præcipuè poſita eſt: vbi res poſcere videbatur, citaui exempla omnis memoriç priſcæ, ac recentis, à me partim videndo, partim audiendo, & legendo accuratè obſeruata in illuſtrioribus orbis terrarum ciuitatibus, regnis, imperiis: conferendo eorum inter ſe ſimilitudines ac diſſimilitudines: dotando mores, inſtituta diſciplinas, leges: perueſtigando initia, progreſſiones, incrementa, imminutiones, ruinas, inclinationes, conuerſiones: tum perſequendo cauſas & rationes ex quibus manarunt, maximè ſecundum præcepta his libris tradita, quæque aſſiduo vſu deprehenſa ſunt, & diuturnitate obſeruationis bis mille aunorum poſteà inuēta. Multus fuit labor in explicandis primùm ſermone

patrio, rebus tam arduis & grauibus, ac exprimenda vertendo effingẽdáque elegantia, & proprietate ſcriptorũ: qui perfectiſſimè in lingua omnium perfectiſſima locuti ſunt. Sed nulla res vnquam erit tanta, quam non perlibenter ſuſcipiã, modò tibi placituram, tuóque honori ſuſpicer inſeruituram. Cui dico, deuoueo, conſecro hãc meam tranſlationem, omnium, quę adhuc in Francia viſæ ſunt, maximè commendãdam: ſiue materiæ ſubiectæ dignitatem, & vtilitatem ponderemus, ſiue præſtantiã & claritatem authorũ reſpiciamus: qui poſt homines natos longè doctiſſimi eloquentiſſimíque fuerunt. Et quidẽ in ſpem maximam, & quemadmodum confido veriſſimam adductus ſum, hunc ipſum laborem meum præter alias prærogatiuas, hoc fore gratiorem, quòd prodeat in publicum auſpicio Ducis nobiliſſimi, & vbique gentium hac ætate clariſſimi. Bleſis VI. Cal. Ianuar. Ann. M. D. LIX.

Franciſco Oliuario Franciæ Cancellario Ludouicus Regius, S. D.

IAm ſextuſdecimus eſt annus, aut non multò ſecus, cùm tibi, quẽ vnum mortalium

talium omniũ maximè colo, & reuereor, primùm innotui. Quo quidem ex tempore memoria teneo, neque meam tibi obſeruantiam, neque tuam mihi beneuolentiam defuiſſe. Ac ſanè tantus vir es omnibus ornamentis ingenij, fortunæ, dignitatis, vt nihil mihi potuerit honorificentius accidere, quàm in tuorum numero haberi. Illud mihi vehemẽter dolet, multos meos magnóſque labores nullo firmiore præmio compenſari, nec quietem ſtudiis impetrari. Itaque video mihi neceſſariò mutandum conſilium: quod tãdiu ſuſpenſum & incertum obſcura ſpe & cæca expectatione pendere, cùm inutile, tum indecorũ: & quòd extremæ dementiæ eſt, in eo diutius elaborare, quod quis deſperatione debilitatus aſſequi nequeat. Antequam tamen aliquid moueam, omnia experiri velut in vltimo conatu decretum eſt, vt teſtatum omnibus faciam, fortunam mihi potius, quam aut induſtriam, aut volũtatem, aut patientiam defuiſſe. Et quoniam magna ſunt verborum tuorum pondera: exiſtimaui ſi vnum verbum cum mea commendatione iungere velles, id mihi valde profuturum. A te igitur maiorem in modum peto, & quæſo, vt in hac tanta gratia

& authoritate nobis alumno tuo deeſſe. Quotidie circumeo & ſupplex prehenſo Reginam matrem, & Cardinalem Lotaringum, & Ducem Guiſium: penes quos ſumma mei iuuandi & ornandi poteſtas: admoneo laborum,& vigiliarũ. Qui omnes verbis me beant, ſed nimium diu differunt promiſſa complere. Poſtulata quidem æqua & debita fatentur, ſed expectãdam occaſionem: quæ cùm ſingulis propè diebus renaſcatur, mea maximè refert, lẽta tarditate,& procraſtinatione aulis vſitata non vlterius ſuſpendi. Quòd ſi in accelerando mihi negotio non grauaberis beneuolentiam nauare, ad tua in me plurima merita maximus hoc facto cumulus accedet. Porrò autem nactus hîc pluſculũ otij, ſcripſi Conſolationem ad Reginam matrem, quam arbitror multò gratiorem fore, ſi accuratiſſimo iudicio tuo, grauiſſimóque teſtimonio probata, veniat in manus hominum. Proinde rem mihi honorificam & valdé optatam facies, ſi inter maximas occupationes legendo percurrere volueris. Putabam me breuiorẽ fore, cùm initiò animum appuli ad ſcribendum: ſed ingreſſum repentè ingenii æſtus abripuit, atque in altum abſtraxit: cúmque mihi viderer

derer nactus ventum ſatis ſecundum, vela orationis cõtrahenda non putaui. Verùm refrigerato inuentionis amore, & redundantia reſecabuntur, & ieiunia explebuntur,& rudia limabuntur, & inculta perpolientur: interpoſita vbique amicorum, qui iudicare poterunt,cenſura. In quibus cùm principem locum teneas,& elegantium literarum reconditiorúmque artium diſciplinis inſtructiſſimus ſis, vnus eris mihi inſtar omnium. Vale. Bleſis III. Non Febr. An. M.D.L X.

Antonio Perrennoto Epiſcopo Atrebatẽſi, Regis Hiſpaniæ Conſiliario primario, Ludouicus Regius, S.D.

TAntus eſt ſplendor in laude vera,tanta in virtute dignitas,vt eos in quibus lumen ſapientiæ ac prudẽtiæ perſpicimus, & amemus plurimùm & maximè obſeruemus. Quapropter conciliata pace inter maximos potentiſſimóſque Reges Chriſtianórum, tuam mihi gratiam continuò quærendam putaui: qui maximis in rebus & gerendis & ſuſtinendis ab ineunte ætate exercitatus,probitatis,doctrinę,fidei,grauitatis, humanitatis documenta tot & tã-

ta vbique dediſti, vt laudes tuæ iamdiu in luce Europæ, & in oculis auribúſque omnium verſentur. Itaque cùm in aula veſtra alicuius potentis viri & gratioſi patrocinio egerem, qui aditum ad regiam maieſtatem daret, tu primus occurriſti quē ego, licet ignotus & externus, literarum fiducia præcipuè rogarem. Nam cùm tu cæteríque vtrinque delecti viri prudētiſſimi, ſalutaribus veſtris conſiliis pacem poſtulāti orbi, vel flagitanti potius, nuper reſtituiſſetis, inſtitui in publica omnium lætitia ea de re ſcribere orationem: quam ideo tibi mittere volui, vt ſi dignā iudicaueris, Regi Hiſpaniæ offeras, ſed grauiſſimi iudicij tui commendatione prius ornatam. Hoc nihil mihi, aut ſcriptioni meæ, honorificentius præſtare poſſis, ídque vt facias vehementer peto, & ſic mediusfidius, vt maiore ſtudio magíſue ex animo nō poſſim. Vale, Lutetiæ Pariſiorum, menſe Aprili, M. D. LIX.

Ludouicus Regius Ioanni Monlucio Valentiæ Epiſcopo, Regis Franciæ conſiliario, S. D.

SIc fuit ſemper cum beneuolentia tua, tum opera prompta omnibus & para-

ta, vt laborantibus amicis occurrere etiam ſoleant, nullius interdum precibus euocata. Quo minus verebor ad tuam opem cõfugere, præſertim cùm honeſtiſſimè mihi cupere ſemper viſus ſis, non meo quidem hercule merito, ſed abundantia quadam humanitatis tuæ. Ego, vt ſcis, iamdiu ſaxũ Siſyphi in aula voluo, necdum tamen magnorum meorum laborum, multarúmque vigiliarum fructũ vllum ſatis vberem cepi: haud diſſimilis Danaidum, quibus olim apud inferos pœna impoſita putabatur, vt aquis fracta dolia implerent, aut Tantali qui in mediis vndis ſiti cõſumebatur, proptereà quòd ibi, vbi plurimi non adhibito interdum magno delectu ditantur, tamdiu maneam inanis: alioqui non omnino inutilis aut indecorus regno futurus, ſi præmia honeſtis ſtudiis perſoluerẽtur. Ac nulla ſpes eſt quicquam me cõſecuturum, niſi primores aulæ & eorum familiares aſſiduè obſecrem, circũſtem, vrgeam. Et quoniam apud illos multum vales gratia, & moris aulici es peritiſſimus, à te enixè peto, vt ſi me dignum tuo auxilio, ſi gratum, ſi memorem, ſi denique literarum cupidum, vel ex hoc ipſo quòd tam vehementer de literis laborem iudicas, vt ſicut adhuc feciſti

amplificandæ fortunæ meæ tuum ſtudium dices. Quòd ſi quicquam impetraro, exiſtimabo cùm procuratione tua, tum commendatione, meis ſtudiis quæ maximè cupierim, præmia contigiſſe. Vale, Bleſis.

Ludouicus Regius Conſtantinus Michaeli Hoſpitali Franciæ *Cancellario, S. D.*

MAgno in dolore ſum, vel mœrore potius, quem ex morte Franciſci Oliuarij Cancellarij optimi ſapiētiſſimíque hominis accepi. Moueor enim tali amico orbatus cuius ex conſuetudine honorifica tantum fructus & vtilitatis in omni genere prudentiæ percipiebam. Nec minus angor, eius deceſſu regno huic noſtro graue vulnus inflictum. Auget etiam moleſtiam, quòd vir egregius, & cùm doctrina propè ſingularis, tum verò incredibili quadam integritate atque animi conſtantia admirabilis, alieniſſimo Franciæ tempore extinctus, & moderationis & prudentiæ ſuæ triſte ſanè deſiderium reliquit. Quem tu quoque tanti faciebas, quāti apud te is eſſe debebat, quem & æſtimares plurimi ob raras excellentéſque virtutes, & tibi amiciſſimum

ciſſimum eſſe certò ſcires. Sed vbi reſcitum, te in illius locum eſſe ſuffectū, atque in hunc ſummum magiſtratum longè gētium nec opinantem accerſitum: id verò non mediocriter dolorem leuauit meum, quòd doctior quàm tu es, aut mihi amicior, nemo ad hanc celſiſſimam ſedem dignitatis, atque honoris poterat vocari. Ac tametſi tuæ ſapientiæ oblata eſt tempeſtas difficillimi temporis, & vndique magni motus videntur impendêre: tamen non poſſum non confiteri, cumulari me maximo gaudio, quòd videam te vnum ex omnibus ad tantum munus, & ad ſummum diſcrimē reipublicæ delectum. Tuam quidem certè iuſtitiam, grauitatem, humanitatem, fidem, præſtantiam lætor in ea tandē luce collocatam, vbi maximè eminere & apparêre poſſit. Ac precor à Deo Opt. Max. vt ea res Regi, populo, plebíque Frāciæ, & tibi tuóque magiſtratui benè atque fœliciter eueniat. Cæterùm ego tibi profiteor ac defero eximium & ſingulare meū ſtudium, in omni genere officij quod ad complectendam tantæ dignitatis acceſſionem ſpectet. In quo & ſi multi mecum cōtendent, tamen de me affirmare non dubitabo, te maioris ſedulitatis, aſſiduitatis,

obſeruantiæque erga te habiturum nemi-
nem. Tantum à te peto, vt quoniam poſt clariſſimi viri mortem orbæ philoſophiæ quaſi tutor relictus es, hanc tueare quantum potes, & eundem te præſtes in me ornando, qui fueris ſæpè in commendando. Quòd ſi huic ſolicitudini, quæ nullã partem neque diurnæ neque nocturnæ quietis impertit, ſubueniẽdum duxeris, me voti ac præmij tandiu expectati compotem propediem facere poteris, nullo tuo incõmodo aut labore. Vale. Chinone IX Maij. An. M. D. L X.

Ludouicus Regius Carollo Mariliaco Archiepiſcopo Viennæ, & Ioanni Moruillerio Epiſcopo Aureliæ, Cõſiliariis Regis Franciæ primariis, S. D.

EA res me maximè ſolicitum habet, quum vos ſumma viros authoritate & præſtantiſſimos ſæpius adeo poſtulatum: ne aut in miſera mea fortuna multúmque iactata cupidius inſtare, aut in veſtra dignitate impudentius videar rogare. Sed quoniam eximia veſtra beneuolentia ex multa victus conſuetudine, honorificiſ-

que

que congreſſibus perſpecta eſt, & integritas, conſtantia, fides, præſtantia vtriuſque in multis magníſque rebus ſpectata: frangam ipſe me, & de curriculo verecundiæ aliquantum deflectens, vltimam hanc opem efflagitabo. Equidem initio rerum atque ſtudiorum meorum ſi proſpexiſſem, tantam in paranda fortuna difficultatem, quiduis potius quàm literas ſecutus eſſem, quæ nil aliud præter curas, ſolicitudines, & intempeſtiuum ſenium afferrent. Omnes enim ad ſtudia præmiis incēduntur, & vbi veri atque honeſti labores nullis honoribus decorātur: illic eorum qui ſeſe optimis artibus dediderunt, & ſpes infringatur, & induſtria langueſcat neceſſe eſt. Quocirca nihil mirū ſi literæ quæ non ita pridē in Francia vigere cœperant, antequā radices egerint, ad interitum ſpectent: vt quò minus huic generi honoris habeatur, eò minora quotidie ſtudia videamus, nec ignoremus quàm in paucis ſpes, quanto in paucioribus ſit facultas. Ac vt de me ipſo aliquid querar: ego cùm à pueritia tantum diligentiæ poſuiſſem in virtute atque humanitate percipienda, tantum in omnis liberalis doctrinæ ſtudio aſſiduitatis: mihi vnquam præſidium defuturum

putarem? vt poſt tot exantlatos labores nullæ opes ſuppeterent, quibus me alere, meáque ſtudia non ſolùm illuſtrare, verùm ne ſuſtẽtare quidem ipſe per me poſſem. Ego cùm tot annos laborauiſſem, vt nõ ex libris ſolùm & in vmbraculis otióque eruditorum ſapientiam adipiſcerer, ſed in medio rerum vſu, & in luce huius regni meliorem ætatem integerrimè egiſſem, notus ob honorem literarum, multáque officia fideliter præſtita, Regibus & eorum familiaribus, conſiliariíſque primariis, ac cæteris in aula cùm authoritate & gratia maximè florentibus, tum verò doctrina & omni ſapientia præſtantibus, quibuſcum aſſiduè verſatus ſum: Cùm tot vigilias ad communem fructum attuliſſem, & in aſpectum lucémque protuliſſem non ſine ingenij commendatione, mihi non futurum in patria locum ſperarem, vbi in hoc flexu quaſi ætatis honeſtè conquieſcerem? Quid igitur faciundum mihi cenſebitis? an quia non excellentibus gratiis aut opibus nitor, animo deficiam? aut pulcherrimum deſeram inſtitutum, à cuius fonte labores mei ad hominum famã & exiſtimationem latius opinione dimanarunt? Immo verò eò etiam elaborabo dili-

diligentius, & euigilabo acrius, quò mihi præclarius aliquando fore ſpero, me non modò nullis impedimentis de ſententia mea deiici potuiſſe, ſed etiam aduerſus omneis difficultates rectũ curſum tenuiſſe. Quibus enim potius hæc vita curis traducatur, quàm his quæ pertinent ad animum optimarum artium diſciplinis excolendum? Mihi quidem ita beatus eſſe videbor, ſi modò in perpetuitate huius conſilij conſtitero: quanuis exitus optatus minimè contingat. Nec verò res vlla erit vnquam in qua ego libentius acquieſcam, conditione vel mediocri contentus. Illud perpetuò animo meo fixum maneat, nullam eſſe auram honoris, nullam ſpem dignitatis, quæ ſapientiæ ſtudio debeat anteferri. vtinam liceat ex his fluctibus aulicis venire in portum nõ inertiæ neque deſidiæ, ſed otij moderati atque honeſti: vbi non ſolùm præſtantiſſimos ſcriptores ad ſapienter ſentiendum ornatéque dicendũ cognoſcam: ſed etiam promam ex me ſemper aliquid, quod ſi eruditis minus ſatisfaciat ob doctrinam, at propter conatum egregiæ in me voluntatis plurimis probetur. Quòd ſi in patria non ſequatur quæ debet fortuna, non ideo ſuccumbam, aut

deflebo tot ſuſceptos fruſtra labores:quoniam non tam præmia virtutis & doctrinæ ſemper putaui ſequenda,quàm ipſam virtutem atque doctrinam. Quin optimæ mentis conſcientia fretus,præſidium quod in Francia negatur,alibi quæram,mihiq́ue eſſe iudicabo patriam vbicunque ſapientię locum inuenero. Ego amplius quàm feci, facere nequeo. Adeſt quidem quod mea diligentia aſſequi potui: ſed abeſt quod Regis beneficio pręſtari & debet & poteſt. Dux Sabaudiæ & eius vxor me accuratè per literas commendarunt, & Franciſcus Oliuarius ſæpius cauſam meam egit: nemóque eſt in aula aut dignitate clarior, aut authoritate grauior, aut humanitate politior, qui nō quibuſcunque rebus poſſet, mihi conſulendum & proſpiciendum duxerit. Quin etiam Regina mater cùm nouiſſimè Ambaſia diſcederet, me coram Rege filio iuſſit bene ſperare. Et Cardinalis Lotaringus de iſto ſæpiſſimè rogatus, ſemper honorificè amantérque viſus eſt de me & ſentire & loqui. Qui ſi eam volūtatem quam vultu & verbis toties ſignificauit, re declarare vellet,non laborarem. Agitur autem non tam de honore aut dignitate (quod quidem optandum eſſet) ſed,

ſed, quod me pudet ſcribere, ne ab omni humana ope deſertus, aut ex Francia abeam, aut inſtitutis deſim ſtudiis. Huic non tam literarum, quàm Franciæ ipſius ignominiæ & turpitudini, quoniam D. Cardinalis vnus hoc tempore præcipuè mederi poteſt, non iam à vobis peto, quod antea ſæpè feci, ſed etiam per ſingularem veſtram erga literas voluntatem omnibus perſpectam, obſecro, vt agatis cum illo apud quem gratia plurimùm valetis: ne hominem ſolo virtutis ſtudio, & fortunæ iniuria calamitoſum deſerat, neu commiſſum velit vt is de quo præclara multa iudicia fecit, & à quo ſumma obſeruantia ſemper cultus eſt, abeat inanis. Quòd niſi in hac tanta authoritate & facultate iuuandi, me ſuo beneficio dignatus fuerit, cedere omnino tempori deliberatum eſt. Nam ſtultitia ſumma eſſet, his artibus inſtructum, in quibus vbique opis eſt ſatis ad benè beatéque viuendum, expectando ſemper miſerum animo pendêre, oberrantem circum potentiorum limina, & aſſectantem eorum menſas, quod quidem aulicis in more poſitum eſt, & operam perdentem ingeniíque fructus, ac proinde dedecorantem literas & ſeipſum.

Cæteros pollicitando lactent, & falſa ſpe producant, quantum voluerint: mihi autem, qui tot annos in aula vixi, nec ſolùm in meis rebus, ſed etiam alienis, expertus ſum ſæua mercede, magnóque dolore, quantum tibi ſit fidei & ſtabilitatis, ſi verba dari diutius paterer, eſſem omnibus ridiculus. Ac præclarè mecum fuiſſet actum, ſi nunquam rationes meas ad hos aulæ ſcopulos applicuiſſem: in quibus multi viri boni naufragium fecerũt, & me tanquã neruis omnibus exectis debilitatũ nunc videtis. Profectò mihi ac tranquillitati meæ rectius conſuluiſſem. Sed quoniam hoc iam in integro mihi eſſe nõ poteſt: à vobis quæſo, vt ſi quis ad eam volũtatem quam in me iuuando adhuc adhibuiſtis, cumulus accedere poteſt, is hac poſtrema mea efflagitatione accedat. Nec verò bonitati diffiſus veſtræ, ſed his in quib' iaceo miſeriis preſſus, eadẽ de re vobiſcũ ago ſimul ac ſeparatim & ſæpius & accuratius. Ac quemcunque exitum res habitura eſt, hanc exiſtimaui epiſtolã ad vos ſcribi oportere, meæ in patriam pietatis teſtẽ, ſummæque erga veſtram amplitudinem obſeruantiæ indicem. Valete, Turoni Feriis Paſchalibus. M. D. L X.

Carolo Lotharingo Principi & Cardinali ampliſs. Ludouicus Regius, S. P. D.

CVm nuper amicitiam inter maximos omnis memoriæ Reges conſtitutam, & pacem flagitãti orbi redditam viderem, facere non potui quin in communi omnium lætitia vehemẽter lætarer. Magnum herculè beneficium tu cæteríque tãtarum controuerſiarũ diſceptatores humano generi dediſtis, atque haud ſcio an nullũ maius eſſe poſſit vel propter Regum præſtantiam, vel delectorum arbitrorum ſapientiam, vel commoditatem mortalium, qui diuturno bello feſſi, tot calamitatibus afflicti, tandem lætæ pacis opportunitate recreabuntur. Qua de re cùm inſtituiſſem aliquid ſcribere, & tanquam in theatro totius Europæ proponere: tu primus occurrebas cui hanc meam orationem offerendam putarem. Quæ ſi tibi magno Principi, & Cardinali ampliſſimo, & viro doctiſſimo probabitur, vberem fructum huius laboris me cepiſſe exiſtimabo. Sic enim tibi perſuadeas velim, cùm à te diſceſſerim,

neminem eſſe in cuius iudicio libẽtius acquieſcam, aut cuius beneficiis me tam eſſe deuinctum non ſolùm confitear, ſed etiam prædicem. Nec verò neceſſe habeo tibi in vllo genere officij ſtudium meum deferre, cùm omnes ſciant me non ſolùm mancipio & nexu, ſed etiam vſu & fructu iamdiu tuum eſſe. Ac quoties tui colendi poteſtas erit, profectò omneis neruos ingenij induſtriæque contendam, vt intelligas nihil mihi reliqua vita præſtabilius futurum tua dignitate. Vale. Lutetiæ Pariſiorum, Cal. April. M. D. L I X.

Philippo Regi Hiſpaniarum Ludouicus Regius, S.

ABſolueram ſuperiorem orationem Rex inuictiſſime, cùm pace confirmata inſuper allatũ eſt de noua affinitate, quam cum Rege noſtro inire decreuiſti: qui optatiſſimus nuncius totius Europæ lætitiam incredibiliter auxit. Celebris igitur hic annus erit & pacis reſtitutione, & cõiunctione nobiliſſimarum familiarum: qui etiam mihi videtur fœlicitatem ſuam cum

cum præſenti veris amœnitate, tum futura frugum ac fructuum vbertate teſtari. Habuiſti patrem Carolum V. Cæſarem, virtute, gloria, rebus geſtis clariſſimum: qui bella geſſit omni vita maxima & plurima penè continētia cum Barbaris atque Chriſtianis: qui Indiæ magnam partem in ditionem ac poteſtatem redegit, cuius principatu totus orbis cognitus eſt, ingenia, artes, libri ferè ad ſummum venerunt, qui ſuperiorum Cæſarum gloriam prudentia ac fœlicitate ſuperauit. Tamen ſi ritè expendamus, certè hoc tātum pacis ſtudium, quod in te omnes prædicant & agnoſcunt, paternis laudibus & victoriis præferri iure debet. Quòd hæ ſine ſtrage multa generis humani parari non potuerint: tua verò conſilia ſpectent ſalutem omnium & quietem: quæ ſunt tantò præſtantiora, quantò melius eſt ſeruare, quàm perdere paſſim homines, & iuuandis illis, quàm euertendis gloriam quærere. Quamobrem gratulor noſtræ ætati hanc optatam magis quàm ſperatam fœlicitatem: gratulor orbi pacem terra maríque redditam: gratulor Galliæ & Hiſpanię antiquum fœdus renouatum: gratulor denique nobiliſſimis

familiis affinitatē denuò conciliatam, ex qua omnia ſumma expectātur. Quod verò ſupereſt, Socero pariter ac Genero diuturnam incolumitatē precor, vt tātis bonis perpetuò fruamur: quæ & diuina clementia, & vtriuſque pietate nobis contigerunt. Vale. Lutetiæ Pariſiorum, Cal. April. M.D.LIX.

D. *Catharinæ Reginæ Ludouicus Regius, S.P.D.*

CVm maximè cuperem pleniori aliquo obſequio demereri Maieſtatē tuam, appuli animum ad ſcribendam hanc Conſolationem, magis adeò vt in hoc genere officij ſtudium meum probarem, quàm quòd te mulierem ſapientiſſimam talibus monitis magnoperè egêre putarem. Scripſi autē latinè: vt ſi digna iudicaretur quæ in tuo nomine apparêret, latius per Europam euagaretur: propterea quòd latina vbique ferè leguntur, cæteræ verò linguæ ſuis cuiuſque gentis finibus continentur. Quod porrò datum eſt otij in hac manſione Bleſenſi, huic potiſſimùm ſcriptioni ſup-

ſuppeditaui, multis alioquin occupationibus diſtrictus. Sed nulla vnquam cura erit apud me potior, quàm de colenda tua dignitate: & quantũ in hiſce literis eniti potero, quantum labore contendere, tantum efficiam, vt hæc mea in te obſeruantia omnibus innoteſcat. VALE. Bleſis, Nonis Ianuarij, M.D.LX.

Eximio Viro D. Ludouico Berengario Gaſto, Delphinati, Ludouicus Regius, S.D.

QVam ſit difficilis armorum cum literis ſocietas, intelligi poteſt ex paucitate eorum qui omni memoria & belli gloria, & doctrinæ præſtantia ſimul excelluerunt. Literæ enim quietis alumnæ, ociique comites non deſiderant ſolùm, ſed etiam poſcunt animos à perturbationibus vacuos, & rerum quæ ad victum cultúmque pertinent copias affluentes, vmbraculis gaudent, & ſimul atque increpuit ſuſpicio tumultus, illico conticeſcũt. Armorum verò vſus paratur labore & tolerãtia, in ſole & puluere, in caſtris & acie-

bus, inter clangores tubarum, buccinarum cantus, ſtrepitus tormentorum, per excurſiones, prælia, nauales pugnas, oppugnationes vrbium & expugnationes. Ac literæ ex optimarum rerum ſcientia, & illuſtrium exemplorum cognitione ſuppeditant ſapientiam: quæ plerumque ex prouidentia timorem affert. Arma excitant audaciam, quam nonnulli temeritatem vocant, vel temeritati proximam eſſe volũt. Cæterùm antiquitas quo tempore ſuperſtitio fuſa per gentes omnium animos oppreſſerat, Mineruam ſtatuerat principẽ belli, & inuentricem artium, eámque pingebat galeatam: & Plato princeps ingenij doctrinęque, qui aliquando militauit, ſcribit eam vt bellicoſam & ſapientem deam in condendis Athenis, quarum cuſtos erat, atque vbi arma & literæ viguerunt, locum elegiſſe talem, qui ob aëris temperiem eſſet ſui ſimiles homines editurus. Hanc quidem armorum & literarum coniunctionem renouas nunc, Gaſte eximie, adiungens militaribus ornamentis laudes quæ ex literarum ſtudiis comparantur. Nam & præſtantium artium diſciplinis delectaris, & militare decus ſequeris: in

mediis

mediis belli ardoribus philoſophans, & inter libros arma tractans. Itaque cùm nec armatum verear offendere, nec verſantem in literis interpellare: qui aſperſiſti comitatem ferocitati martiæ, & facilitatem ei gratiæ qua apud Regem polles: cupiam autem pro ea beneuolentia qua me complecteris, pleniore obſequio demereri, tibi inſtar muneris offerendum putaui quod nuper elucubratus ſum de Franciæ motu, & aliarum gentium caſibus, qui in hanc ætatem incurrerunt. Qui recens ingenij fœtus ſi gratus fuerit, vt video gratos fuiſſe ſuperiores quos legis & probas, erit quod equidem gaudeã, me militari literatóque homini de me præclarè merito placuiſſe, & aliorum ſtudiis quoquo modo commodaſſe. Vale, Lutetiæ Pariſiorum x i. Calend. Nouembr.

Ampliſ-

Ampliſſimo viro atque illuſtriſſ. Gulielmo Poieto, Franciæ Cancellario, Ludouicus Regius S. D.

PHilippus Coſſæus Conſtantienſis Antiſtes, cuius iuſſu G. Budæi vitam explicandam ſuſcepi, author mihi fuit, vt hunc meum laborem nomini tuo conſecrarem: exiſtimãs, quoniam Budæum paulò antè vita fruentem vnicè dilexiſti, quicquid de eo mortuo ſcriberetur, tibi fore gratiſſimum. Ego verò, tametſi videbatur id alienum inſtitutis meis, & in primis arduum, ſtatuebam hanc rem, tam expectatam, & diligentia conſequi, & memoria complecti, & oratione exponere: tamen viro clariſſimo atque doctiſſimo & iuſta imperanti, & præclara cupienti non parẽre nefas eſſe putaui. eóque magis, quòd non aliunde poteram honeſtius primam ineuntis adoleſcentiæ commendationem ducere. Itaque non auſus Patroni mei aut authoritatem aſpernari, aut voluntatem negligere, recuſandi pudore ſcribẽdi onus ſuſcepi. Quod autem erat optandum maximè, vt mihi iuris ſtudioſo daretur aditus ad te ſummum iuris Antiſtitem, Iuriſconſultorúmque principem, & quod vnum ad

meas

meas rationes maximè pertinebat, id non fortuitò, ſed propè diuinitùs datum atque oblatum videtur. Quamobrem quoniam propter obſcuritatem in hominum ignoratione adhuc iacui, nixus præſtantiſſimi viri authoritate, ad tuam amplitudinem confugio: inde aut præſidia aduerſus inuidiam, aut laudi, ſi qua fortè naſcatur, adiumenta quæſiturus. Nemo enim te vno dignior occurrebat: quem in maximis grauiſſimíſque cauſis Reip. noſtræ cognitum, in primíſque ſpectatum Franciſcus Rex Regum potẽtiſſimus & ſapientiſſimus per omnes honorum gradus ad ſummum extulit magiſtratum. Quem ita geris, vt diligentiam admirentur omnes, virtutem agnoſcant: ſitque intellectu difficile, vtrum is magiſtratus ornet te magis, an ornetur à te. Nec verò in minima tua laude ponendum eſt, quòd vt ſemel tanto honore auctus es, tecum habuiſti Budæum ſemper, captus eius & virtute & doctrina: hunc nuſquam à te dimittere, tecum quocunque proficiſceris deducere, in ſuauiſſimo conuictu tuo honorificentiſſimè detinere voluiſti: quî cum remotus ab oculis populi in ſtudiis cognoſcẽdi ſemper aliquid aut diſcendi, quantum reipublicæ ſuper-

fuerat temporis, libentiſſimè atque multò veriùs cupidiſſimè contereres. Quare interim extimeſco, ne refricem hiſce meis literis deſiderium, ac dolorem tuum: quem ex interitu illius longè acerbiſſimum accepiſſe te ſciunt omnes. Quid enim non doleas ereptum tibi hominem magno ingenio, admirabili doctrina, ſingulari prudentia, & tecum omnium conſiliorum ſocietate coniunctiſſimum? Quæ ſi vnà cum illo occidiſſent, immoderatius doctiſſimi viri deſiderium ferēdum eſſet. Sed nec illa occiderūt, alentúrque æternitate, & augebuntur totius poſteritatis memoria. Doctrinā, eius viri coluiſti, quæ viuit, ſempérque viuet in omniū gentium mentibus ac ſermonibus: multò notior, atque illuſtrior poſteris quàm præſentibus futura. Accipies igitur hunc librum, exiguum quidem & tenuem, ſicuti naſcentia omnia ſunt & incipiētia: nec tam re & maturitate, qualia ſolent eſſe adoleſcentium, quàm ſpe fortaſſis & expectatione commendandum: quem tamen ſpero tibi fore iucundum, tum Budæi ipſius cauſa, cuius honori deſtinatus eſt, tum Conſtantienſis Epiſcopi tuæ amplitudinis obſeruantiſſimi nomine, cuius cùm eſſem mancipio & nexu

propius,

proprius, tuum tamen eſſe voluit vſu & fructu. Vale. Lutetiæ Pariſiorum, Calend. Ianuar. M. D. XLI.

In Guliel. Budæi vitam eiuſdem L. REGII Præfatio.

SI quis cõuerſiones rerum humanarum conſideret, & vetera animo repetat, comperiet non omnibus ætatibus, ſed aureis (vt ita dicam) quibuſdam ſeculis egregios homines extitiſſe, in quibus vires ſuas natura potiſſimum ſit experta. Non enim Demoſthenem & Ciceronem præſtantiſſimos oratores, nec Platonem & Ariſtotelem principes ingenij & doctrinę, nec Homerum & Virgilium clariſſimos poëtas, nec Hippocratẽ & Galenum medicorum lumina temerè aut fortuitò ſatos & creatos fuiſſe credendum eſt. Sed profectò fuit quædam vis quæ generi conſuleret humano, illóſque gigneret & aleret: vt artes ad bene beatéque viuendum neceſſarias aut inuenirent ipſi, aut inuentas perpolirent, abſoluerent, atque ad ſummum perducerent. Ac noſtra quidem ætate, quo omnes bonæ artes ſeſe rurſus erigere cœperunt, natura ex ſuperiorum temporum caligine recreata, multos homines

claros & magnos in omni virtute, omni diſciplinarum genere protulit: inter quos admirabile eſt, quantum Budæus vnus excellat, ſiue vtriuſque linguę cognitionem, ſiue magnarum artium, & reconditarum rerum ſcientiam, ſiue vitæ integritatem, ſiue præclara ingenij monumenta, ſpectemus. Itaque ſuſcepi more maiorum, laudabili illo quidem, ſed multis ſeculis intermiſſo, vitam tanti viri explicandam. Nam fuit olim vſitatũ, ſtatuere claris hominibus ex marmore, aut ex ære ſtatuas, teſtes diu futuras magnorum in rempub. meritorum: & ſimul eorum dicta factáque poſteris prodere, vt cum has imagines intuerentur, animum & mentem ipſa præſtantium hominum cogitatione conformarent, certarent cum illis probitate & induſtria: neque prius conquieſcerent, quàm virtute famam illorum ac gloriam adæquauiſſent. Noſtra ætas neſcio quo pacto virtutem inuidia potius, quàm imitatione proſequitur, & honeſtos labores contumelia libentius, quàm ſplendore decorat: ac ſpretis his quorum aut ſcripta aut facta proximè ad antiquorum gloriam perueniunt, veterum laudes cupidius and[illegible]. Perinde quaſi omnis flos ingeniorum ſiti

ſiti veteris vbertatis exaruerit, aut antiquis ſolis aditus ad virtutem patuerit, nobis verò ſit interclusus. Minuenda nimirum eſt hæc opinio tanquam inimica virtuti, vel potius ex animis hominum euellenda: quòd ſi ingrati, credere naturam omnium parentem cuncta ſua munera olim effudiſſe, vt in poſterum ſterilis effœtáque maneret. Quòd ſi ad huiuſce noſtri ſeculi felicitatem animum conuertere velimus, ſine dubio comperiemus noſtros homines antiquis ingenio non inferiores, multos doctrina pares, ſtudio autem & induſtria longè ſuperiores: nec minoris æſtimandos, niſi cæcitate quadam animi eorum laudi & gloriæ inuidere, quàm fauere mallemus. Quamobrē reſipiſcamus aliquando, grati ſimus in æqualium virtute decoranda: ſimus diligentes in illis celebrādis, quibus nulla laus tribui non debita poteſt. tametſi Budæus per ſe ſatis habetur illuſtris, nulliúſque prædicatione eget quo celebrior ſit & commendatior. Eſt ille quidem præclaris ingenij monumentis ad omnē memoriam cōmendatus. Tamen è dignitate patriæ, ex vſu omnium qui literis dant operam, fore putaui, ſi eius imaginem non ſolùm ad intuendum, ve-

rum etiam ad imitandũ quoquomodo exprimerẽ. Quemadmodum enim qui vi tempeſtatis à recto curſu longius aberrarunt, in noctem coniecti, ſi ex continente locíſque ſuperioribus, vnde eſt propinquus aſpectus in mare, lumen cõſpexerint, facilè naufragium effugiunt, tutúmque receptũ inueniunt: Eodem modo qui ſeſe ſcientiæ cognitioníſque ſtudiis dediderunt, ſi varietate rerum magnitudinéque, tanquam fluctibus oppreſſi, animum cõtrahant aut demittant, ſplendore præſtantium hominum & exemplo, velut gubernaculo, eriguntur ac reſiſtunt, atque ex procellis difficultatum, ex æſtibus curarum, per anguſtias, per vada, per ſaxa & cauteis in portum doctrinæ velis paſſis peruehuntur. Itaque cùm omnibus exploratum erit, quæ ſubſidia Budæus habuerit ad tantam eruditionem, quibus initiis ac fundamentis tantæ ſummis in rebus laudes excitatæ fuerint: quæ contra impedimenta obſtiterint, & qua induſtria ſuperarit, vt iam planè grandis & ſine præceptore literas didicerit, quàm multa in vita occupatiſſima legerit, tractarit, ſcripſerit, ex his fructum illum vel maximum percipient in rectam diſciplinæ viam ingreſſi: quod intel-

intelligent, qui maiorem diſcendi commoditatem habent, minimè illud ipſum quod eſt ſummum, deſperandum eſſe, modò quid efficere, aut quò progredi poſſint experiãtur, & adhibeant ad conſiderandas res honeſtas, cognitionéque dignas & tempus & diligentiam. Ad hæc cùm genus vitæ, naturam mores, grauitatem, conſtantiam, præſtantiam, atque prudentiam intuebuntur, id quoque intelligent quòd præcipuè his temporibus ſalubre & frugiferum exiſtimo, nempe ex literis non oſtentationem ſcientiæ, ſed integritatem morum multò magis eſſe quærendam. Nam videre licet quoſdam ex his qui literas profitentur, tanta eſſe leuitate & iactatione, vt his fuerit non didiciſſe melius: alios gloriæ cupidos, temerè & inconſultò quiduis ſcribere: maledicendi auidos nonnullos, alienæ famæ paſſim obtrectare: multos omnis generis flagitiorum ſeruos vt literarum dignitatem mirabiliter comminuant, vel dedecorent potius. Nec verò me fugit quanti ſit negocij vitam tanti viri totam explicare: & eam non modò in animis, ſed etiam in oculis conſpectúque omnium exponere. Quòd ſi minus ea bene dicendo conſequar (quis

enim id vllo modo poſſet?) quæ Budæus benè agendo conſecutus eſt, & ſi nequaquam parem illius virtuti facultatem orationis afferam: at pro noſtro ſtudio meritã gratiam debitámque retuliſſe, nullam apud æquos rerum æſtimatores reprehenſionem habebit. Erit interea ſatis id quidem nobis contendiſſe, non modò vti doctum, quod orbis terræ iudicio comprobatum eſt: ſed ſummum etiam ac ſingularem virum fuiſſe Budæum, & cùm prudẽtia, tum omni virtute excellentem per nos poſteritas cognoſcat. Sed iam ad id quod nobis inſtitutum eſt, veniamus.

Clariſſimo Viro D. Nicolao Baufremontio Baroni Seneſcæ, Ordinis Regij Equiti, Præfecto Præt. aulici, Conſiliarióque in ſanctiore regni Franciæ Conſilio, ac Nomarchæ ſeu Ballino Cabillonenſi, Ludouicus Regius, S. D.

VTrum graue & inſolitum docendi onus in hoc flexu ætatis poſt diuturnũ ſilentium ſuſciperem, an recuſarem, diu multúmque, Baufremonti vir ornatiſſime, dubitaui. Nam & minus exercitatum profiteri in celeberrimo orbis terrarum gymnaſio,

mnaſio, maximis de rebus, magno in conuentu hominũ ſe audiẽdum: vbi nihil niſi perfectum ingenio, elaboratum induſtria, debet proponi, vix arbitrabar eius eſſe qui aliorum reprehenſionem vereretur: & munus honorificè à Rege delatum aſpernari, inofficioſum admodum videbatur, & minimè ferendum. Ac improbantibus hoc meum inſtitutum, ſi nihil aliud reſponderem, niſi me multis negare hortantibus noluiſſe, iuſta eſſet excuſatio, cùm & doctis viris, & ſtudioſis adoleſcentibus, & recta & honeſta petentibus, ſatisfacere voluiſſem. Quorum precibus cùm obſequerer, malui iudicium à cæteris meum requiri, quàm ſi abnuiſſem, inſcitiam damnari. Itaque aggreſſus ſum, non tam ſpe ſatisfaciundi illis qui id à me contẽderunt, quàm experiundi quantum in eo genere poſſem voluntate. Tum verò vt quotidiana docẽdi exercitatione orationis Latinæ facultatem, ſi qua fuit in me, longa intermiſſione ſcribendi exareſcentem, & quaſi ceſſatione euaneſcentem, quoquo modo repararem, & intelligendi prudentiam acuerem, & eloquendi celeritatem incitarem, & memoriam rerum verborúmque firmarem, qua vna omnis vitæ vſus, omnéſque artes ma-

ximè continentur, ac demum ſcriptis noſtris qualibuſcunque vim, motúmque maiorem & tanquam ſpiritum afferrem. Orationem autem à me initio huius muneris publicè habitam cùm plures flagitarent, nec ſatis ad exſcribendum eſſet expedita, feci non inuitus illorum rogatu, vt ederem. Atque in tuo nomine volui apparere, cùm propter ſummam meam in te obſeruantiam, tum ob ſingularem tuam erga me beneuolentiam, ortam primùm ex literarum commendatione: quarum te in omni nobilitate Francica amantiſſimũ cognoui, deinde crebris congreſſibus aulicis, & gratiſſima victus conſuetudine auctam, atque confirmatam. Nec verò familiaritas tua mihi ſoli patet, quem ſcis ab optimis artibus abhorruiſſe nunquam: ſed videre licet domum tuam ſemper refertàm doctis hominibus, qui etiam ad amicitiam tuam ſe cupidiſſimè applicant. Iam quantum illud eſt, quòd in maximis occupationibus nunquam intermittis ſtudia doctrinæ, nec legendis libris ſatiaris? Accedit ſumma prudentia cumulata vſu rerum plurimarum. Quare cùm Burgundiæ tuæ multum præſidij, multum opis ſæpè attuliſſes, in difficillimis grauiſſimíſque

eius

eius temporibus, relata inde magna laude fidei, integritatis, diligentiæ, CAROLVS REX IX. admirabili fama illuſtrium virtutum tuarum commotus, te Prætori aulico præfecit; & in auguſtius Franciæ conſilium aſciuit: vt qui prius in oculis auribúſque gentis tuæ verſabare, idem in luce regni ampliſſimi cognoſcereris. Accipies igitur ταῦτα τὰ προλεγόμενα πολιτικά tibi dicata, in quibus emittendis ſi quid peccetur, velim iudicij noſtri errorem excuſari, ſtudio gratificandi illis qui eam à me editionem expreſſerunt. Vale.

PAVLI MANVTII PRAEFATIONES, QVIbus libri, ad illuſtres viros, aut ad amicos miſsi, commendantur.

Ad Matthæum Senaregam, Ambroſii filium,

TV ne, Matthæe Senarega, an meo dicam felici cõtigiſſe facto, vt relicto Louanienſi celebertimo Gymnaſio, quo tanquam ad mercatum bonarum artium, virtutis & eloquentiæ comparandæ cauſſa conceſſeras, Venetias te hoc potiſſimùm nomine contuleris, quod noſtri, vt ipſe dicere ſolitus es, videndi & cognoſcendi mira quædam te cupiditas incenderat? tu quidem, ſi tuum ſenſum explorem, vis me hoc tribuere fortunæ tuæ: nã, quod ita euenerit, non modò vt ad amicitiam & conſuetudinem, verùm etiam ad conuictum, & contubernium meum tibi aditus patue-

patuerit: in eo quaſi tibi quiddam expetẽdum cõtigerit, plurimùm ipſe tibi ſolitus es gratulari: de quo non eſt meũ ſtatuere, verè ne ſentias,an ſecùs:at illud meum eſt paucis oſtendere, cur tu contrà mihi chariſſimus, iucundiſſimúſque ſis, &, quòd nunc in meis ædibus mecum habites, mecúmque viuas, in eo ego quoque meæ felicitatis aliquid agnoſcam:nam,ſi tu ita de me ſentis honorificè. quòd iudicio mouearis,ęquum eſt mihi à te concedi, vt ego de te non minus verè, quàm tu de me, iudicare poſſim: ſin iſtam tibi de me opinionem peperit humanitas, me quoque non ſolùm natura, ſed ipſa iam ratio docuit, præclarum eſſe humanitate excellere. Itaque de meo libenter in eam partem, vt homines officiis celam, laudibus exornem, re,ſi opus eſt,pro mea tenuitate ſuſtẽtem. Sed me hercule ego de te, mi Matthæe, à vero animi mei ſenſu iudico,nihil me gratia,nihil afficit ambitio.Primùm,cùm aliquoties mei ſalutandi cauſſa domum meã veniſſes, pellexiſti me in amorem tui, comitate morum,& leuitate ſermonis: deinde,quod iam nõ tibi modò, verùm & aliis, petentibus negaueram, atque excluſeram, vt ego te domo reciperem,eloquentiæque

ſtudiis erudirem, multis precibus vſus peruiciſti. Nec mihi tamē, quod tibi meorum ſermonū cupiditate flagranti, meámque domeſticam conſuetudinem petenti ſatisfecerim adhuc venit in mentem pœnitere, quin, quò plus ad noſtrum conuictum accedit temporis, eò maiorem è tuis moribus, tuíſque ſtudiis haurio ſuauitatē: non enim tam hoc in te laudo, quod certè in adoleſcente ſumma laude dignum eſt, quòd à ſtudio doctrinæ non te ſuis illecebris voluptas, non commodum, non ipſa valetudinis ratio deducit, quàm illud & admiror, & prædicare ſatis pro dignitate non poſſum, quod in tuis cogitationibus hæc tibi prima eſt, & antiquiſſima, vt Deū Opt. Max. à quo vno, quæ verè bona ſunt, emânāt omnia, humanis rebus, quæ fluxę nimis, infirmęq; ſunt, omnibus anteponas. Perge adoleſcens optime in hoc præclaro diuinóque ſenſu. Hæc eſt omniū rerū vna nobiliſſima: vna, mihi crede, quæ omnium Philoſophorum ſcientias: vna, quę omniū Regum opes facilè vincat: quare tu quidē oblecta te, quod facis, eloquentiæ ſtudio, in qua quo modo principia ſedant, futurū auguror, vt breui ſuperiorē neminem, aliquādo ne parē quidē habeas. Sed illud ſtet

in

in primis, neque vnquam excidat, omniũ virtutum pietatem in Deum eſſe fundamentũ, ac vide, quot inde tibi bona fluant. Primùm tuæ ſaluti conſulueris egregiè, animi ſalutem appello, non corporis: decet enim nos æternam potiùs illam vitam omni felicitate circunfluentem, quam hãc, quæ temporum ſpaciis definitur, miſeriis nunquam vacantem, cogitare. Deinde patrem tuum, qui, vt audio de multis, atque etiam de te ipſo, humanam prudẽtiam præ diuina Religione nihil eſſe putat, incredibili voluptate lætitiaque perfundes: cui quantum debeas, non ex eo ſolùm intellige, quòd pater eſt, ſed quòd is pater, qui te filium vult eſſe inter tuos ciues omni re florentem, atque honoratum: qui te conſiliis à puero ſapientiſſimis erudiuit, qui te ſuo exemplo, ſuis optimis inſtitutis ac factis ad laudem quotidie vocat. Tali patri, tam probo, tam tui amanti, tam libenter ſuas omnes curas in te conſumenti, curare debes, vt id, quod reliquum eſt vitæ, per te ſit iucundiſſimum. quod ita conſequeris, ſi ſtatueris, quibus artibus ideo nũc operam das, vt aliquando cæteris hominibus elegantia ſermonis & ſcientia rerum antecellas, earum artium infirmam eſſe gloriam,

niſi perpetuo erga ſummum Deum amore ſtudioq́ue fulciatur mihi quidem, cui tu chariſſimus eſſe aut vis, aut certè ita videris velle, vt mihi perſuadeas, magis vlla re placere non poteris, quàm ſi te in eo, quod inſtituiſti, vitæ innocenter & cum virtute degendę ſtudio conſtantem, tibiq́ue ſimillimum videro Et, vt iam nunc intelligas, quos in animis hominum amoris igniculos vera virtus accendat: ſcis quintum abhinc mēſem mihi tecum nihil fuiſſe, te mihi nunquam viſum, ignotam mihi tuā faciem, obſcurum nomen, nunc apud me quo loco ſis, intelligere te puto. Pauciſſimis diebus ex conuictu conſuetudo, ex conſuetudine amor, ex amore familiaritas exorta. Itaque tecum & ſæpiſſimè ſum, quod ſub iiſdem tectis neceſſe eſt, & admodum iucundè, quod ea, quæ in tuis moribus elucet, probitate cōſequeris. Et, quoniam is ego ſum, qui quò me voluntas ducat à ratione profecta, eò libenter ſequar: geſſi morem animo meo tacitè hortanti, vt hanc meam ad te amandum propenſionem nō modò tibi, ſed, quatenus ego poſſim, reliquis etiam hominibus illuſtri aliquo officio ac munere declararem: cumq́ue tuliſſet caſus, vt hoc tempore Ciceronis

nis Epiſtolæ familiares eæ, quas tu iam legendo & peruolutando triuiſti, denuò typis, vt nunc loquimur, eſſent imprimendæ, peropportuna ad id, quod volebam, viſa res eſt: nam, hunc librum ſi cum tui nominis inſcriptione publicarem, putaui me facere quiddam, quod vtrique noſtrum æquè conueniret: tibi, quia ex his primùm Ciceronis Epiſtolis ad latinæ orationis elegantiam informamur, ex his primus eloquentiæ quaſi ſuccus, qui qualis initio fuerit, permagni intereſt, ebibitur: mihi, quia, cùm hic liber omnium ferè verſetur inter manus, circumferet id, quod ego cupio, tuum nomen, & meum de te iudiciũ, meámque ſpem quamplurimis oſtendet. quorum alterum eſt eiuſmodi, vt ego tibi nunc ex æqualibus tuis neminem in vllo genere laudis anteponam: altera, cùm ætate proceſſeris, ea mihi de te pollicetur, quæ ſi euenerint, (omnium autem rerum euentus in DEO poſitus eſt) vir eris inter viros maximus, habebit à te familia tua memoriam nominis ſempiternam; patria verò exemplum in ciuitate virtutis excolendæ præclariſſimum. Venetiis. M. D. LIIII. menſe Maio.

Ee

Ad Carolum Piſaurium Leonardi filium.

BEneficiorum, Carole Piſauri, non eadem omnium eſt ratio: multi, quid detur, ſpectare ſolent, ſua quidque magnitudine metiuntur, nihil attendunt præterea: ego potius quibus de cauſſis, & à quo homine detur, animaduerto, ac, ſi quid in aliquem, aut in me ipſum collatum eſt gratiæ, tanti ſoleo æſtimare, quanti videtur is, qui contulit, æſtimandus. Hinc fit, vt quæ à patre tuo, viro ſapientiſſimo, & cum aliis laudibus ornato, tum verò omnium, quos ego in vita nouerim, humaniſſimo, quę itē à patruo, qui nuper magno bonorum omnium mœrore mortuus eſt, Ioāne Maria, Paphi Epiſcopo, excellēti non minus doctrinæ, quàm bonitate prædito, diuerſis temporibus in me profecta ſunt officia, ea quanquam ſumma non fuerint (neque enim tulit occaſio, neque rationes meæ poſtularunt) pro ſummis tamen acceperim, & earum rerum loco duxerim, quas qui poſſident, beati exiſtimātur: fons enim ille, vnde manârunt, amor fuit, & cum amore iudicium, quod vterque de me habuit: quod equidem, ſi potero, tuebor offi-

ciis, ſtudio certè, omníque prorſus cura, atque induſtria bonum virũ, meritorúmque memorem, præſtabo. Quòd ſi liceret ingenium cum voluntate coniungere, vt alterum alteri reſponderet, & cupiditati vires æquarẽtur, illuſtrarem beneficia veſtra, ac fortaſſe efficerem, vt gratia mihi à vobis aliqua deberetur, gratiam perſoluenti. Verùm, vt, hoc quidem ab infirmitate mea ſperari minimè poſſe, non ſolùm intelligo, verùm etiam ingenuè confiteor: ſic illud facilè polliceor, veréque affirmo, ſi quid aut iam eſt in me facultatis, aut erit aliquando, iis, in quibus aſſiduè verſor, ſtudiis partum & vigiliis, velle me id in omni mea vita, quantumcumque erit, ſeruire totum veſtræ laudi, tuæ præſertim: quæ cùm à meis præceptis & cõſiliis originem duxerit, exornabo eam tanquã opus meũ, quibus potero artibus, qua licebit induſtria, florentémq; pulcherrimis virtutibus alumnum diſciplinæ meæ cùm inſpiciam, gratulabor vtrique noſtrum pariter, fructúmq; amoris & ſtudij veteris in te mei ex tua gloria vberrimũ capiam. Ac tu quidẽ, mi Carole, cùm tibi naſci contigerit ex ea familia, in qua ſemper vetus honor, & ſplẽdor virtutis enituit, nihil debes humile

cogitare, nihil anguſtum, nihil obſcurum, aut inane, excelſa petat animus tuus, ampla, illuſtria, plena dignitatis, & gloriæ. quò te ſemper à tua prima pueritia mea vox incitauit, quò pater tuus, cuius ad te cogitationes curæque referuntur omnes, aſſiduè cohortatur: quò denique te vocant maiorum tuorum exempla, quorum nomina nulla dies extinguet, nulla obſcurabit obliuio: non enim, ſi præſtiteris ea, quę à te expectātur, quæ maxima ſunt, nouum in tuam familiam decus inferes, antiqua renouabis, præclarámque conſuetudinem retinebis in tua domo laudis expetendæ, exercēdarúmque artium optimarum: quibus inſtructos, vtiles fuiſſe patriæ ciues, ſibi & familiæ glorioſos, de tua gēte multos, ſi annales euolueris, inuenies. Verùm quando te ſacris addixiſti, & illud vitæ genus complexus es, quod eſt totum in laudabili ratione, totum in præclaris cogitationibus & factis conſtitutum, non te libera voluntas, vt alios, ad honeſtum rectúmque ducit, ſed quo te primùm die ad Religionem contuliſti, eodem die legem ipſe tibi impoſuiſti perpetuæ continentię: excluſiſti rerum inanium cupiditatē, velle ad ſolidam laudem omnia referre, velle

ſummi

ſummi DEI gloriam in omni vita,id eſt, tuam ſalutem,ſpectare profeſſus es. Quare non tibi monitores, quorum te moueat oratio, exſpectandi: ipſe te excita, ipſe acue, & impelle. Multæ ſunt propoſitæ adoleſcentibus viæ fallaces,obliquæ,inſidioſæ,oculis iucundæ, ſpecie quadam obiecta voluptatis,in quibus errare quotidie vides,& labi,ducem ſequentes libidinem, non rationem, de tuis æqualibus quamplurimos,tu viam virtutis ingredere, ſimplicem,rectam,apertam,principio fortaſſe difficilem,atque aſperam, exitu certè ſalutarem,& glorioſam. Hanc, inquam, viam ſignatam, & impreſſam veſtigiis proborũ ſanctorúmque virorum, ſi vis ipſe tibi charus eſſe, ſi vis ipſe tibi rectè conſulere, vnam ingredere: aut, ſi ingreſſus iam es, curre per eam celeri gradu ad ea, quæ te manent,præmia immortalitatis. Hæc ego pro meo in te amore ſingulari, veteríque erga parentem tuum ſtudio,ſcriptis tecum ago,quæ ſermonibus & libentiùs agerem, & ſæpiùs,ſi liceret. ſed quando te Patauij tua ſtudia,à quibus adduci non debes, me Venetiis mearum rerum ratio,& valetudinis detinet infirmitas, proficiſcetur ad te mea vox,his cõſignata litteris: quæ tecum

erit perpetuò vbicunque fueris, te proſequetur, quocunque ieris. nec verò dubitaui, quin ea tibi paulò gratior eſſet futura coniuncta cum Ciceronis voce, id eſt, cum iis epiſtolis, in quibus cum Attico familiari ſuo non minùs grauiter, & ſapienter, quàm eleganter & ſplendidè loquitur, fructum, vt ſpero, capies ex vtraque non vulgarē: ego enim, vt velis optima, te hortor, Cicero volentem adiuuat: ornat enim eloquētia, conſiliis inſtruit ſapientiſſimis, nam diſputat ſæpè in his epiſtolarum libris ſermone per quam eleganti de ſtatu Reipub de vitiis Principum, vnde fluunt exitia ciuitatum, de viciſſitudine fortunæ, qui tibi erit accuratè legenti ſapientiæ fons vberrimus. A me verò munuſculum hoc habebis meæ in te voluntatis & ſtudii argumentum. Exiguum, inquies, fateor, ſed velim ſpectes animum, non re: quam tamen ne ipſam quidem debes contemnere: ſiquidem eiuſmodi eſt, vt tuas, tuorúmque laudes à me non expreſſas, ſed tanquàm tenui penicillo deſignatas, ſimul cum beneuolentia mea cunctis gētibus patefaciat. Venetiis, M. D. L I I X.

Ad

Ad Benedictum Accoltum Rauennæ Cardinalem.

MAxime eſſet optandum, Accolte clariſſime, vt quæ olim à doctiſſimis viris magno labore, magníſque vigiliis ſunt elucubrata, ea noſtram ad ætatẽ peruenire omnia potuiſſent artium plurimarũ ſcientia, quarum adiumento ad vitam rectè instituendam indigemus; non deſideraretur. Verùm ita caſu neſcio quo accidit, vt ex iis ſcriptis, quæ veteres illi homines ſapiẽtiſſimi reliquerũt, non ſolùm multa prorſus interierint. ſed etiam, quę in hanc diem ſeruata ſunt, ita deprauata, ita mutila legãtur, vt ſæpiſſimè vix, aut ne vix quidem intelligi poſſint. Hoc incommodum pater olim meus magna ex parte ſuſtulit, cuius induſtria multos excitauit, vt, eandem rem aggreſſi, iacentem litterarum laudem pro ſuis quiſque viribus ſubleuaret. quod ſi alij fecerunt, tantùm æmulatione gloriæ permoti: certè cur ego id faciam, hoc plus habeo cauſſæ, quòd cùm pater ſtudioſis id, quod in hoc genere promiſerat, morte præuentus, præſtare non potuerit, hoc me nomine ita appellant, quaſi ad filios ſoleat non paternæ ſolùm rei, ſed volun-

tatis etiam hæreditas peruenire. Hæc me, vt debet, opinio multum mouet, ſed auctoritas tua plurimum quam ego tanti ſoleo facere, vt quancunque tu probas rationem, ea demùm & vtilis mihi, & honeſta videatur eſſe. tu igitur cùm ad hoc poſteritatis adiuuandæ ſtudium nos & vehemẽter, & ſępè ſis cohortatus, effeciſti vt in eam rem tantò alacrius incũbamus, quãtò pluris apud me tua, quàm reliquorum omnium, conſilia ſunt. Quòd ſi labore, ſtudio, diligentia profici hoc genere quidquam poteſt, vt certè poteſt, magnoperè ſpero fore, vt neque te officij tui in me admonendo, neque liberalitatis in adiuuando pœniteat. cuius rei quaſi ſpecimen erit hæc prima Ciceronis orationum pars, quã ex veterum exemplarium collatione diligenter emendatam in manus hominum ſub tuo nomine emittimus: nam, cùm vſu, aut conſuetudine ita comparatum ſit, vt, quibus rebus Principes viri delectentur, in iis rebus multi ſuum ſtudium probare velint: ex quo fit, vt ab aliis canes, ab aliis equos, aut aues nobiles dono dari videamus: commodè me facturum exiſtimaui, ſi quid ego eius generis ad te mitterem, quòd omnibus te præferre voluptatibus intel-

intellexiſſem; ſoles enim quotidie ferè à grauiſſimarum artium tractatione in hæc ſtudia, quæ ſibi ab humanitate nomen adſciuerunt, quaſi in hortum amœniſſimum diuertere: vbi te modò Oratorum, & Poëtarum flores, modò dulcium amicorum colloquia mirificè delectant, vt præter id tẽporis, quòd valetudini dare ſoles, quòd ſanè puſillum eſt, hora nulla ſit, quam non in litteris, & cum virtute traducas quam tuæ vitæ rationem qui ignorant, mirtãtur ſcilicet, vnde illa tibi in aduerſis rebus fortitudo tanta, vnde animi robur illud inuicti, quòd ne illa quidem ipſa, quæ in rebus humanis Fortuna dominatur, vllo pacto poterit infringere, contra cuius vim duplici te præſidio munieris, artium maximarum cognitione, & mẽtis optimæ conſcientia. Hæc eſt aliarum virtutum, quæ in te ſunt multæ, quaſi Princeps, & regina quædam; vt in aliis neminem tibi anteponere, in hac conferre quidem poſſim: nam de prudentia, de pietate, de iuſtitia, ne videar aſſentari, nihil dicam: ne de liberalitate quidem, quę tamẽ ita nota eſt, vt non, qui eam laudet, aſſentator, ſed, qui non laudet, maleuolus exiſtimetur: cùm enim hæc dandi benefici j ratio eiuſmodi ſit, vt

nulla certior ad laudem, nulla item magis lubrica videatur via, propterea quòd in beneficiis collocãdis plerique fortunam hominum ſpectare ſolent, vt eãdem gratiam, aut etiam cum fœnore recipiant: non eſt, quòd in hoc te labi quiſquam arbitretur, cùm & rariſſimè contingat, cuiuſquam opera vt egere videaris, & tu tamen quamplurimis ob eximiam naturæ tuæ liberalitatem atque amplitudinem benignè facere & ſoleas, & poſſis: & cùm de omnibus ad benè merẽdum naturâ es maximè propenſus, tùm verò ipſa te ratio atque doctrina ita conformauit, vt ad eos honeſtandos, qui ſe iis artibus, in quibus ipſe excellis, dedidêre, tuum ſoleas ſtudium libentiſſimè conferre, quæ quidem humanitas & beneficentia tua non ſanè video qui poſſit in vllo maior eſſe, quàm in me tuendo fuit: quæ eſt enim à te res, quæ ad meum commodum attineret, prętermiſſa? quis diligentiùs eſt adhortatus, vt hanc reſtituendæ antiquitatis laudem, qua pater meus olim excelluit, penè afflictam excitarem? quis eam ipſam ad rem perficiendam plura contulit? cum etiam magnis Principibus, tui ſimillimis, ita me commendaris, vt, iudicij tui teſtimonio permoti,

moti, non minimis ad ſe præmiis euocârint. Quæ cum recordor, etſi me ipſum probè noui, tamen interdum mihi aſſentor, & mihi aliquid videor eſſe, quòd à te ſim ornatus. Hęc me inanis ambitio ita delectat, vt illum dolorem, quem ex difficultate capio remunerandi, ſi non tollat, minuat quidem certè. Quanquam tu is es, qui te ſatis ſupérque remuneratum exiſtimas, ſi modò id, quod dediſti, ab eo, qui accepit, intelligis memoria teneri. quo in officio præſtãdo noli credere quemquam eſſe, qui me vincat. & huius quidem rei confido fore, vt aliquando eiuſmodi à me ſigna dentur, quę nullum cuiquam de mea in te voluntate dubitandi locum relinquant: nunc earum rerum, quas ipſi quidem hoc tempore poſſumus, maxima, primum, vt dixi, Ciceronis orationum volumen in tuo nomine apparebit omninò neque amplitudine tua, neque iis officiis, quæ in me contuliſti, digna res videtur: ſed, vt ſpero, muneris noſtri tenuitatem humanitatis tuæ magnitudo ſubleuabit.

Ad Gulielmum Bellaium Langeum, Apud Subalpinas gentes Prorege.

MAgni refert, Bellai ornatiſſime, quo quidque temporis agatur, & ad omnes res non paruum habere momentum ſolet occaſio quædam, & commoditas, qua vti dicuntur ii, qui nihil, niſi loco, facere conſueuerunt: nam, quemadmodum pictorum tabulæ certo loco poſitæ delectāt, eædemque minus bono lumine cōſtitutæ, non item eorum, qui ſpectant, oculos tenere ſolent: ſic actiones noſtræ, mirum eſt, quantum opportunitate commendentur, vt interdum plus in tempore, quàm in ipſa re, poſitum eſſe videatur. quod ego cùm ſemper iudicaſſem, tamen non ſum veritus, quin tibi, in iis rebus vei maximè occupato, quas Rex Chriſtianiſſimus, & poſt hominum memoriam maximus, tuæ fidei diligentiæque mandauit hoc ipſum, quod nunc à me proficiſcitur, officium futurum eſſet vel iucundiſſimum: nam, etſi magna tibi eſt grauiſſimorum negociorum impoſita moles, quam tu ſumma tua cū laude, & omnium penè gentium admiratione ſuſtines, tamen in ipſa illa occupatione ita te litterarum tractatio delectat, vt & legas cum

cum voluptate, quæ alij ſcripta reliquerunt,& ſcribas ipſe, quę à poſteris cum admiratione perpetuò legentur, ex quo illud conſequeris, vt non modò Regis voluntati ſeruias, quod eſt ſumma laude dignum, ſed etiam poſterati conſulas, quo laudabilius eſſe nihil poteſt. Itaque tantum abeſt, vt à maioribus tuis, omni decore affluentibus, ad te ornandum quidquam haurias, vt etiam in te ſit, quod ad illos redundet: nam, ſi tibi aliunde petenda ſit laus, vnde plura ſuppetant ornamenta, quàm à fratribus tuis, maximéque ab eo, qui à Paulo III. ita eſt in Cardinalium Collegium cooptatus, vt ei ſummus Pontifex ampliſſimam dignitatem non quaſi optatam cōceſſiſſe, ſed quaſi debitam perſoluiſſe videatur? Cui quidem viro cùm ad ſummam gloriam nihil deſit, cumque itē tibi eæ res abundè adſint, quibus homines hominibus antecellere videntur, tamen ſit veſtra bonitate & ſapientia, vt viciſſim & tu in illius dignitate atque amplitudine, & ille in ingenio atque in virtute conquieſcat tua. Vterque verò magna apud Regem prudētiſſimū, & ſummo iudicio prędirum auctoritate, magno eſtis apud omnes, nomine & gloria: nam tu quidem, quis eſt tā

lõginqu⁹, cui notiſſimus nõ ſis? nõ ex præſenti corporis forma, (quamquam multas prouincias Regis legatus obiiſti) ſed ex imagine ingenii tui quam veriſſimis eloquentiæ coloribus expreſſam in tuis ſcriptis licet intueri. in hac cum & naturæ tuæ bonitas, & virtutis eximia præſtantia cernatur, ſequitur, vt ex ea qui te norunt, iidẽ ament, quorum ego in numero cùm ita eſſem, vt nemini concederem: tamen non eſt credibile, quantum ad illam ipſam animi erga te mei voluntatem addiderit Gulielmi Pellicerij Oratoris in hac vrbe regij, hominis præſtantiſſimi prædicatio, cuius multi & egregij de tua laude ſermones me, iam anteà commotum impulerunt, vt ex orationibus Ciceronis, cuius tu libros è manibus dimittere non ſoles, alteram partem cum tui nominis inſcriptione diuulgarem: qua in parte ab erroribus & mendis vindicanda quantum operæ ſtudiique poſuerim, mihi ipſe ſum teſtis: quãtum autem profecerim, & tu, & alij iudicabunt. tibi quidem, ſi conſequar, vt voſtra diligentia probetur: ſanè meos labores non exiguo compenſatos eſſe fructu exiſtimabo.

Ad

Ad Alexandrum Cæſarinum Cardinalem.

BEne mereri de litteris, etiamſi vtilitas præterea conſequatur nulla, tamen præclarum inprimis atque egregium eſſe ſemper duxi, quamquam, vtilitatem ſpectare ſi volumus, ea demum ſumma eſt, quæ ex hoc genere percipitur: fructus enim in poſteritatis memoria, & prædicatione poſitus eſt, quem nemo vnquam ſapiens non præſtantiſſimum iudicauit. ſed hæc benè merendi ratio duplex videtur eſſe: nam & qui aliquid ipſi ſcripſerunt, & qui alios vel cohortatione, vel præmio, vt ſcriberent, impulerunt, litteris opem tuliſſe exiſtimentur. quæ duæ rei eiuſmodi ſunt, vt, qui alterutram commodè faciat, ei ſcilicet à ſtudioſis omnibus gratiæ ſint agendæ, qui vtranque, ne haberi quidem ſatis poſſint. Atque hāc laudē, ne apud veteres quidē ſæpè accidit, vt vnus cōſequeretur, propterea quòd qui ea virtute atque fortuna fuerūt, vt & in ingenio poſteris prodeſſe poſſent, & opibus, vt idē facerēt, multos adducere: alterū facile fecerunt, vt eos,

qui doctrina & eloquentia valerent, ad iuuanda literarum ſtudia excitarent: alterum facere, vt ipſi monumentum aliquod induſtriæ ſuæ relinquerent, propter rerum gerendarum curam non ita potuerunt. quod item noſtris temporibus vſu videmus euenire. nam neque multi ſunt, qui præſtare vtrumque poſſint: &, qui poſſunt, iis ferè, cùm velint, non conceditur. cuius generis exemplum, ne id, quod abeſt, aliunde quęramus, concede quæſo, Cæſarine præſtantiſſime, vt à te ſumam, & ſine me hoc impetrare à modeſtia tua, vt ea quæ ſentio, de te dicam: certè enim, qui maiorem aut iuris ciuilis, aut ſacrarum litterarum cognitionem ſit conſecutus, neminem eſſe conſtat, neque tamen hæc ſtudia, quæ humaniora appellantur, quæ nos adhuc ſecuti ſumus, contempſiſti: in quibus etiam diligenter verſatus es, vt illa ſuperiora, quæ quibuſdam ipſa per ſe nimis horrida videtur eloquentiæ pigmentis, cùm velles atque etiam quantum velles, illuſtrare poſſes. Eſt igitur in te ipſo, vnde poſteritas adiuuetur, nec, vt arbitror, voluntas deeſt, ſed otium eripiunt maximarum rerum occupationes: nam quia tua virtus non humili, neque obſcuro loco latet, ſed quaſi in
ſpecula

ſpecula quadam excelſa atque illuſtri poſita eſt, vnde opem oſtentare bonis omnibus videtur: idcirco homines accurrunt ad te, vel vt conſilium, vel etiam vt auxilium petant. Itaque negociis à litterarum tractatione diſtractus ex duabus rationibus, quibus initio bonas artes adiuuari poſſe dixi, alteram inuitus omittis, cùm ipſe nihil ſcribas: alteram ſtudioſe amplecteris cum iis, quos induſtria vides excellere nulla re deſis. Quamobrem Hieronymus Ferrarius, qui ſe iampridem tibi addixit homo & ingenij, & iudicij laude præſtantiſſimus, cùm alia quæ à te habet, prædicare ſolitus eſt, tum illud vel maximè, quod domi tuæ viuens, te permittente, atque adeò libente, totum diem in litteris ponit, & otio fruitur tanto, quantum deſerta in regione vix eſſet. cuius ex ingenio, qui fructus percipiũtur, qui certè maximi ſunt, ii ſanè tuæ liberalitati referuntur accepti A te habemus quę Ferrarius in veterum ſcriptis vel correctione reſtituit, vel explicatione illuſtrat à te emendationes in Philippicas Ciceronis orationes, quas ille plurimas atque optimas ad me miſit, quę iam iamque edẽtur, à te inquam omnes ſunt. Itaque etiam eas ipſas orationes, vt à Ferrario, id eſt, à

te,reſtitutas:& quæ prætereà in hoc tertio volumine continentur,in quibus ipſi,quæ malè affecta erant, multa ſanauimus, tibi inſcriptas atque dicatas emittimus, vt quod beneficium habemus maximum,eius beneficij auctorem agnoſcamus, & huic libro ſummum ornamentum, Cæſarini nomen,apponatur; quare etiam id quod iampridem optaui, fortaſſe conſequar, vt quàm præclarè ego de te ſentiam, cùm intelligas,tu me eum exiſtimes, quo in amicitiam,vel potiùs in clientelam tuam accepto,non peſſimè ſenſiſſe videaris.

Ad Ioannem Monlucium Chriſtianißimi Regis Conſiliarium. Eiuſdémque apud Venetam Rempub.oratorem.

QVod te non fugit,Monluci ſapientiſſime,præſtare omnes cæteris hominibus, ſed alius alia re vult: non enim vniuſmodi ſunt noſtrę voluntates,ſed quoniam ex animo qui variè afficitur tanquàm ex typo effinguntur, ipſæ quoque variæ ſint & multiformes neceſſe eſt,ergo non eadē omnibus prima ſunt. Quoniam verò ex iis,quæ appetuntur,neceſſe eſt aliquid

quid excellat, vt de multis optabilibus vnum optabile maximè ſit: quid ſit id, quod ego cæteris præſtare putem, ſi de me quæratur: dicam id, quod qui aſſequuntur, eorum in poteſtate ſenſus omnium, animique ſunt. Id autem ſine dubio eloquentia eſt, quę tantum poſſidet dignitatis, vt infrà vel eorum fortunæ, quorum imperiũ prouinciæ nutúmque ſequuntur, me quidem iudice conſtituantur: cùm ita accidat, vt ab hac quamcunque in partem volentes ducamur, illis inuiti ſæpè pareamus. Sed quoniam quo loco poſita laus eſt, eum locum maximis difficultatibus natura circũſepſit, vt perueniendi facultatem pauciſſimis relinqueret: non eſt, quare nobis in mentem veniat mirari, cur neque diuturna, neque in multis perfectæ fuerit ſpecies eloquentiæ. illud video, cùm in hanc cogitationem mentis aciem intendi, benè dicendi gloriam duabus rebus ali maximè otio & libertate. Itaque in vrbe Roma, quæ bonorum Oratorum quaſi fecunda genitrix partus edidit vberrimos, neque ante ſecundum Punicum bellum, neque poſt Cæſaris dominationem magnopere fuit, quod in hoc genere, probares, Hannibale victo, hoſtis Italiæ

terribilis nemo fuit. tum in vrbe ſecuritas, tum ſumma tranquilitas orta: tum ſeditioſorum hominum ingenia popularibus concionibus acuit ambitio, conciones, in quam, eloquentiam pepererunt, niſi quid me fallit ratiocinantem: ratiocinor autem ſic, & per hos quaſi gradus interrogationis adſcendo. Eloquentiæ quod ſummum fuit propoſitum præmium conſulatus, qui ſummus honor fuit. conſulatum quis mādauit? populus. populum quis tenuit? Concionator optimus. ergo à concionibus extitit Orator. idémque, ſublatis concionibus, nullus fuit: cùm enim ciuilibus armis oppreſſa Reſpub. iaceret, vetus conſuetudo periiſſet, à populo, cuius poteſtas vniuerſi tranſlata ad vnum eſſet, non iam Magiſtratus, non Præfecturæ peterentur: eloquentiæ, quæ populi gratiam honorum ſpe quæſierat, inanis omnis & ſuperuacanea fuit exercitatio. ſic oratoria facultas, ſummorum hominum ſtudiis exercitationibúſque culta, cùm à duobus Gracchis ad C. Cæſaris ætatem, hoc eſt, per annos centum ferè ita viguiſſet, vt nihil vnquam fuerit illuſtrius, non effugit rerum humanarum commune fatum: quas vbi ad ſummum ſiue induſtria, ſiue natura perduxit,

retrò

retro ferè præcipiti lapſu reuoluuntur. Imperatores deinde multi rem Romanam exceperunt, quorum ætatibus veſtigium veteris eloquentiæ nullum agnoſceres, quid pòſt? multo minus, nam, imperij ſede in Græciam tranſlata, crebræ vaſtationes Italiæ conſecutæ, cùm influentes barbarorum nationum copias reprimeret nemo. tum non eloquentia modò, ſed ipſa penè litterarum memoria funditùs deleta, nec ſuus eſt bonis diſciplinis honor, niſi multis poſt ſæculis reſtitutus: patrûm denique aut auorum noſtrorum memoria, cùm exteros mores Italici cæli temperies aliquando ad humanitatem deduxiſſet, paululùm oculos litteræ ſuſtulerunt. Doctrina primùm, ſeriùs enituit eloquentia, nec mirum: doctrinam enim ſine eloquentia laudamus, eloquentem ſine doctrina rectè intelligens nemo duxit. Nunc in Oratorum nomine, quod eximium ſemper fuit, nihilo minor, atque haud ſcio, an etiam maior, quàm priſcis illis temporibus dignitas & amplitudo eſt. Mittuntur à Regibus ad Reges, aut ad liberas ciuitates, qui non de ſtillicidiis agant, non de iure fundi: quarum rerum controuerſias qui peritè & copioſè diſceptârunt, ſcimus

olim habitos eſſe eloquentes, ſed ea tractent, quæ prudenter diſputata, otium gentibus conſtituere, dignitatem imperij conſeruare, terminos proferre poſſunt. Hoc qui præſtat, eum ego veteribus Oratoribus non comparo ſolùm, ſed etiam antepono: illi cauſſas agebant primùm apud iudices ſorte ductos, deinde apud eos iudices, quibus de aliena re, non de ſua iudicantibus perſuadere Orator ſiue hoc, ſiue illud haud magno negocio poſſet. Nũc agitur in conſilio lectiſſimorum virorum, agitur iis de rebus, vnde ad eos ipſos, qui iudicant, maximum poteſt ſiue emolumentum, ſiue dãnũm redundare: cùm & de publica re iudicent, & in publica, extra quam nihil eſt, priuata cuiuſque contineatur. His probare quę velis, eò maioris ingenij videtur eſſe, quò difficilius ab artificio capitur prudentia. Itaque, cùm hoc multi voluerint, magnum decus atque ornamentum eſt eorum, quibus contigit, vt poſſent, qui ſanè pauci ſunt: maximum verò, ſi cui tantum aut natura dedit, aut exercitatio doctrinæ, vt inter hos ipſos emineret, qualem ſi quis te iudicet. Monluce clariſſime, hunc ego rectè iudicare mihi perſuadeam: nam ſi conſideremus primùm

à quò miſſus Orator ſis, deinde ad quos, tum quibus de rebus miſſus: ita reperiemus, miſſum ab eo Rege, qui omnes Reges ſapientia vicerit, quoniam quidẽ omnium vnus quid contra Fortunam virtus poſſet, maximè declarauit: ad eam Remp. quæ niſi ſapientiſſimorum ciuium copia floreret, ſempérq; floruiſſet, profectò neque tanta nunc eſſet, cùm olim minima fuerit, neque tam diu ſtaret, cùm cæteræ Reſpub. ſuorum ciuium temeritate conciderint: iis autem de rebus eſſe miſſum, quarum quæ magnitudo ſit, ex eorum, ad quos pertinent, opus apparet, quæ tantæ ſunt, vt paucorum imperiis diſtributus terrarũ orbis teneatur. Et cùm hæc legatio tibi perhonorifica fuit, tũ illud ad tui nominis celebritatem longè maximum acceſſit, quod cùm à Principe Turcarum Solymano pacẽ defeſſa bellis Europa peroptaret, eáq; ſine Chriſtianiſſimi Regis interceſſione deſperaretur, vnus electus, qui tãtum muneris obires, acceptis à Rege mandatis æſtate media, ſummis caloribus in Græciam nauigaſti, pacem vt componeres, optabatur: compoſuiſti, hyeme ſumma, difficillimis itineribus, per diſpoſitos equos, in Galliã recurriſti, Exceptus alia cura cũ de ſedãdis

inter Regem tuum, Regémque Britãnum magni momenti controuerſiis ageretur, præfuiſti, te conſulente, agẽte, vltrò citróque curſante, abiectis armis, pacem inter eos firmiſſimo fœdere conſtituiſti. Habes hoc omninò, Monluci, non dico à fortuna, quam caſus & temeritas regit, ſed à te ipſo, qui ad conſilium & rationem omnia refers, vt in tuis actionibus felix vſquequaque ſis nimirum Sors, quam in rebus humanis dominari quidam ſunt opinati, non omnium eſt æquè communis, ſed ipſa ſibi virtus propriam fortunam architectatur Non erras, quia non eſt errare ſapientis: & quia ſapienter agis, omnia procedunt. bonus etiam Orator es, quia bonus vir: ingenium enim probitas commendat. nec minus mouet is, qui dicit, quàm ea, quæ dicuntur. Quòd niſi latinum ſermonẽ in Italia peregrinitas immutaſſet, næ tu nobis longo interuallo & Craſſos, & Antonios te tuliſſes, ſed quoniam ea lingua vtimur, quam multis coëuntibus linguis generatam corrupta conſuetudo peperit: veteribus Romanis oratione diſſimilis, ingenio ſimillimus, non tu quidem loqueris vt illi, ſed vt illi tamen & ſapis, & perſuades. Quare non fuit ab re, cùm ego eos libros,

bros, in quibus perfecti formam Oratoris à Cicerone videmus expreſſam, mēdis anteà deformatos, nunc mea correctione expolitos emitterem: non fuit inquam ab re, tuo nomini dicatos, emittere, vt, quæ de perfecto Oratore traduntur, ea perfecti item Oratoris titulo cohoneſtarētur. hoc cùm ita exiſtimaſſem, quia videbatur eſſe aptiſſimum, feci, & feci eò libentius, quòd, cùm tu mihi & multa iam ſummæ humanitatis officia tribuiſſes, & is eſſes, qui tribuere etiā maiora poſſes: ego, niſi aliquid, præſertim vbi daretur occaſio, retribuerē, verebar, ne ex duobus maximè inſignibus vitiis alterutrius infamiam nō effugerem, vt vel ea viderer, quæ à te accepiſſem, minus meminiſſe, quod à conſuetudine naturáque mea alieniſſimum eſt: vel ea, quæ ſperari poſſent, negligere, quod quia ſuperbi eſſet, abeſt nō modò à fortuna mea, ſed etiam à voluntate plurimum. Venetiis, M. D. XLVI.

Ad benedictum Rhambertum.

NOn ignoras, Benedicte Rhamberte, ſenſuum eſſe quandam in hominibus ſimilitudinem, quæ cùm in conſuetu-

dine cognita eſt, efficitur, vt, inter quos id accidit, amor exoriatur, ab hoc quaſi fonte multorum amicitiæ manârunt. multos etiam beneficiũ cùm obligaſſet, cúmque id, quod acceperant, memoria conſeruatum grato animo redderent, idque vterque fieri ob ingenij bonitatem, & voluntatis erga ſe propenſionem exiſtimaret, ſtatim eſt illam opinionem beneuolentia conſecuta. Itaque duæ cauſſæ ſunt, quamobrem homines ament inter ſe: ſed hæc poſterior, quæ à rebus externis originem ducit, cũ illa ſuperiore, quæ à natura proficiſcitur, nullo pacto videtur eſſe comparanda: illa enim primùm habet eam ſuauitatem, qua (vt opinor) & certa nulla maior eſt, cùm eos, quibus vtimur, & iiſdem rebus, quibus nos & æquè atque nos affici ſentimus: deinde etiam qui in dando & accipiendo beneficio fructus eſt, eo non eget: nam ſi hæc actio benè merendi interdum eſt, & eſſe poteſt in iis, qui voluntate non admodum coniuncti ſunt, quanto facilius exiſtet apud eos, quorum animi ita conſentiunt, vt, quaſi natura hortante, eaſdem eſſe appetere, ab iiſdem fugere videantur? At verò qui officiorum commoditatibus adducti in amicitiam coierunt, etiamſi

etiamſi alter alterũ initio ſummè diligat. tamen ſi quando accidet id quod accidere ſæpè ſolet, vt ea, qua diligere cœperunt, cauſſa tollatur, certè eorum animi pedetẽtim in amore langueſcent. quo in genere animaduertis, Rhãberte, quàm multi quotidie labantur, de quibus facile eſt intelligere quid ſentias, cùm ab eorum inſtituto tua ratio tam vehementer abhorreat: probè enim te quæ noſtra debeat eſſe in iungendis amicitiis cautio, quæ in iiſdem colendis religio, quod item in omni vita præſtandum officium ſit horum librorũ, quos nunc tibi inſcriptos ad te mittimus, lectio erudiuit. ſenſi in me ipſo, quem ab opibus non magnoperè firmum, aut ne firmum quidem, tamen octauum abhinc annum tanto ſtudio es complexus, quantum qui ab omni re paratiſſimus ſit, remunerando compenſare vix poſſit. cúmque rerum mearum ſtatus, vt ſunt humana, interdum mutaretur: memoria teneo te nunquam immutatum, eandam ſemper tùm mihi, tum fratribus meis voluntatem ac beneuolentiam præſtitiſſe. Cùm verò maior aliquanto inter nos conſuetudo eſſe cœpiſſet, quod quidem eſt factum, poſteaquàm te in noſtram vicinitatem contuliſti: facile

ſentio ad meam vitam rectè conformandã quanto mihi obſeruatio tuorum morum fuerit adiumento. Collocutiones verò de litteris noſtræ quid non dicam delectationis, ſed vtilitatis habuerunt? equidem, ſi liceret, totos dies vellẽ tecum ponere. quarum enim ego rerũ cognitione delector, earum in omni genere quæ tui ſit iudicij ſubtilitas, intelligo. ſed hanc latinè ſcribẽdi rationem, in qua multi nunc volunt excellere, pauciſſimi poſſunt, eam verò ſic tenes, vt tuis ſcriptis mihi quidem purius nihil eſſe videatur. quod eò mirandũ eſt magis, quia tuum non (vt alij) diuturno atque aſſiduo librorum vſu, ſed temporum ſtudio ſubſeciuorum, hoc vt poſſes, conſecutus es: nam, vt omittam, quod tibi, cuius fidei atque prudẽtia Veneti Senatus arcana creduntur, otium non ſæpè contingit: ecqui dies eſt, quo non ex amicis tuis aut cõſilio tibi aliquis aut opera, aut etiam re ſit adiuuandus? qua in conſuetudine retinenda nimium diligens eſſe dum vis, accidit ſæpè, vt tuũ potius ipſe commodum, quã officij colendi facultatem prætermittas, quo ego me aptius facere ſum arbitratus, ſi hæc opuſcula, in quibus maximè de officio præcepta traduntur, ad te, quem cognoui

gnoui eſſe omnium officioſiſſimum, mitterem. Genus hoc, Rhamberte, quoddam eſt, quo ego eos, qui de me benè meriti ſunt, remunerari ſoleo. Perpēde rem, nulla videbitur: animum reſpice, gratiſſimum dices.

Ad Diegum Hurtadum, de Mendoza, Caroli Cæſaris à conſilio, eiuſdémque apud Venetam Remp. Oratorem.

SVperioribus diebus, cùm domum tuā veniſſem, vt Benedictū Accoltum, qui apud te diuerſabatur, honoris cauſſa viſerem, quem ego hominem, non tam quia Cardinalis eſt, quàm quia Cardinalatu digniſſimus, vehementer obſeruo: Caſu accidit, cùm ego adeſſem, vt inter vos ſermo oriretur iis de rebus, quę (ab antiquis ignoratæ) noſtra patrūmque memoria non ſolùm inuentæ ſunt ad ſummam etiam elegantiam perpolitæ: cuius generis cùm Accoltus ita multa commemoraſſet, vt mihi quidem, credo item aliis qui aderant, facile probaret veterum ſolertiæ noſtrorū hominum induſtriam antecellere: ſuggeſiſti tu, ne de philoſophia quidem, in qua tan-

toperè antiquitatem admiraremur, tibi videri eſſe dubitãdum, quin ea poſſet etiam nunc expoliri atque ornari, ſi modò, quam quiſque linguam à parentibus atque à nutricibus traditam cum lacte ſimul hauſiſſet, in ea vellet ſcribere: nunc vſu euenire, vt (externo ſermone addiſcendo) totam ætatem conſumamus. Quòd ſi nos à pueritia diſciplinarum cognitioni totos dederemus, non eſſe deſperandum, quin & Platones & Ariſtoteles aliquando poſſent exiſtere: & enim & cælum hoc, vnde ſpiritum ducimus, idẽ eſt, quod olim fuit, & hominum ingenia eadem eſſe poſſunt. praua conſuetudo naturam peruertit, quæ tanquam ager, ſi colitur, fructus edit vberrimos: ſi negligitur, exareſcit. Annos triginta ponimus in verbis percipiendis: quantulum ſpacij reſtat, vt res ipſas conſiderem? licet ad antiquitatem animum referre, num aut Græci illi philoſophi, quorum nomen celeberrimum eſt, ea, quæ ab Ægyptiis acceperant, Ægyptio potius, quàm patrio ſermone ſcripta reliquerunt; aut noſtri aliena lingua, non domeſtica, ſunt vſi, cùm ea, quæ vel de Græcis ſumpſerant, vel ipſi pepererant, in vſum poſteritatis explicarent? conſtat, apud

omnes

omnes gentes, qui ſuas cogitationes litteris mandare voluerunt, eos ferè iis eſſe verbis vſos, quorum ſignificationem matris in gremio cognouiſſent, quod item noſtra ætate ſi fieret, facilè contingeret, quod tu opinaris, Hurtalde clariſſime, vt in philoſophia veterum inuentis nonnihil, vel etiam non parum addi poſſet: neque enim eos, qui fuerunt, vſque eo cogitatione ingenióque proceſſiſſe exiſtimandum eſt, vt iis, qui futuri ſunt, quod præter eà cognoſcerēt, nihil reliquerint. Multa latent adhuc retruſa atque abdita in immenſitate naturæ, quæ eliciet & euocabit in lucem, ſi quis inueſtigandis rationibus, & perſcrutandis rerum cauſſis ab ineunte ætate ſuum ſtudium dederit, quod ab iis fieri commodè non poteſt, vel potius nullo modo poteſt, quibus non ea lingua, in qua alti educatíque ſunt, ſed ea, qua veteres vtebantur, ſcribere conſilium eſt, quorum tu ſi probares inſtitutum, quotuſquiſque tecum eſſet in eo laudis genere conferendus? tenes enim perfectè Latinam linguam, tenes Græcam, Arabicam, alias præterea. Scribis tamen vt in patria tua loquuntur, in quo video quid ſpectes, quod pater tuus egit, vt optimè de Hiſpania me-

reretur, id tu alia quadam ratione cõſequi vis: ille enim cùm annum ageret vix dum quintum & decimum, qua ætate milites in exercitu pauci ſolent eſſe omnium approbatione, qui exercitus regeret, electus, Bæticæ Regẽ, bis acie fuſum, regno exuit, &, quæcunque in eius ditione fuerant, Catholici Regis imperio poteſtatíque ſubiecit. Aliam tu ornandæ atque amplificandæ patriæ tuæ rationẽ iniuiſti: profers enim, quantum in te eſt, Hiſpanicæ linguæ terminos: &, vt ea nõ ſolùm verbis & nominibus, ſed etiam rebus & ſcientiis per te locupletata ab exteris nationibus appetatur, ingenio doctrináque cõſequeris. quod neſcio an omnibus patris tui victoriis atque triumphis ſit anteponendum: nam, etſi, populos bello ſuperare, & imperiũ augere, præclarum eſt: tamen mihi cum animo meo conſideranti multo melior videtur eſſe conditio litterarum, quàm regnorum. hæc enim in vnius hominis fortunam poſita ſunt, & vnius ſępè culpa exſtinguũtur: illæ viuunt, & vigent quotidie magis, neque vlla tẽporis circumſcriptione terminantur. Itaque magni & excellentes viri, qui bellicæ laudis gloria, florerent, cùm earum rerum, quas geſſiſſent, memoriam

non

non ſatis fore diuturnam ſperarent, niſi ab hominibus ingenio præditis celebrarentur: eos, qui id præſtare poſſent, non vulgaribus præmiis affectos in honore ſummo, atque etiam in amore ſemper habuerunt. Quo mihi illorum laus videtur eſſe illuſtrior, qui & res præclaras manu gerere, & quæ geſſerint, literis cuſtodire ipſi poſſunt, quo in numero fuit ſoror illa tua præſtantiſſima femina, cuius militaria facinora cùm audimus, cuiuis tam noſtræ ætatis viro animi magnitudine comparamus: cùm autem ea, quæ ſcripſit, legimus, vel antiquis ſcriptoribus ingenij præſtantia ſimillimam iudicamus. Huiuſmodi cùm in tua familia mulieres exiſtant, de viris quæ ſunt ſperāda? quamquam fratres omnes tui, túque in primis, ea, quæ ſperabantur, iam præſtitiſtis. Itaque Carolus Imperator veſtra potiſſimùm virtute, veſtráque fide nititur: nam fratrē tuum, Marchionem de Mondeſar, qui cæteros ætate anteit, cùm aliis in rebus, tum in victoria Tunetana, equitib⁹ leuis armaturæ & claſſi maximæ præpoſitum, magno ſuis rebus ſenſit eſſe adiumento: alterum autem, Epiſcopatu Iænenſi ornatum, ſummè propter eruditionem & prudētiam diligit: tertium

Indicis prouinciis prorege, quartum Hiſpanicis triremibus præfecit: te primùm ſibi voluit eſſe in cõſilio: deinde, cùm difficultatem quandam temporum penè fatalem impendere, & ea, quæ cogitabat, ſine ſumma prudentia non eſſe tractanda intelligeret, vnum è maximo numero delegit, qui apud Venetam Rempub. id muneris Orator ſuſtineres, quo quidẽ in munere clarior in dies ſignificatio tuæ virtutis elucet: nam ad vſum rerum, quo vales plurimum, addis doctrinæ cognitionem, quam à libris petitam, grauiore in cauſſa conſilium capere ſi vis, explicas, vt, propoſito præteritarum rerum exitu, cautior præſentium ſit deliberatio: quod quoniam maximè præſtant hiſtoria & philoſophia: tu quidem vehementer vtriuſque ſtudio teneris: ſed neſcio quo pacto magis te philoſophia delectat, credo quod pluris apud te eſt, excogitare quæ nemo viderit quàm imitari quæ alij fecerint. Quo in genere cùm omninò nullius ope videaris indigere, quippe qui ita abũdes ingenio, vt, quocunque te applicueris, excellas: tamen vide, quid egerim: iniui rationem, vt iuuare te poſſem: nam hos Ciceronis de philoſophia libros cum vetuſtis exẽplaribus contuli,

tuli, & emendatos ad te miſi, vt tibi, ſi quando eos in manus ſumeres, quaſi faci-lior & expeditior legendi curſus eſſet: ſæpè enim ex te audiui, cùm diceres, antiquorum in ſcriptis ita multa eſſe corrupta, vt in eorum, qui legerēt, animos permiſtè falſa cum veris influerent: cui malo ſi quis mederetur, eum te exiſtimare à ſtudioſis omnibus, ſed à te ipſo certè maximam eſſe gratiam initurum: quæ me vox non cohortata eſt, ſed impulit, vt id facerem, quod feciſſe me vides. Ac fieri tamen poteſt, vt meo te ſtúdio & diligentia nihil iuuerim; & ea, quæ ego nunc in his libris reſtituta, in tuo nomine emitto, iam pridem ipſe habeas omnia, domi tuæ nata; & à te ipſo quæſita: ſed ego ita ſum ratiocinatus, cùm tu à philoſophis didiceris, non in Reges ſolùm, & Principes, qui ſummā iuuandi facultatem habeant, ſed in tenuiores etiam liberalitatis nomen poſſe cadere, quod benè mereri, etiam ſi non poſſunt, tamen & cupiant, & præclarum exiſtiment: eadem ratione fore, vt, quod ego te iuuare voluerim, pro eo id accipias quaſi maximè iuuerim.

Ad Marcellum Ceruinum Sanctæ Crucis Cardinalem.

ESto genus hominum, qui ita ſentiunt: philoſophari, aut totum nihil eſſe, aut non eorum eſſe, qui rerum agendarum in ſtudio verſantur, quorum in altero mihi videntur, cùm homines ſint, beſtiarũ conſuetudinem imitari: quæ tantùm ea, quæ pedibus teruntur, quæque adſunt, intuentur, nihil altum ſuſpiciunt, nihil longinquum cogitant: in altero res à natura copulatas velle ſeiungere: nam, qui ab actione rerum philoſophiam excludit, is, quantum in ſe ipſo eſt, corporis & animi ſocietatem dirimit, cùm & corpus regimine animi, & animus miniſterio corporis indigeat. Sed proferunt multos, quibus ignoratio philoſophiæ non obſtitit, quò minus ea quæ volebant, rectiſſimè perficerent. quaſi verò ſit eadem rerum omniũ natura, &, quod vni aliqua in cauſſa contigerit, id cuilibet omnibus in cauſſis poſſe contigere credibile ſit. naufragiũ facit natationis ignarus, arripit tabulã, &, amplexu tenens, ad littus incolumis à fluctibus appellitur: num idcirco natandi peritiam negemus eſſe vtilem, quòd, ſine ea qui fuit, è periculo

lo

lo tempeſtatis euaſerit? Incidit aliquis in febrem, non curatur, & conualeſcit: tollemus igitur medicinam, quoniam ſunt qui ſine eius ope ſanentur? nihil minus, niſi ſi ea, quæ in caſu ſita ſunt, anteponimus iis, quæ ratio gubernat. quod idem de philoſophia dicendum eſt: nam, vt illud demus, ſine ea multos eſſe laudem cõſecutos: non & hoc dabimus, fore, vt ſine eadem conſequi omnes poſſint, non eiuſdem ſemper generis agendæ ſunt res: eſt, vbi prudentia vel mediocris abundè ſatisfaciat, eſt item, vbi mentis altior contemplatio requiratur. hoc extremum qui poterit, ſequitur vt & illud primum, ſed qui illud primum, non & hoc extremum. quod cùm ita ſit, vtrum præſtet habere, facilis eſt diiudicatio in opinione enim, & eligēdi poteſtate nemo ferè eſt, quin totum partibus cenſeat eſſe præferendum, propterea quòd non totum in partibus, ſed partes includuntur in toto. Ergo, cùm perſpicuum hoc ſit, accidere & poſſe & ſolere, vt philoſophiæ cognitio vtilitatem afferat, ignoratio detrimentum: dubium non eſt, quin ea videatur eſſe cum rerum actione coniungenda. Sed iidem coniungi poſſe negant. quo argumento? aiunt eas diſſimili in

ſtituendam Religioni dignitatẽ pertinent: ſed te tamen à philoſophiæ ſtudio nulla res vnquam potuit diuellere: ſic & animo, & corpori ſuis vtrique muneribus aptè diſtributis, quotidie ferè modò à cognitione ad res agendas, modò à rebus agẽdis ad cognitionẽ traductus, téque ipſe in hoc quaſi circulo identidem reuolues, effeciſti quod ab iis, de quibus initio dixi, fieri poſſe negatur, vt & in tractãdis negociis, & in conſiderãdis rerum humanarũ diuinarúmque cauſſis occupatus, diſpari in ſtudio, pari tamen cum laude verſeris: ex quo intelligitur, ab iis, qui rerum actioni ſe dedunt, & percipi philoſophiam, & tractari poſſe, debere autem oſtendimus: eſt igitur eorum, qui aliter exiſtimant, ſententia omnis explodenda. Nos quidem, & noſtra ſponte commoti, & tuo exemplo impulſi, quotidie magis philoſophiã admirantes, in eius cognitione cupimus acquieſcere, ad eámque magnis defatigati laboribus, & moleſtiis, tanquam ad iucundiſſimum diuerſorium properamus: quò ſi peruenero, vel potiùs cùm peruenero, (cur enim meã ipſe cupiditatem omnibus optimis non proſequar?) tum ego quidem multò, quàm nunc, faciliùs tua in me merita vel tuebor,

vel etiam illuſtrabo. interea non ſumus otioſi, vtinam potius aliquanto minus occupati. prouinciam cepimus duram, atque difficilem, veterum ſcriptorum libros emendare dum volumus, omninò in hoc onere ſuſtinendo valdè ſudamus: ſed animus, tuarum cohortationũ memoria confirmatus, manet in officio, manebítq; dum id, quod inſtituimus, abſoluatur. nunc edimus Ciceronis libros de philoſophia, ſanè multis à mendis, potiſſimum ex antiquo Bernardini Maffei, qui te maximè obſeruat, iuuenis eloquentiſſimi, libro vindicatos, qui cum ita digeſti eſſent, vt in duas partes tributi legerentur, cúmque ego ex iis partibus eam maximè velle tibi inſcriptam emittere, quæ tuæ perſonæ dignitatíque aptiſſima videretur: feci, vt eam diligerem, in qua de natura deorum eleganter & acutè diſputatur: vt, quoniam valdè tibi pro tua veteri erga me voluntate, próque ſummis officiis deberi fructus induſtriæ meę videntur: ij dum ad maturitatem peruenirent, his te interim quaſi floribus oblectares.

Ad

Ad Rainutium Farneſium Cardinalem.

BEne audire, qui eſt rectè factorum fructus, omnes ferè volumus, ampliſſime ac præſtantiſſime Rainuti, ipſum quidem rectè facere, vnde illud quaſi ex fonte deducitur, paucorum hominum ſemper fuit: eſt enim tum perfectæ naturæ tum doctrinæ ſingularis, vt tamen natura ſine doctrina facile poſſit ad laudẽ peruenire: doctrina ſine natura laudabilis nunquam, turpis etiam ſæpè ſit. Itaque vel in agris inculto homines ingenio virtutem tamen coluère: doctrinis autem eruditi viri, quæ ad benè agendum eſſe inſtrumenta debuerant, iis ad perniciem ſuarum ciuitatum ſunt abuſi. quid de Piſiſtrato græcæ hiſtoriæ loquuntur? quid noſtræ de Cæſare? doctum vtrumque, & eloquentem fuiſſe, iis tamen vtrumque ſenſibus, vt, exempla maiorum, & legum ſanctiſſima iura contemnentes, libertatem ſuis ciuibus eripere præclarum duxerint. ergo prima laus bonitatis eſt, quæ nihil, niſi ſeipſum, ſpectat, ipſa ſibi finis eſt: altera doctrinæ, quæ niſi ad bonitatẽ referatur, laudabilis non eſt, ideóque, vt laudetur, finem ſequitur ſe ipſa prçſtantiorem. Quòd ſi quis eſt, qui alterum cum

altero coniunxerit vt & bonus ſit, & idem doctrinis inſtitutus, neque rectum ideo ſolùm cupiat, quia ſit ipſe ad rectum naturâ propenſus, ſed quia, quod rectũ non eſt, id eſſe turpiſſimũ intelligat: hic eſt, quem in vita humana diuina bona conſecutũ putemus. præclara res, ſed exẽplo minus nota: id autẽ vt ego opinor, ob eã cauſſam, quod vnuſquiſque in vitam Principis, tãquam in ſpeculum, intuens, ad illius ſimilitudinẽ ſe ipſe fingit, & format. Ideóque viri ſapientes alterutrũ rectè cupiuerũt, vt aut Reges philoſopharentur, aut regnarent philoſophãtes, vtrum eſſet, futurum vt ex virtute penderemus. Quòd ſi fuit vllũ tẽpus, cùm homines rationes & cogitationes omnes ſuas in philoſophia cõſtituerent: tum profectò cœpit eſſe, cũ auus tuus ad chriſtianę Reip. nimium magno periculo fluctuãtis, gubernacula accerſitus, ſedit in ſede pontificia Pontifex digniſſimus, ea præditus non ſolùm auctoritate, ſed etiam ſapiẽtia, vt hic nos in tantis tẽpeſtatibus ſeruare ſolus à naufragio poſſit: cúmque laudandus eſt maximè, quòd optimè ipſe ſentit, optimis ſemper in ſtudiis, conſiliíſque defixus: tum quod optimos viros adſciuit ſibi & conſiliario, & ſuæ voluntatis adminiſtros:

in quo ego tãtum ſoleo ponere, vt, ſi mihi ad alterutrum eligendum optio detur, non bonum Principẽ malim cum bonis adminiſtris, quàm bonum cum ſui diſſimilibus: ſed benè, quod habemus vtrũque, & Pontificẽ, qualẽ res poſcebat, & Collegiũ tali Pontifice digniſſimũ. Itaque nunc emergit virtus, honeſtũ reuocatur: deſertæ per multos annos litterę patronos habuit, diúque, vt auguror, habebũt: tu Rainuti, fratérque tuus, duo clariſſima Italię lumina, vterque Cardinalis, & Cardinalis vterque optimꝰ, præclaram conſuetudinẽ tenebitis ab auo traditã: certè enim non ideo te Patauij per tot annos ſummi Doctores erudierunt, vt ea, quæ tantis vigiliis quærebas: cõſecutus negligeres: amabis eadẽ, & fouebis: tuúmque erit proprium ſtudium non ſolùm colendæ virtutis, ſed etiam ornandæ. Refer animum ad eos, qui, multis ante ſæculis extincti, tamen in laude viuunt: omnes reperies, his gradibus adſcendentes, ad immortalitatem perueniſſe: quorum tu quia facta imitaris, non dubito, quin eorum ſemper florentibus nominibus ita tuũ nomen inſeras, vt nunquã exareſcat. Materiẽ habes ad gloriam, Anconitanam prouinciam, quam nunc ita regis adoleſcens:

vt ea præſtes, quæ ſæpè deſideramus in ſenibus: quæ quamquam ad eos ſolùm, quibus cum poteſtate præes, pertinere videātur, tamen illa tuæ ditionis terminis non continentur. ſcis conſuetudinem famę: illa nos per ora hominum ſublimos vehit: benefacta ſimul & malefacta æquè circumfert, ſed benefacta laudibus excipiuntur, malefacta conuitiis exploduntur. itaque noli putare, te Picentibus ſolis eſſe continētem, eſſe iuſtum, eſſe beneficum. Picentes hæc vident, longinqui audiunt, & prædicant. te aiunt eſſe, ad quem aditus omnibus pateat, cui ſit iuſtitiæ, ſit pietatis antiquiſſima cura, cuius & poteſtas timeatur, cùm omnia poſſis, & bonitas diligatur, cùm idem non plus licere tibi velis, quàm quantum leges præſcribant. macte adoleſcens laudibus eximie, imitator aui maiorúmque tuorum, rectè cogitaſti, in imperio laudem non eſſe, niſi cùm is, qui imperat, imperio dignus eſt. quod quia tibi ſiue à natura, ſiue à diſciplina, ſiue, vt ego arbitror, ab vtraque ſimul contigit: quod ad naturam attinet, referimus ad Deum: de diſciplina, te ipſum & laudamus, qui ad hæc præclara inuigilaueris: & amamus, quia ſunt amabiles virtute præditi. me quidem & mul-

& multis abhinc annis, cùm Romæ te vidiſſem, atque allocutus eſſem, in tui obſeruantiam voluntas inclinauit, iam tum de tua indole expectantem, ea, quæ conſecuta ſunt: & poſtea Patauij cùm in ſtudiis optimarum artium totus eſſes, iudiciũ impulit. hæc tua Picẽtina legatio quaſi operis perpolitio fuit, in qua theſauros philoſophię, multorũ annorum ſtudio cõgeſtos, explicas, & cum prouincia cõmunicas. Itaque, cùm ego multò antè, quam iſtã tibi administrationẽ ſummus Pontifex demãdaſſet, eos Commẽtarios, quibus epiſtolas ad Atticum illuſtrare ſum conatus, in tuo nomine emittere ſtatuiſſem: poſteà ſimul cum tuis laudibus creuit voluntas mea. Eos igitur nũc emitto, ſeriùs omninò, quàm nonnulli expectauerunt, ſed meam tarditatẽ opus ipſum excuſat. epiſtolas ad Att. interpretanti properãdum non fuit, aliis in rebus poſſum eſſe quantũuis ſtrenuus, in hac quî poſſum eſſe non tardus? primùm multa difficilia, deinde non iiſdem cauſſis omnia, ſed alia propter breuitatẽ, alia propter hiſtorias, alia propter mores. Huc adde, quod mihi quibuſdam in locis non ſatis fuit explicare ea quæ aperta non erant, ſed tentaui, num etiã paulò floridius poſſem,

quàm noſtri Grãmatici ſolent. Neq; tamẽ ſum neſcius, fore multos, qui me in his Cõmentariis vt hebetẽ, quia nonnulla minus acutè viderim, vel fortaſſe etiam vt cęcum, quia prorſus non viderim, reprehendant: qui ſi mihi, cur id faciant, cauſſas afferant probabiles, non committam; vt iidem me etiam vt pertinacem poſſint reprehẽdere: amo enim veritatẽ, neque eam in me ipſo magis q̃ in alio: itaq; cõplectar, ſicubi eam videro. Tibi verò, clariſſime Rainuti, quod in has Ciceronis epiſtolas laboris impẽdi, maximè ob eam cauſam cupio probari, vt, ſi qui verè iudicare aut propter inſcitiam non poſſunt, aut propter maleuolentiam nolunt, eos à conſilio detrahendi tua deterreat auctoritas. Venetiis. M. D. XLIIX.

Ad Alfonſum Carafam Antonij Marchionis Montisbelli F.

SI ſuo quæque res merito penderetur, Alfonſe Carafa, hominum eſſet in virtute vigilantium præclara conditio: contráq;, quos auerſa ratione voluntas ad malas artes, & flagitioſa cõſilia traducit, cum iis peſſimè ſemper ageretur, eorúmque docti exemplo, ſapientiùs deinde alij non modò ſuis, verùm etiam publicis rationibus

bus conſulerent: itidem enim, vt è corruptis ſeminibus vitioſæ fruges, ſic à malis exemplis improba ſtudia, à laudabilibus optima naſcuntur: verùm hoc totum ſecus eſt, quippe non modò ad reprehendendũ, quæ reprehẽdi iurè poſſunt, procliniores, quàm ad laudãdum, quæ laude digna ſunt, omnes ferè ſumus, nec ſatis æqua lãce turpe & honeſtum examinamus, quæ debemus pariter, alterum odiſſe, alterum diligere: ſed etiã ſæpè facimus, vt eas res, eáſq; actiones, quarum cauſas ignoramus, quæque recténe an ſecùs fiant, diiudicare non poſſumus, accuſemus tamen, acerrimáque vituperatione, quæ interdum efferri laudibus oporteret, ea deprimamus. Ac, ne me putes, Alfonſe clariſſime, huius initium ſermonis temerè detuliſſe: ego nunc, ſi neſcis, meam, meam dico? imò verò communem vtriuſque noſtrûm cauſam ago: aut enim vterq; agimus egregiè, aut vterque ſimiliter peccamus. Audíſne tu voces in latinæ linguæ nomen irrumpentes, hominum obtrectãtium, qui rei pulcherrimę ſcientiam reprehendant: qui nos rideãt: ludóſque faciãt, atque etiam, ſi diis placet, odio dignos exiſtiment, quod operæ tantum ac temporis in hoc tam nobili ſtudio

collocemus? tu fortaſſe non audis: totus in litteras abditus, multorum à conſuetudine ſeiũctus: aut, ſi audis, negligis: opinor, magnis non tam fortunæ, in qua tamen ipſa multum ineſt, quàm rerum omniũ laudabiliũ præſidiis ad omnia munitus. me verò, humilis hominẽ loci, hac vna tibi Romani ſermonis cupiditate parẽ, cæteris rebus omnibus inferiorem, iſta ſanè, quæ feriunt aures meas, vehementer cõmouent: non quòd ea, quibus vtuntur, argumenta firma ſint, quæ oſtendam eſſe inania: ſed quòd, vt eam quiſque virginẽ, cuius amore flagret, intactã ab iniuria, puram ab omni labe velit, ſic ego, quaſi lutoſis maculis adſperſam, ac fœdatam eloquentiam, quam ſemper dilexerim, cùm adſpicio, ſenſibus intimis afficior, ſic, vt ferre nõ poſſim. Obiiciunt illud primùm, quatenus aliquid cognoſci poſſit, eatenus in eo laborandum: Latinam linguam obſoleuiſſe iam, & exſtinctam penè totam eſſe: quam enim hodie nationem, vt omnes animo perluſtrentur, latina loqui? quod verò ex ea ſuperſit in libris, minimum id eſſe, tanquam aliquod inane ſimulacrũ corporis exanimis. quocirca neque ſciri perfectè, cùm exiguã partem libri cõtineant, neque pronunciari decen-

decenter, cùm ſermonis vſus euanuerit, à nobis poſſe. Secundo loco ſtatuunt, vt abſolutè percipi, quod negant, Latina lingua poſſit: mirari ſe tamen etiam atque etiam, cur induſtriam in ea perdiſcenda tam diuturnam ponamus: vitio quidem idfieri voluntatis & iudicij: dignitatem in re tantam non eſſe, vt hærere per tot annos in hoc ſtudio debeamus. Concludunt poſtremò, vt de perfecta cognitione, de dignitate ac præſtantia concedatur: tamen eſſe, cùm, ea pulſa, ſucceſſerit alia, minime neceſſariam. Hæc iſti, quæ ſpecie aliquid videntur, ego, re nihil eſſe, ſi quando me præſente diſputantur, oſtendo. Conuenit inter nos, eſſe aliquid in omnibus facultatibus, atque artibus extremum: quo noſtra ſtudia cùm peruenerint, quieſcendum. ſed hoc extremum quibus terminis metimus, reíne natura, an vulgi opinione? ſi opinione vulgi, licet propemodum otioſè viuere: mediocria, quæ putantur excellere, quæramus: id ſatis eſt: illa ſumma, vbi ſummum decus habitat, quæ vulgus ignorat, omittamus. ſin extremum illud eſſe volumus, quò peruẽtum cùm eſt, progredi longius non licet: moderata ſtudia non dantur: perfectam enim ſcientiæ laudem adipiſci, maximi

operis eſt. itaque hoc extremum, quod, opinor. Natura nouit vna, ſapiens nemo vnquam ſe putauit eſſe conſecutum, exſtant litterarum clariſſimis teſtata monumentis exempla ſummorum philoſophorum, qui cùm ætatem in abditarum rerum perſcrutanda notitia contriuiſſent, multáque partim legendo, partim cogitando præclara & eximia reperiſſent, latere tamen adhuc, magnis inuolutam difficultatibus: & veritatem, & aliquid ſibi, atque adeò multnm eſſe quærendum exiſtimabant. Eadem nunc, aut certè ſimilis admodum noſtra ratio eſt. Quærimus id, quod in latina lingua perfectum putamus. non aſſequemur: eſto, veruntamen, quò plus, vt aſſequamur, contenderimus, eò ſcilicet propius, ſi quid ſtudio proficitur, accedemus. At laboris & induſtriæ terminus tamen ſtatuendus aliquis eſt. Concedo, ſed hoc quidem, ſi diligenter attendatur, nihil aliud eſt, quàm perfectum ipſum definire: hoc enim ad vnum noſtri labores intenduntur, hoc vnum noſtra ſpectat induſtria. Perfectum autem ipſum ego mihi ab hominibus imperitis certè definiri nolo. definiăt ii, quibus vtor magiſtris, Cicero, Cęſar, Terentius, Plautus: quorum ex libris,

quæ

quæ latina linguæ ſit elegantia, quæ vbertas, quæ vis, facile poſſum intelligere. quæ ſi, non dico quanta ſunt, (immenſa enim eſſe video) ſed ſi ea mihi magna ex parte cõparaſſem, modum fortaſſe facerem ſtudio meo, ſed vt inter hos, qui nunc homiues viuunt, aliquid eſſe videamur, nihil tamen, ſi verè de nobis ipſis iudicare volumus, præ illis, quorum exſtant ſatis multa ſcripta diuinitus, nihil, inquam, planè ſumus. Quare quod ad ſcribendum attinet, habemus abundè quod imitemur. De pronunciatione verò nimium laboro. quid enim? an putamus in iis ipſis, qui tum Romæ viuebant, eandem pronunciandi rationem fuiſſe? non fuit. confluebãt in vrbem, illecti ſpe ſummorum Magiſtratuũ, quod habuit illis temporibus præmium eloquẽtia, Oratores ex vniuerſa Italia. cauſſas agebãt Romani homines pariter & peregrini, ſono vocis diſſimiles, pronunciatione diuerſi: ſuam tamẽ quiſque pro eo, quantũ quiſque valebat ingenio, laudem ferebat. ſi Curibus educatũ, aut Arpini, orãtẽ in foro audires. Sabinũ ſtatim, aut Arpinatẽ agnoſceres. neq; tamẽ à forẽſi opera, & à iudiciis propterea quiſquã eſt excluſus, quia min⁹ Romanè, hoc eſt, quia min⁹ aptè, minúſve

decenter pronunciaret. Nunc ipſum, in hac, qua Itali omnes vtimur, lingua eſt ne omnium in diſiunctis & longinquis vrbibus ſimillima pronunciatio? mehercule ne in iiſdem quidem: Venetiis enim (domeſtico vtar exemplo) aliter in vrbe media, aliter in extrema loquuntur. quapropter nimis iniuſto priuilegio damnabitur latina lingua, ſi, quod in cæteris linguis vſu videmus euenire, vt non modò diuerſis, verùm etiam iiſdem & temporibus, & locis non ſimiliter omnes pronuncient, id ei præcipuum apponatur: cuius etiam magnis ac præſtantibus meritis aliquid largiri, tum humanitatis, tum æquitatis eſſet. Secundum erat de dignitate, in quo non tam equidem quid ipſe reſpõdeam, quàm quid iſtos in hanc mẽtem impulerit, quæro. Itáne? dignitatem latinæ litteræ non habent? humiles, & obſcuræ ſunt litteræ illæ, quæ populi Rom. nomen extollunt atque illuſtrant? quæ ſummorum Imperatorum fortiter & præclarè geſta per omnes gentes cum laude diſſeminant? quæ maiores opes, quàm vllam vnquam lingua, maiora ſuorum meritorum præmia in orbis terrarum domina ciuitate ſunt adeptæ? Sed ineptus ſim, ſi me patronum latinæ

linguæ.

linguæ profitear, quæ tantum poſſidet eloquentiæ, vt ipſa ſuam cauſſam ſi agat, facile ſe ab aduerſariorum calumnia vindicare poſſit. Nũc quod iſti poſtremo loco argumentum quaſi poſtrema in acie ſubſidiũ firmiſſimum collocant, videamus in eo, quantum roboris ac neruorum ſit: plus enim eſt fortaſſe, quàm vt contemnere, minus certè, quã vt pertimeſcere debeamus. Nuſquam, inquiunt, viget vſus latini ſermonis: aliter nunc omnes loquimur. id verum eſt, ſi quid igitur in latinam linguam ſtudij confertur, opera non benè ponitur. hoc falſum: duplex autem eſt, qua vtor, ratio probãdi. Primum illud ſuſcipio, ac defendo: non: quæcunque neceſſaria nõ ſint, propterea ſpernenda eſſe omnia atque explodenda: deinde, ſi ſpectetur vtilitas, ita latinam vtilem eſſe linguam, vt etiam neceſſaria videatur. Quæ ſunt, quæ verè & propriè neceſſaria dicimus? nimirum ea, quibus carere nullo modo poſſumus. huiuſmodi ſunt primùm elementa, deinde, quibus famen, frigoráque arcemus, victus, veſtimenta, ædes aut ea, quibus hæc parantur: præterea in publicis rebus leges, & magiſtratus, in priuatis ſeueritas & vigilantia ex hoc numero latinam certè non eſſe lin-

guam, facilè concedo: neque enim is ego ſum, qui libenter cum veritate pugnem. Sed præter hæc, quibus hominum vita ſuſtineatur, ac regitur: quàm multa ſunt minimè neceſſaria, quæ tamẽ habemus in deliciis, quæ amamus, quæ etiã honore proſequimur gemmas, & vaſa pretioſè cælata, columnas marmoreas, laqueata recta, ſericas veſtes, textiles picturas, artem in vocibus & fidibus, odores in vnguentis, condimenta in cibis, hæc certè atque huius generis ſexcenta, non vt neceſſitati pareret, ſed vt ſenſibus ſatisfaceret, inuenit induſtria. quæ quin habeat iucunditatis & ornamenti plurimum, nemo negat. quòd ſi, quę ſenſus iuuãt, & laborioſe quęſita ſunt, & retinentur accuratè, quantò nobis ea, quæ animum oblectant potiora debent eſſe? paſcitur animus magnitudine rerum: quid Liuij ſublimius hiſtoria, quę populi Ro. bellicã virtutẽ commemorat? grauitate ſententiarum: quis Cicerone prudentius, quis eruditiùs diſputat? elegantia verborum, & copia: quis eodem ornatior, quis vberior? varietate ſcriptorum, quod genus Romanæ litteræ deſiderant? Poetas habent egregios, hiſtoricos, orarores, philoſophos etiam excellenti doctrina claros,

ros.quæ ſi vera ſunt, (ſint nec ne, res ipſa declarat, ambigere non licet) & ſi voluptatem ſtudioſis latina lingua parit incredibilem, poſſum iſtis tribuere, quod volunt, neceſſariam vulgò non eſſe, dum ipſi contrà, quod ratio poſtulat atque exigit, hoc mihi tribuant, amandam eſſe vehementer atque expetendam Sed hæc ad eam, qua legendo fruimur, voluptatem pars attinet: nunc, quòd eram alterum pollicitus, de vtilitate videamus. Omnes linguæ aliarum admiſtione linguarum, ſi moderata ſit, augentur: ſi nimia, corrumpuntur atque intereunt. quod enim recipitur, id eſſe debet eiuſmodi, vt recipientis naturam ſua vi, ſuáque magnitudine non exſuperet. itaque ſermo hic noſter Italicus multa Gallici ſermonis, multas Hiſpanici, quaſdam aliarum nationum habet partes. cauſſam ſi quærimus, non alia, quàm earum gentium interuentus & conſuetudo, fuit quòd ſi Gallorum, aut Hiſpanorum immenſa multitudo (exempli cauſſa dictum à me ſit, omen quidem inane eſſe volo) ſed ſi earum nationum maior aliqua vis in Italiam eruperit, ac permanſerit: maior ſimul iudicetur Gallici, aut Hiſpanici ſermonis vſus

& fortaſſe aduentitium illud vſque eò valebit, vt hoc domeſticum vincat, ſuíſque ſedibus expellat. quod olim Romanæ linguæ cõtigit, quam multarum ætatum ſpacio multis maximarum rerum adiumentis auctam atque confirmatam, diuerſis tamẽ populis Italiam occupantibus diuerſarum linguarum impetus oppreſſis Cùm igitur lingua linguam amplificet, noſtráque hæc Italica, non multis abhinc ſeculis orta, nec admodum liberaliter præmiorum nutrimentis educata, non ita dum adoleuerit, vt ſuis contenta viribus eſſe poſſit. ſtatuo ſic, atque concludo, acceſſionem ei fieri maiorem non poſſe, quàm ſi cum latina coniungatur: non modò quia nulla plenior, aut ornatior, verùm etiam quia nulla ſimilior: ex quo ſequitur, vt ad coeundam cum ea ſocietatem nulla commodior. Eſt igitur litterarum Romanarum cùm per ſe laudabilis admodum, & iucunda tractatio, tum verò, ſiquidem hunc ipſum, quo nunc vtimur, auctum exornatúmque ſermonẽ cupimus, magnoperè neceſſaria. Atque hęc tu quoque vides, Alfonſe ingenioſiſſime, tuumq́ue iudicium cum mea ſententia coniungis. itaque, cùm à prima pueritia ad eloquentiæ Romanæ cupiditatem incumbere

bere cœpiſſes, poſtea te non ambitio, quæ ſæpè præclarè iacta fundamenta virtutis euertit, non commodum, non illa bonis artibus inimica voluptas abhoc ſtudio deduxit, ac ne nunc quidem langues, cùm tamẽ omnia videas ardere bello, armorumq́ue ſtrepitu aures tuæ quotidie perſonent, quin, dum patrui tui Carolus Cardinalis, & Ioannes Palliani Dux, vterque ob virtutem immortalitate digniſſimus, maximéque pater tuus, Antonius Marchio Montisbelli, natus ad omnem gloriam, omníque Princeps laude cumulatus, vrbem Romam & iura Pontificia tuentur, partéſque in bello quiſque ſuas conſilio, vigilantia, fortitudine ita explent, vt antiquam maiorum ſuorum conſuetudinem referant: ipſe te interea contines in tuis perennibus ſtudiis, animumq́ue tum aliis magno Principe dignis virtutibus, tũ verò maximè excolis eloquentia, doctorem in ea, ducémque nactus diuino quodam munere virum excellentem, Ioannem Paulum Flauium, qui te nouo quodam, planéque admirabili genere diſciplinæ, abductum à vulgi erroribus, per directam ſemitam ad eximium illud veteris Romanæ linguæ decus facile ducit, quo vel cũ ſummis laboribus ac vi-

giliis adſpirare pauci, aut fortaſſe etiã nemo poteſt. quamquam me nonnunquam de ſtatu latinæ linguæ cogitantem miſeratio quædam acerbo cum dolore tangit, quod ita futurum animo cernã, vt hæc per tot iam ſæcula à tot ingeniis tam diligẽter culta latinè ſcribendi ratio, quæ parentẽ noſtram Italiam nobilitauit, quæ tot in nos merita contulit, ætate demum noſtra, niſi remedium aliquod diuinitùs exſtiterit, ſuam honeſtatem omnem neglecta prorſus in perpetuum amittat, quòd ſi rebus inclinatis, iam iámque cadentibus opem ferre quiſquam poteſt, vnus eſt Paulus IIII. Pontifex omnium optimus, idémque diuina potius quàm humana ſapientia præditus, vnus inquam, aut nemo vnquam, & latinam linguam, & laudabilia quæque ſtudia veterem in dignitatem vindicabit. qui cùm frater fuerit aui tui, cúmque illum vna virtus ad eum gradum extulerit, vnde humana omnia deſpicit. ſupra caſus omnes, ſupra fortunam ipſam collocatus: hunc te decet imitari, huius vitam perpetuò ſanctiſſimè traductã, huius omnia facta, conſilia, inſtituta tibi ante oculos ponere. Vides pietatẽ erga Deũ, & in auctoritate Pontificia, id eſt, in ipſa Religione

gione tuenda firmitudinem animi atque conſtantiam vides multiplicem rerum humanarum diuinarumq́ue ſcientiam: trium vero linguarum, Hebraicæ, Græcæ, Latinę cognitionem penè ſingularem. Eloquentia verò prorſus eum excellere omnes fatentur: qui quidem ita quacunque de re nõ modò copioſè, verùm etiam eleganter ac diſertè loquatur ex tempore, vt ei non arte quæſita, ſed è natura donata videatur eloquentia, hunc igitur ſequere, & in illius veſtigio pedem ſtatue: ipſe enim DEVM ſecutus eſt, cùm eam felicitatem, quam plerique mortales ignorant, animo cogitaret. quẽ tu quoq; finẽ ſpectas, vt audio, & ob eam cauſſam futurum homines augurãtur, vt eius dignitatis, quæ ſummæ proxima eſt, inſignia breui omninò cõſequaris. quod cum euenerit, lætabor primùm tua, deinde communium ſtudiorum cauſſa: qui enim tuos impetus ad laudem nunc videmus, tuóſque planè ſenſus intelligimus, an, vbi ad iſtam voluntatem auctoritas atque opes acceſſerint, fore dubitemus, vt à te ipſo diſſentias? Præſtabis Alfonſe tu quidem alia præclara, te ipſo ſcilicet digna, tuáque familia, in qua florere vides heroës permultos gloria circumfluentes,

virtutis in ſtudio defixos: maximè verò gratiam referes optimè de te meritæ latinę lingnę, eámque paulatim Italia cedentem, & ad tranſalpinas nationes magno noſtro dedecore migrantem, in ſuam ſedem domiciliúmq; reuocabis. Cuius gloriæ cauſſa, ſi monẽdus es, monitorem ad te, ſin rogandus, ſupplicem volui mittere Commentarium hunc meum in epiſtolas ad M. Brutum, & ad Q. fratrem: qui cum tibi ſtudia commendat eloquentię, in quibus ego per tot annos, vtinam cum aliqua laude, magno certè cùm labore verſor, commẽdat ſimul, paulò tamen verecundius, ſe ipſum, & vigilias meas, quarum fructus mihi erit vberrimus, tum beneuolentia, tum iudicium tuum. Quæſiui omninò, idque mihi primum fuit, poſteritatis vtilitatẽ, quod eſt proprium familiæ noſtræ: ſed in te ipſum ſimul, cùm huic operam Commentario darem, ſpectaui tu ſi probas ea, quæ litteris mandamus: ſi faues induſtriæ, optiméque te eſſe animatum erga mea ſtudia ſignificas: ergo me, quæ ſumma ſunt, omnia conſecutum putabo.

Ad

Ad Antonium Aelium Polæ Episcopum.

CVm alia multa, quæ vigebant olim, rerum laudandarum ſtudia periiſſe atque extincta prorſus eſſe dolendum eſt, Aeli vir optime ac doctiſſime: tum hanc, in qua ſitam omnes vel maximam vtilitatem intelligunt, interpretandi rationem ita amiſimus, vt ex eorum, quibus noſtra patrumque memoria ſuam hoc in genere induſtriam locare ſtudium fuit, magno ac infinito propè numero, non tamen ita multos, qui tolerabiles videantur: quæ verò excellant, quàm pauciſſimos, aut fortaſſe neminem liceat inuenire: atque huius quidem incommodi culpa vnde manauerit, exponam. Primum illud in controuerſiam non cadit, quò quidque præſtantius, eò laborioſius ac difficilius eſſe. alioqui nihil iam excelleret: quod enim conſequerentur multi, in eo dignitas non eſſet, & ex copia vtilitas exiſteret: eſt igitur in magnis rebus item magna, quæ nos ab earum quaſi poſſeſſione arcet, conſtituta difficultas. Hæc porrò ſimplex non eſt, ſed in duo genera diuiditur, quædam enim, ſicuti æſtimantur, ita difficilia ſunt: quædã, cùm non

exiſtimentur.tamen ſunt vbi difficultas & eſt,& apparet, inde multitudo volũtatem & ſtudium libenter abducit. rem quidem ipſam, quanti eſt, opinione æſtimamus, & vehementer expetimus: magnis verò laboribus & vigiliis vt ematur, non facilè quiſquã à ſe ipſo impetrat. amat enim hominis natura moderatam quietem, eáque alitur & creſcit: nimias contentiones, quibus frangitur ac minuitur, recuſat. Vbi verò facile in ſpeciem aliquid oſtẽditur, difficultas incluſa latet, cuiuſmodi non eſſe pauca, inanis multorum docuit experientia: eo frequẽtes, bona ſpe inuitati, accurrunt, faciléque ad eas res aggrediuntur, in quibus vel mediocrè operam ſi ponant, futurum, vt ex animi ſentẽtia ſuccedat, arbitrantur. quos deinde graui temeritatis infamia refellit euẽtus. Huius generis hęc eſt, de qua orationem inſtituimus, ratio interpretandi: quis enim eſt, qui ſe non exiſtimet Liuium poſſe, Salluſtium, Virgiliũ, ipſum mehercule Ciceronem ita commodè explicare, vt deſiderari ab eruditis benéque intelligentibus viris nihil queat? atque hi, cùm in C. Marij, aut in L. Syllæ nomẽ inciderint: ſi Marij aut Sillæ vitã à Plutarcho ſumptã in ſua ſcripta totã trãſtulerint,

rint,tum ſe ſuas præclarè partes abſoluiſſe exiſtimant:cùm interim, in quo doctrinæ, quæ paulò ſit occultior,appareant notæ,in quo ingenij lumen eluceat,in quo prudentię vis,aut iudicij ſigna cernantur,nihil afferunt. Exire videmus quotidie à poſtremi ordinis hominibus factos, ſpecioſis magnaque pollicentibus titulis inſignes, minimi pretij commentarios, quos non modò qui ſcribũt,falſa de ſeipſis opinione decepti,verùm etiam qui typis impreſſos edũt,iis,qui hoc de genere iudicare poſſunt, inconſultis quodãmodo deformant præclara ſtudia litterarũ,& de poſteritate ipſa peſſimè merentur:ſed cætera, quæ ferenda non ſunt,feramus tamen ,ac diſſimulemus ſanè multa. Commentarios verò illos, qui paſſim leguntur, in Ciceronis orationes, (quem librum? latinorum omnium facilè principem) grauem , inquam , illam immenſi voluminis molem quis eſt , qui ferre vllo modo poſſit? loca ſunt in Ciceronis orationibus malè mendis affecta quàmplurima, ſanari nullum videas, ſunt ob antiquitatis obſcuram notitiam difficilia:quis eſt de tot interpretum numero , qui lumine explanationis illuſtret? denique communia tantum , quæque

omnibus penè patent, ea ſumunt ad explicandum: ex abditis, quo ſine labore & ingenio acceſſus non eſt, doctrinæ fontibus nihil hauriunt, contráque multa corrumpunt magis, dùm emendare conātur, multa explanando peruertunt, & pulcherrimas ſæpè ſententias turpiſſimis inſcientiæ maculis inquināt. Quæ me ita commouit indignitas, itaque meum animum, vt verè dicam, miſeratio quædam affecit, quaſi ob illatam viro optimo, egregiéque de litteris merito, Ciceroni, qui Romanæ terminos eloquentiæ longiſſimè protulit, ignominiam, vt ſtatuerim ſi cum vita valetudo, & cum valetudine otium ſuppetat, triennium, aut quod omninò res exiget ſpatij, in hoc omnium pulcherrimo libro interpretando ſtudioſorum gratia conſumere: non quod ego is ſim, qui mihi tantum arrogem, vt aliis detractam ſcientiæ laudem ad me transferam: abeſt hoc à conſuetudine mea, abeſt à natura plurimum: ſed neque rurſus is ſum, qui cùm cæteros probè nouerim, ipſe me prorſus ignorem: & qui, cum alios accuſem propterea, qui non præſtant ea, quæ ab eorum ſtudio poſtulantur, ego me, ſi quid præſtare poſſe mihi videor, velim cōtemnere. Non ita laudem

fugio

fugio, etſi nec nimis appeto: alterum ſtupidæ cuiuſdam ſapientiæ, alterum inſanæ ambitionis eſſe vitiũ ſemper duxi, neque verò ſi quid mihi elegantioribus in litteris aſſumpſero, longè admodum ab iis finibus, quos modeſtiæ ratio præſcribit, diſcedere mihi videbor: ſcis tu Aeli, pro noſtra vetere amicitia & familiaritate, per quot annos, quibus laboribus hæc, quæ ab humanitate nomen acceperunt, ſtudia coluerim: ſciebat optimè omnium, & mihi, cùm viueret, hoc nomine tribuebat plurimum, Bernardinus Maffeus Cardinalis, meus ille in omni mihi vita deflendus Maffeus, vrbis deliciæ, lepor, humanitas, exẽplum antiqui officij, flos omnium virtutũ: is amabat hæc ſtudia mirificè, eáque quibus poterat rebus (poterat autem plurimis) tuebatur, & fouebat. Benè autem de hac quæcunque in nobis eſt, vel potius quantulacunque eſt latinæ orationis facultate exiſtimabat, méque quotidie, quãtum poſſem, vt latinè ſcriberem, vrgebat, & ſcribebat ipſe, vt ſcis luculenter & egregiè: probabat omninò meum conſilium, & efferebat, maximè de Commentariis in Ciceronis orationes: ſed exerceri malebat priùs induſtriam meam in Antiqui-

tatibus Romanis, ipſo potiſſimùm auctore inſtitutis. Interim vt quaſi ex vnius partis forma de toto liceret ædificio conijcere, vnam aliquam, quæ ſpecimen ingenij mei præberet, orationem ſubſeciuis horis vt exponendam ſuſciperem, hortatus eſt. Ego ſumpſi pro Sextio, nec multis poſt eum ſermonem menſibus hunc, qui nunc in tuo nomine, Antoni Aeli, apparebit, Commentarium abſolui, &, quod, ille ſi viueret, feciſſem, vt hoc ei, quidquid eſt, muneris deferrem, ſtudio meo commotus, illius virtute impulſus: idem nunc, iiſdem adductus cauſis, tecum facio libentiſſimè: nam cùm amicitia inter nos eſt, quanta inter duos, quorum & voluntates & iudicia conſentiant, eſſe poteſt maxima: tum habes virtutem, non eam, quæ petitur à libris, quæ vno ſcientiæ nomine definitur, ſed eam, quæ oritur ex animi præſtantia, & multas in ſe laudes continet: ſtudium in ſuſcipiendis Eccleſiæ cauſa laboribus, conſtantiam in perferendis, humanitatem in excipiendis hominibus, benignitatem in ſubleuandis, comitatem in conſuetudine familiarium, grauitatem in congreſſu & ſermone clarorum tuíque ſimilium virorum:
deinde

deinde voluntatis propenſionem ad optima quæque ſingularem. Itaque te ſummus ille artium honeſtarum patronus, decus Italiæ, Alexander Farneſius Cardinalis in oculis fert, tibi arcana communicat: tuis in conſiliis, ſi quid deliberandum eſt, multum, ſi quid perficiendum, in vigilantia plurimum ponit: tu, quo apud illum Maffeus olim loco fuit, eodem ipſe nuncies, rectiſſimámque laudandarum actionum viam, obſeruatis Maffei veſtigiis, ingreſſus, pergis eò fauentibus hominibus, approbante Deo, vbi debitum iis, qui bene ac laudabiliter vixerint, præmium, ſumma dignitas perſoluitur. Mouit etiam me vehementer illa ratio, quòd erat inter vos coniunctio animorum arctiſſima, conueniebant ſenſus, congruebat voluntas: preterea ſimplices animi & puri; nulla ſimulationis arte obducti, nulla inuidiæ aut maleuolentiæ labe ſuffuſi. Quare quoniam illa Maffei ſuauitas, illud ingeniũ, illa virtus erepta morte, nimiũ iniquo fato nobis eſt, (tametſi memoriam illius viri neque mihi mors, neque omninò dies vlla vnquam eripiet) & quando quæ illius erant partes in ornandis liberalibus diſci-

plinis, eæ tranſlatæ ad te videntur, præclaríque muneris quaſi Vicarius relictus es: ego quoque, quod in illum ſtudij, quod habui voluntatis ac beneuolentiæ (id erat tantum, vt accedere nihil poſſet) totum illud in te vnum, illi quàm ſimillimum, contuli: & qui te antea multis erga me meritis, multis ingenij tui ſuauitatibus adductus, vnicè dilexiſſem, tamen id quod in amore ſummum videbatur, auctum, cùm hoc acceſſit, etiam atque etiam pleniſſiméque cumulatum intelligo. Tibi ego offero fructum ingenij mei in orationem pro Sextio Commentarium, operis vniuerſi, quod maiores à me vigilias poſtulat, imaginem: quod ipſum, Maſſeo promiſſum, idem tibi, qui eius in locum ſucceſſiſti, iam nunc animo dicamus. Verùm hoc ſeriùs fortaſſe præſtabitur, de re enim, quod ad me attinet, conſtitutum eſt, &, vt vides, aggreſſus iam ſum: de tempore is, à quo noſtrorum conſiliorum pendet euentus, rerum omnium moderator viderit Deus. Habeo nunc in manibus Antiquitates, eas niſi pertexuero, nihil inſtituere in animo eſt, pertexere autem vt poſſim, duo ſunt optanda, valetudo, & otium: quod vtrumque, aſſiduis annorum

ſupe-

ſuperiorum ſtudiis infirmatus, & rei familiaris cura impeditus, nunc quidem magna ex parte deſidero. Accipe interim hoc, quod adeſt, argumentum obſeruantiæ in te meæ, & illud, quod aliquando, vt ſperamus, futurum eſt, ſuo tempore expecta.

Ad Ioannem Moruillerium Regis Gallorum, Apud Venetam Rempub. Oratorem.

QVam difficili in loco verſetur eorum induſtria, qui de Græco vertunt, neque tu, vt arbitror, ignoras, Ioannes Moruilleri, vir clariſſime, cui vel exercitatio litteraum, vel ipſa natura, vel potius vtraque ſimul hoc dedit, vt in iudicando excelleres: & ego experiens, ita ſenſi, vt, qui aliis antea in hoc genere peccantibus acerbior fuiſſem, ac durior, idem poſtea, re tentata, eò libentius ignouerim, quò magis eandem ipſe culpam extimeſcerem. Occurrunt iis, qui de Græcis Latina faciunt, duo inter ſe maximè contraria vitia quorum vtrumque cùm euitandum æquè ſit, ita periculoſa tamen cautio eſt, vt ferè declinare ab altero dum vis, in álterum incurras: nam & qui in eo laborant, vt Græca

verba totidem penè latinis reddant, quod fideles interpretes haberi volunt, ineptè faciunt, atque in illa ipſa nimis attenuata diligentia grauiter peccant: quoniam quidē res ipſa primùm ſit obſcurior, quod cum Interpretis officio pugnat: deinde latinæ orationis dignitate cultúque deſtituta ſordeſcit: & qui horum in verbis referendis Religionem improbant, putidámque appellant, libertatem ipſi quandam & licentiam magis amant: his plerumque contingit, vt, dum ad ornamenta toto animo intendunt, ab ipſa ſentētia longius aberrent: ſummum artificium, ſummámque poſſidet prudentiam, ſi quis inter duas difficultates conſtitutus, quaſi medius inter duas Syrtes ita nauigat, vt naufragium non faciat, quod ætate noſtra cum ex tranſalpinis hominibus multis ex noſtris etiā non pauci tentauerint, tamen cùm omnes excuſſi, vix vnum aut alterum ex vniuerſa multitudine reperio, qui perfecti munus interpretis expleuerit. Atque ego videbā fore, vt in illam ipſam peccantium Interpretum turbam coniiceret, & communem eſſe cauſam confiteor: ſed mea tamen hoc probabilior eſt, quod alij ſe ad id, quod in hoc genere perfectum eſt, perueniſſe

ſunt

ſunt arbitrati: ego, quàm à perfecto longè diſtem, ipſemet intelligo, vt mihi ſaltem incorrupta fuerit idæa, aliis non ſolùm perficiendi ratio defuerit, verùm etiam iudicandi. Sed quia fieri poteſt, vt quemadmodum alij falluntur in eo, quia ſua ſcripta nimis indulgenter probant, ego contrà fortaſſe fallar in eo, quia mea ſeuerè nimis improbem: expecto quid tu ſentias, Moruilleri ſapientiſſime, vt ſiue inter me & alios Interpretes aliquid intereſſe duxeris, ſiue me quoque in eodem, quod aiunt, hærere luto iudicaueris: ego quidquid ſtatueris, ad tuam ſententiam meum de me ipſo iudicium in vtramque partem accommodem. Equidem probari à te, atque etiam laudari mea ſcripta velim, & qui minimè ſoleo eſſe ambitioſus, tamẽ igniculis quibuſdam cupiditatis incendor, vt meum nomen in tuo ore verſetur: non enim à quouis homine laudari optabile eſt, turpe etiam à quibuſdam. Me quidem non tam ipſa laus, quàm laudãtis auctoritas afficit: quare cùm tu is ſcis, de quo duo Reges, at quales Reges? omnium qui in Gallia regnauerint maximi, pater & filius, optimè ſenſerint, quorum alter

legationem tibi ad Venetam Remp. detulit, alter eundem honorem poſtea confirmauit: cúmque in ipſa legatione publicã perſonam omni re, loco, tempore ita ſuſtineas ac tuearis, vt ſummam in te grauitatem omnes laudent, nec tamen humanitatem quiſquam deſideret: magni refert ad ingenij mei commendationem, quid tu vir primatius, & omni laude circumfluẽs, de hac mea tenui vigilia ſentias: poteſt obſcuram per ſe lucubrationem tuum teſtimonium illuſtrare: quod ego ſi aſſequar, ad illa præſtantiora, quæ maiorum vigiliarum ſunt, quæ ſcis à me iam eſſe inſtituta fiam alacrior, quæ ipſa poſteri cùm legent (non enim dicam, ſi legent, quia quòd ſummè cupio, ſummè etiam ſperare iucundum eſt) de tua non vna aut altera virtute, ſed ſapiẽtia, quæ omnes virtutes continet, me narrante cognoſcent, & cùm cognouerint, ipſi quoque prædicabunt. Venetiis, M. D LI.

Ad Hipolytum Eſtenſem Cardinalem.

OMnes artes atque omnes res, HIPPOLYTE Princeps, & Cardinalis, non modò augeri, modò minui, nec eaſdẽ perpetuò eſſe, ſatis inter omnes conſtat. Patet

Patet hoc quidem oculis primùm, deinde etiam mentibus. Oculis notamus euenta: mẽte, cur quidque eueniat, quóue referenda ſit cuiuſque rei mutatio, intelligimus. Itaque lapides & metalla, quę omnium duriſſima ſunt, quæ vis hominum frãgere vix poteſt, hæc tamen conficit & conſumit vetuſtas: quidquid enim ex partibus aliquãdo coiit, & cõcretum eſt, id eaſdem in partes aliquando dilabatur ac diſſipetur, neceſſe eſt. Habet hoc materia illa, vnde res omnes conſtant, vt formę mutationẽ quærat, ídque quod ſequitur, aſſecuta, migrat in alias naturas quaſi quod appetiit, eo nunquam eſſe contenta videatur. Neque verò hæc naturales tantum ad res conditio pertinet, ſed inuẽta quoque hominũ operáque attingit: mores, conſuetudines, loquendi ratio, quam linguã vocamus, leges ipſæ, quas nequid vnquam ex hominum memoria deleat, in æs incidimus, omnia demum quæ ab arte naturam imitante fluxerunt, quotidie mutantur ac tolluntur: non modò ab externis cauſis cõtra voluntatem noſtram, verùm etiam à nobis ipſis, quia tempus ita poſtulet, ſed artes liberales, optimáque ſtudia, quæ nuſquam magis quàm in Italia, honor aluerat atque

auxerat, ætas nulla magis afflixit, quàm cùm Romani Imperatores imperij ſede in Thraciam tranſlata, Italiam barbaris nationibus deripiendam ac deuaſtandam reliquerunt: quod niſi ſuperioribus annis Principes, ac Pontifices aliquot, maximè verò Leonis X. egregia propéque diuina liberalitas huic malo ſubueniſſet, quem Laurentij Medices patris ſui clariſſimi viri exemplo commotum, etiam veræ laudis cupiditas impulit, vt iacentes ingenuas artes magnis propoſitis præmiis excitaret, barbara credo, quod ad litteras attinet, magna ex parte nunc eſſet Italia dignitas omnis philoſophiæ, ſplendor omnis obſoleuiſſet eloquentiæ: ſed neque ille huius præclari operis ſummam potuit abſoluere, ereptus morte, diſciplinis liberalibus nimis immatura & interitum illius tempora ſunt eiuſmodi conſecuta, vt quæ paululùm iam luxerant honeſtarum ſcientiarum ſtudia, ea perpetuis multorum annorum tenebris quaſi nox quædam obſcurauerit prorſus atque extinxerit: fatalis enim bellorum tempeſtas non exercitationem modò litterarum ſuſtulit, verùm etiam quæ ſunt in excolenda virtute poſitæ laudes, eas labefactauit omnes

atque peruertit: ac nunc quoque cùm pacis aliqua ſpes longo ſanè interuallo affulſiſſet, miſera rurſus eodem malo tẽtatur Italia, veteréſque calamitates aduerſus bonis artibus neſcio quis Genius inuehit. Nunc te, Hippolite Cardinalis, cui ſummã iuuãdi generis humani voluntatẽ Deus tribuit, eximiã ad laudẽ vocat occaſio ſuſcipe deſertum penè ab omnibus litterarũ patrocinium: collige tu quę alij diſſipant omniũ laudandarum doctrinarũ ſtudia, & reſtitue nobis illa, quæ vel hominũ improbitas, vel vt aliò culpa deriuetur, fortunę vis eripuit. Hæc eſt actio digna Cardinali, digna Principe, Hippolyto verò & Cardinali, & Principe digniſſima. Vidimus tuam præteritam vitam: ab ea nihil humile, nihil obſcurum, nihil vulgare, ampla omnia, præclara, inuſitati exempli, noui generis expectantur: quæ tu, ne à te ipſo diſſentias, nunc quidem magna ex parte præſtabis, atque adeò iam præſtas bonis viris & eruditis beneficentia ſubleuandis, quorum ex ingeniis non dubito, quin quotidie aliquid effloreſcere tuo beneficio videas: quod quia præclarum eſt, exemplum alij ſequentur: ſcribent omnes quod quiſque poterit, illecti gloria, & commodorum ſpe

compulſi, nam vt coniecturam de me ipſo faciam, quem eſſe nihil in litteris fateor, ſed vt aliquid tamen eſſem, laboraui. Ego olim (decennium opinor abiit, eóque amplius) auctoribus duobus eximiis viris, Petro Bembo Cardinali & Bernardino Maffeo, qui poſtea dignitatem eandem magnis in Eccleſiam meritis eſt conſecutus: dederam me ad res Romanas illas veteres obſeruandas, & ex omnibus antiquorum monumentis omni ſtudio colligendas, vt cùm illam Rempub. qua nulla fuit, nec erit vnquam illuſtrior, vniuerſam animo ac ſcientia comprehendiſſem, latinis eam litteris explicarem, egregiúmque benè ac laudabiliter inſtitutæ ciuitatis exemplum meis, quatenus quidem ipſe poſſem, ſcriptis expreſſum, poſteris relinquerem. Res erat præclara, méque delectabat vehementer, & afficiebat ipſa tractatio. Itaque meam omnem induſtriam, omnem curam, omnes denique in hoc ſtudio cogitationes fixeram ac locâram. Sed accidit in quo meo fato, vt horum vtrumque, Bembum primò iam ſenem, cuius in beneuolentia ornamenti mihi erat plurimum, deinde Maffeum non ætate minus, quàm virtute florentem, in quo mei ſpes

otij

otij ſita omnis erat, à quo pendebam totus, importuna morte ereptum amiſerim deſtitutus eo præſidio, quo meæ fortunæ nitebantur vno, fractus animo, ac debilitatus inſtitutum Antiquitatum Romanarum opus omiſeram, & ad alia me conuerteram. Poſtea verò quàm honorifica in primis conditione delata, magno ſum à te tuo beneficio in tuorum familiarium ordinem inuitatus, quod ego ſummæ felicitatis loco duxi: erectus mente atque animo, rurſus quod abieceram, ſuſcepi, onúſque tantum, quantum priuatis opibus perferri vix, aut ne vix quidem poteſt, te vno fretus egregiè ſuſtineo. Et vt ex parte totum iudicare poſſes, de decem, quos exorſus ſum, libris hunc de legibus potiſſimùm, quem ad te mitterem, delegi, non quòd ita poſtularet ordo, (ſextum enim in antiquitatum volumine locum obtinet) ſed quod cùm omnium librorum materies non modò coacta, iam in vnum à me eſſet vniuerſa, verùm etiam ſatis diligenter in partes diſtributa: caſu accidit, vt hic minus quam cæteri rudis, minus eſſet impolitus. Pręterea feci libenter, tuis actionibus admonitus: leges enim hic liber complectitur. Porrò leges nihil

aliud quàm rationem, nihil præter ordinem docent. Ratio autem & ordo, ſi vſquam, in tuis moribus elucet. Quippe nihil agis moderatum, nihil non æquabile, nihil quod non cum ea, quam ſuſtines, perſona, id eſt cum Religione Chriſtiana, ac ſedis Apoſtolicæ dignitate conſentiat. Quare cùm omnia mea tua ſunt, quandoquidẽ ego me tibi quidquid ſum, & quãtus eſſe poſſum, totum addixi: tum verò hic de legibus Romanis liber: verè tibi debetur, tibiq; eſt à me iure optimo ſcriptus: quo in libro benè poſitã à nobis operã ſi duxeris, de cæteris quin idem ſentias, haud equidẽ vereb or, pergo enim ſtudio pari, volũtate etiam, vt mihi videor, acriore: vnũ modò exoptandũ eſt, vt quãdo nos ab hoc ſtudio nulla vtilitas, nulla voluptas, ne valetudinis quidẽ ſatis imbecillę ratio poteſt auellere, noſtris laboribus tua beneuolentia quaſi propitium numẽ adſit: ſic enim fiet, ne qua prorſus in difficultate, ne quo vnquam in ſcopulo noſtra hæreat induſtria, & in eum, quo ſpectat animus, portum ſecundo curſu, tuæ benignitatis aura proſequente, facile peruehemur. Venetiis. 1557.

In editione Kalendarij Romani.

Factum

FActum eſt à me ſanè libenter, vt cùm edēdi eſſent Romani Faſti è lapidibus Capitolinis deſcripti, adiungerē ad eos Ka lendarium, ex quo ratio dierū pro ea, quæ Romę olim fuit, conſuetudine, tota patet: atque in hanc me voluntatem, vel cupiditatē potius primùm ea, quā & mea ſponte, & patris exēplo ſemper ſpectaui, publica litterarum vtilitas, deinde etiā Caroli Sigonij viri optimi & ab omni prorſus iniqui animi labe puri, ſingularis doctrina deduxit: putaui enim id quod res eſt, futurum, vt ad Kalendariū ex Faſtorum ſocietate commendationis tantum accederet, quantum ad ipſos Faſtos è Sigonij ſtudio ingenióque eſſe adiunctum, qui diligenter additamēta ipſius, & in ea Commentariū, qui propediem edetur, pleniſſimū legerit, facile cognoſcet, non enim illa ſupplemēta, quę in lapidibus illis, vnde Faſtos habemus, deſiderantur, ex Liuio, aut Dionyſio, aut ex duabus tribuſve præterea libris, quos etiam leuiter eruditi homines in manibus habent, colligūtur: non eſt id, vt rudes antiquitatis homines exiſtimant, iocu-lare quiddam. Opera hæc quidem eſſet, non induſtria, & operæ quis laudem tribuit, cùm in tempore duntaxat poſita ſit?

induſtria verò non ab ingenio, non ab intentione quadam mentis abeſt, itaque iure laudatur: quòd ſi ſatis eſſet hiſtoriā ſemel aut iterum legēdo percurrere, nemo eſſet, cui Romanarum rerum notitiam aſſiduo biennij trienniíque ſtudio comprehendere vniuerſam non liceret, in qua tamen ego iam per decennium deſudo: & quo diligentius ea ipſa, quæ legi ſæpiſſimè, cogitatione retracto, eò certius, quantum in hoc genere ſit difficultatis, intelligo. Itaque opto: vt quæ alij collegerunt, omnes edant ſtatim, & mihi hanc laudem præripere conentur: video enim fuiſſe nonnullos, qui meis ſcriptis ad huius ſcientiæ ſtudium aliquot abhinc annis excitati, & indicibus eorum librorum, de quibus edendis cogitare me, iam diu polliceor, animaduerſis, quaſi quodam lumine ad ineundam ſtudiorum viam prolato, ambitione præcipites, dum anteire nobis volunt, in maximos maximéque pudendos errores inciderūnt, quorum alios alij peritiores, nulla facta mora, alios fortaſſe nos, non illos quidem nominatim, ſignificatione tamen ſatis aperta, ne omninò debita laude fraudentur, aliquando refellemus. Redeo ad Sigonium. Ille verò cùm

cùm inſpectis antiquis libris, lapidibus, nummis, nomina magiſtratuum vetuſtate vel amiſſa prorſus inuenit, vel mutila perfecit, cùm Faſtorùm partem alienum in locum tranſlatam in ſuam ſedem retulit: cùm cenſuras, cùm triumphos addidit, & trunco quaſi corpori ſua membra reſtituit. nihil potuit difficilius, nihil in quo maiorem à bonis bonarũque litterarũ ſtudioſis hominibus inire gratiam poſſet: hoc enim libro, hoc inquam quem nos edimus: (nam inchoata quis perfectis anteponat?) qui res Romanas curant, horis ferè ſingulis vtantur neceſſe eſt. Itaque eam qui literis à me poſcebant ſuperioribus menſibus amici homines aliquot ex Hiſpania, plures ex Gallia & Germania, hoc adſcribebãt omnes cum Caroli Sigonij ſupplementis: quorum à me voluntati ſatisfactum eſſe vehementer gaudeo, eoque magis, quòd adiunxi, quod fortaſſe non expectabant, non poſcebant certè, Kalendarium Romanum, vtile illud quidem dierum cauſſa, quorum in eo genera diſtinguuntur, ſed vtilius ob id aliquanto, quo ad comitia, iudicia, ſenatum, Romana deniquẽ omnia, qui cõiectura ingenióq; valebunt, multam inde ſcientiã deriuabunt.

Ad Hieronymum Faletum Herculis Ferrarienſum Principis, apud Venetam Remp. Oratorem.

MAgna laus eſt eorum, Hieronyme Falete, qui non ad vulgarem humilémque artem, ſed ad nobilem aliquam liberalémque doctrinam ſuam ſtudia contulerunt: maxima verò, ſi quis eam philoſophiæ partem, quæ Poëſis appellatur, ita eſt complexus: itaque hæret in ea cognoſcenda, vt auelli nulla prorſus ratione poſſit. Itaque veteres illos, quibus optimi ac ſummi Dei vocē audire, eiuſque ſermone frui ſæpè licuit, homines ſapientiſſimos atque ſanctiſſimos poeticæ, facultatis admodum ſtudioſos fuiſſe conſtat, ſuaſque cogitationes non eo quo quilibet vteretur ſermone, ſed verſibus exponere voluiſſe quorum exſtant nonnulla ſanè præclara, quæ cùm legimus, afficimur, & quaſi diuina quadam vi abrepti extollitur haud paulò altius, quàm qui rerum humanarum in ſtudio verſantur. Habet igitur ars poetica dignitatem, quandoquidem in ea latēt arcana philoſophię, quę profanis oculis non pateat, ea rudes animos excolit. ea

nos

nos ob rerum humilium ſtudio deducit: ad egregios mores, ad veram Religionem, ad excellentem magnarum rerum cupiditatem vocat. Habet eadem ſuauitatem, quia vocibus aptè conſtructa oratio miram infundit auribus animíſque iucunditatem. Et, vt vno verbo comprehendam, poeſis numerus eſt: numerus porrò nihil aliud, quàm ordo: ordinis autem principium à Deo fluxit. Diuini ſunt igitur homines poëtæ, nec vllo non honorum genere decorandi. Poëtas autem definio, non quicunque verſus faciunt, qui modeſta & odioſa garrulitate ſæpè nobis obſtrepunt, ſed eos, quorum in vita non minus quàm in ſcriptis elucet ordo, à quibus colitur humanitas, & beneficentia non modò laudatur, verùm etiam pro facultatibus exercetur, hæc enim ſunt ſacra illa miſteria, quæ poëſis fabularum ſpecie ita velat, vt ea tamen Vatum excellentium, hoc eſt bonorum virorum mentes intelligant. Quæ verò his virtutibus aduerſantur vitia, hæc ſunt illa monſtra, inimica naturæ, quæ poëticis figmentis oſtenduntur, ſus Erymantius, leo Nemæus, hydra Lernæa, gygantes, & harpiæ quæque alia tradũtur, perdendis hominibus, aut frugibus nata.

Neque verò tu, Falete doctiſſime, tantam animi præſtantiam poſſideres, non eſſes tam ad omnem virtutem, ad omnem laudem propenſus, non tam in moribus elegans, in conſuetudine comis, atque etiam pro tuarum copiarum ratione beneficus ac liberalis, niſi magiſtram ab ineunte ætate habuiſſes poeticam artem, quæ tu ſuis præceptis erudiit atque informauit, nihil vt ageres, quod ab honeſto diſcederet, nihil vt in omni vita præter decus, & antiquà maiorum tuorum, hominum clariſſimorum inſtituta, cogitares. cuius tanti beneficij non eſt apud immemorem gratia collocata: habes enim poëſim in deliciis, eam amas, eam ornas: cumq́ue Herculis, Ferrarienſium Principis poſt hominum memoriam maximi perſonam ſuſtineas, idq́ue tanto ſplendore, ac tanta, quanta nemo vnquam antea dignitate, ſummis tamen magnarum rerum occupationibus diſtrictus: ſcribis ſæpè verſus Calliope dictante, & à grauiſſimis curis tanquam in amœniſſimos Muſarũ hortos animi cauſſa diuertis. Superioribus quidem diebus, cùm egregium illum Athenagoræ veteris philoſophi librum de altera hominum vita græcè ſcriptum, Italicum in ſermonem con-

conuertiſſes, atque ego te quod viatores difficili confecto itinere conſueuerunt, aliquot dierum quietem velle capere exiſtimarem, inueni te poema tuum de bello Sicambrico nonnullis ab hinc annis compoſitum ita tractantem accuratè, vt adderes non pauca, quædam detraheres, multa corrigeres: quæ cùm legerem, admiratus elegantiam verborum, ſplendorémque ſententiarum, hortatus ſum vt ederes, & eò magis, quòd reliqua tua poemata, non modò iam typis impreſſa, verùm etiã ſcripta, per manus, pérque ora doctorum virorum eximia tua cum laude volitarent. qua in re nõ modò meo, verùm etiam ſtudioſorum omnium nomine tibi gratias habeo, habeboque, dum viuam, immortales, quòd meis hortatibus ac precibus tribuiſti tantum, vt te mihi totum remitteres, tuorumq́ue poematum ius omne tuũ, omnémque planè poteſtatem ad me liberaliſſimè transferres: quod cùm impetraſſem, exceptus ſum illicò ea cura, Principi ne alicui viro, quod ferè ſolet, an amico homini ac familiari, an verò tibi ipſi potius ingenij tui fetus eſſent dicãdi: tibi quidem tua deberi videbantur, ſed ab huiuſmodi conſilio tua mihi multis in rebus

perſpecta modeſtia deterrebat. Rurſus cùm intelligerem omnes ferè libros, qui typis diuulgātur, vel iis dicari ſolere, quorum auctoritas, aut quorum opes vtilitatem aliquando aliquam ei, qui mitteret: parere poſſet, vel iis quos pro magnis eorum beneficiis aliquo munere remunerari æquum eſſet, vel iis denique, cum quibus minimè vulgaris intercederet amicitia: hæc, Falete humaniſſime, cùm omnia concurrerent, victus ſum, tuaque ad te ipſum ſcripta mittere conſtitui: nam etſi Princeps tu quidem fortunâ non es, ſummis tamen Principibus tua te virtus ita commendauit, carúmque reddidit, vt eorum opibus ęquè ac tuis, eos, quos diligis, beare poſſis, ſed omitto reliquos. Hercules verò Ferrarienſium Princeps, immortalitate digniſſimus, cui te totum vni addixiſti, cuius eſſe vix quidquid in omni vita præſtare potes, is quo te numero habeas, facile declarauit, cum poſt multas legationes ad Sarmatarum Regem, ad Imperatorem, ad Pontificem, oratoris apud Venetam Rempublicam munus honorificentiſſimum tibi commiſit. Quapropter quod ad hanc partem attinet, parui refert, vtrū Principis nomine liber aliquis inſcribatur, an verè eius, cuius apud Principes auctoritas

ea ſit, vt prodeſſe quibus velit, non mediocriter poſſit. De tuis autem erga me officiis quid agam pluribus? quæ cùm & hac mea ſatis diuturna oculorum valetudine multa ſint & maxima, tum verò illud excellit, quod inuenire domum meam quàm ſępiſſimè, animumque meum triſtibus curis affectum tuo adſpectu ac ſermone recreare ſolitus es. Amicitia verò ſi ſpectanda fuit, neminem tibi debeo anteferre: coniunxit enim nos non caſus, vt multos, nō vulgare aliquod ſtudium, non ambitio, nón vtilitas, ſed ipſa quæ omnes res nobilitate vincit, virtus, & artium liberalium ſocietas, quarum vterque noſtrûm incredibili ſtudio tenetúr. Mitto igitur ad te, quando ita ratio poſtulat, tua poemata, non vt tibi de me optimè merito qua ſi gratiam referam de tuo, ſed vt habeat à me noſtra ætas, atque adeò poſteritas ipſa primùm teſtimonium beneuolentię atque obſeruantiæ in te meæ, deinde beneficiū, quod tua ſcripta cùm leget, fatebitur eſſe maximum. Interea peto à te, vt in illo maiorum vigiliarum opere de Fiſco, cui nondum extremam manum impoſuiſti, exorari te ſinas, id eſt, vt abſoluas atque perpolias: magnum enim inde fructum capient

omnes Iuriſconſulti, cùm te difficiles admodum reconditæ materiæ nodos ingenio ſoluentem, & quæſtiones illas implicatas atque inuolutas explicantem, exquiſitoque quodam ordine tractantem intuebuntur. Neque verò tua mihi eſt occupatio minus nota, cùm & negocia tractes Principis eximii, & ob tuam virtutem nobiles viri non modo quotidie, verùm omnibus penè horis officij honoríſque cauſſa ad te adeant: ſed rurſus eum te eſſe noui, qui quod tibi occupationes eripiunt, id ingenij præſtantia conſequaris. Conſule igitur gloriæ tuæ, conſule ſtudioſis omnibus antiquarum nouarumque legum effice, vt quantum in poetica facultate, quantum eloquentia polles, tantum in iure ciuili, maximéque in ea parte, quæ obſcuritatis habet plurimum, valere te tua ſcripta ſignificent. Meam verò hanc, quam perfectò in hac epiſtola vides elucere, voluntatem, animíſque ſingularem ad te amandum propenſionem amplectere. Atque ita ſtatue, ſi tu mihi, quod, video, præclarè facis, in amore reſpondebis, par amicorum neque noſtra, neque veterum memoria coniunctius vllum fuiſſe: idque quanti à me fiat,

dabo

dabo operam quantum in me erit, quotidie certius vt intelligas.

Ad Iſabellam Villamarinam Salernitani Principis coniugem.

EX omnibus rebus humanis cùm nihil ſit litteris doctrinaque præſtantius, ſequitur, vt litterato Principe laudabilius nihil eſſe videatur: non enim ſi quis humili fortuna ſcientiis animum excoluerit, quãuis omnium virtutum intelligentia ſit ornatus, æquè tamen eas virtutes exercere poterit, vt ſummo loco natus. Omnium eſt ſcire, non omnium tamen agere. Non cadit in quemuis adminiſtratio iuſtitiæ, nõ liberalitatis eſſe oportet, quibus imperes, vt iuſtitiam colere poſſis, eſſe, quod des, vt liberalitatem. Et quoniã ad hæc primùm à natura formamur & fingimur, vt quæ laudabilia ſunt, noſtra ſponte diligamus. Deinde præceptis inſtituimur, vt voluntatem ratio confirmet: vtrumque ſi quis habet, veriſſimis laudibus ornatur, eò magis ſi is eſt, cui tertium etiam illud contigerit, vt fortunæ commodis abundet: nam qui virtutem non vt primum bonum, ſed

vt alterius boni cauſam quærit, vt diuitiarum,vt honorum:ei virtus, quæ perfecta non eſt,quia quæritur ad aliud, perfectam laudem afferre non poteſt. Perfecta verò virtus eſt, quæ ſe ipſa contenta nihil appetit,quod extrà ſit. Hanc ſi quis eſt qui ſequatur,qui vnam diligat,qui ipſam propter ipſam, non propter aliud expetendam ducat: hic eſt, quem dii præter cæteros diligere putantur, cui quidem eam mentem dederint, vt præter cæteros ſaperet.

Tua hæc eſt,Iſabella preſtantiſſima, tua inquam hæc maximè laus eſt: cùm enim tibi aut ad opes, aut ad dignitatem nihil ferè poſſit accedere: quarum rerum cupiditate adducti, magnarum artium in ſtudiis plerique vigilarunt:ipſa, nihil huiuſmodi ſpectans,virtutis amore capta, cuius pulchritudinem animo cerneres, efficiſti, ſtudio tu quidem, ſed ingenio magis, vt cùm eſſes omnium nobiliſſima, omniúmque pulcherrima,(quorum alterum maiorum tuorum,maximéque viri tui, Principis omni laude cumulati,magnis rebus teſtata virtus,alterum benigniſſima tibi natura dedit) eadem & ſis, & habearis omnium doctiſſima.hinc illa ad te colendam ſingu-

ſingularis omnium propenſio, hinc multorum poetarum, quibus grauiſſima Regum bella magni operis argumētum ſuppeditare, poterant, ad te canendam traducta ingenia: hinc Capicius ille tuus, tuarum laudum laudatiſſimus præco, qui te admiratur vnam, qui obſeruat, qui cùm de te multa, & vera prædicauit, ita concludit, vnam habere, quæ optabilia ſint: omnia.

Itaque me quidem eodem ſtudio inflammauit, nihil vnquam vt ardentius optarim, quàm ex tuis vnus eſſe. quod quò facilius imperrarem, feci, ipſo permittente, atque etiam iubente Capicio, vt eius libros, de principiis rerum duos, de Vate maximo tres meæ in te ſummæ obſeruantiæ teſtes emitterem diuinum carmen eſt, multis luminibus ingenij, multa arte diſtinctum: equidem nihil legi in hoc genere perfectius, vt ne Lucretius quidem pluris apud me ſit, quo cùm antea propter ſermonis elegantiam delectaret, vterérque multum, cœpit mihi iam minus eſſe familiaris, poſtea quàm Capicium legi. Hoc opus, & quia ſcriptum eſt à tui ſtudioſiſſimo, & qui à verſibus te dignis, id eſt, luculentiſſimis, non herclè dubito,

quin à me miſſum auidè accipias, ſic inquam, vt de iſto me munere ames plurimum.

Ad Torquatum Bembum Petri filium.

QVod ego de poetica facultate ſentio, idem tibi, Torquate Bembe, qui res præclaras ingenio ſtudióque conſecutus es, benè iam eſſe cognitum ac perſuaſum facile puto, non eſſe iam inter ea, quæ minimi ducuntur: non vulgarem, non leuem, ſummum eſſe quiddam, ac planè diuinum, quique ſuas ad eam cogitationes conferant, etiamſi, quod volunt, non aſſequātur, probandos tamen eſſe, quia ſcilicet ad maxima contendant: qui verò in ea ita verſentur, vt excellant, colendos nobis eſſe vehementer, omníque omnium laudum genere cohoneſtandos. Ac miror equidem fuiſſe, hodiéque eſſe nonnullos, qui rem hāc pulcherrimam, ac deorum nobis munere conceſſam, parui pendant, atque etiam, ſi diis placet, in ſermonibus vituperent. Quid, inquiunt, eſt poetica? fabulas continet: fabulis autem quid inanius? Ridiculè, qui ex ipſorum ingeniis cæterorum ingenia metiantur, quæque ipſis obſcura ſunt, ea reliqua

qua videre non putent. Ego contrà ita ſoleo diſputare (vtinam Torquate te pręſente, ac tui ſimilibus, nihil enim tam optandum, quàm habere iudicem in controuerſiis, qui cauſſam, qua de agitur, quæque propter aliquam difficultatem in dubium vocatur, optimè calleat) ſed ego contrà, cùm in hos incidi, ita ſoleo diſputare: Eſt ne aliquid hominum generi vtilius, aut omninò philoſophia præſtantius? negare coguntur, ſi negent, eos ratio refellet, & veritas ipſa: quæ cùm pugnat, facilè vincit: vna enim eſt philoſophia, quę vitia noſtris ex animis euellat, vna, quæ inſerat virtutes, humana omnia multis obſtructa difficultatibus aperit: diuina, non illa quidem prorſus, ſed magna tamen ex parte patefacit. atque hanc, quæ tantas res præſtat, ſiue artem, ſiue ſcientiam, ne communis eſſet omnibus vulgíque tractatione impuríſque mentibus contaminata ſordeſceret, obſcuris fabularum inuolucris, quaſi aliquid ſacroſanctum velauit & cuſtodiuit antiquitas. Fabulas porrò ipſas nō eo, quo vulgus vtebatur, communi, & ſoluto, ſed exquiſito, & numeris adſtricto orationis genere priſci illi ſumma homines ſapientia prędíti, prodiderunt. Placebat hoc illis,

primùm vt rei dignitatem, ſi poſſet, & quatenus poſſet, verbornm augeret elegantia: lectis enim admodúmque puris è vocibus efficitur verſus, nihil hauritur de fæce: deinde quia cùm philoſophiam tractarent, maiore neſcio qua ſuauitate ex illo concentu, quem numeroſa vocum in verſibus compoſitio gignit, aures animóſque perfundi pulchrum putabant. quæ cùm ita ſint, neque fabulas, quę philoſophiam cõtinent; neque verſus, quibus fabulæ ipſæ continentur, iurè quiſquam reprehenderit. His ego ad coarguendam iſtorum inſcitiam, aliiſque prætere[illegible]ltis vtor argumentis.

Addo exempla, eáque Italorũ, & eorum hominum, qui noſtra patrumq́ue memoria floruerunt, Pontanos, Sannazarios, Fracaſtorios (omitto alios, ſunt enim multi) nónne muſarum in primis conſuetudo delectauit? propiùs accedo. Pater tuus, Torquate, Petrus Bembus quem orbis terratum cantat, nec iniuria: vir enim, quantus ei vitæ curſus fuit, in virtute totus: is cùm alias coluit philoſophiæ partes, tum verò poeticam artem amauit amore quodam ardentiſſimo, eiúſque ſtudium à prima pueritia complexus, nunquam

quam ne in extrema quidem ſenectute dimiſit. Scripſit autem verſus in omni ætate multos, & ſcripſit omnium elegantiſſimè, ſic, vt ei Apollo dictaſſe videatur. Itaque rectè fecit, optimóque ſanè conſilio pater meus, qui latinorum poetarum principem Virgilium eius nomini, quem optimum poetam nouerat, inſcriptum emiſerit. Rectè item ego, qui, patris mei exemplum ſecutus, tibi, & tanti viri filio, multis virtutibus ornato, & facultatis poeticæ ſtudioſiſſimo ac peritiſſimo, eundem poetam quaſi munus Bembæ familiæ debitum, dicauerim: nam quemadmodum parentes noſtri alterum tū ſermonibus, tum ſcriptis ornabat, vt, quantum inter ſe amarent, æqui & iniqui cognoſcerent: item ego cupio, & conabor, quantum in me erit (an præſtare poſſim, neſcio, ſed conabor certè) vt ex meis ſcriptis noſtram amicitiam, meámque in ſummam obſeruantiam etiam ipſa poſteritas intelligat: non enim, cùm hanc meam multis abhinc annis ad te amandum & colendum voluntatem contuli, id ſolùm ſpectaui, vt quaſi hæreditatem adirem amicitiæ paternæ, tametſi hoc ipſum quoque me mouit, ſicuti mouere debuit, ſane plurimum, ſed

tua quædam propria ſecutus ſum, tuos inquam mores, tua ſtudia, tuas virtutes vidi primùm: deinde ex iudicio fluxit amor: &, quò mea ſponte propendebam, ratio impulit. noui te adoleſcētem, noui iuuenem, & Patauij & Venetiis ſanctiſſimè viuētem, & præclara illa cum doctiſſimis viris philoſophię ſtudia tractantem. in quibus cùm iam, tuo quidem aliquid, aliorum autem iudicio multum profeciſſes: Romam te, in eam vrbem contuliſti, quam pater tuus theatrum per annos multos habuit ſuarũ virtutum celeberrimum, ibi nunc tu quoque ſpectaris, & probaris: ibi plauſum fers à benè intelligentibus, benéque ſentientibus viris: ibi denique vera illa Petri Bembi cernitur, & agnoſcitur in te filio non minus animi quàm corporis, effigies: &, vt principia ſe dant, futurum omnes exiſtimant, vt ſummi tibi in Eccleſia Petri honores, ac præfecturæ deferantur: deberi quidem iam nemo eſt, qui non intelligat. Quare lætor equidem, ac fruor iam nunc pro meo erga te ſtudio, quaſi præſentibus honoribus tuis, & percipio gaudia, quanta poteſt animus meus capere maxima, tuæ futuræ dignitatis. Perge modò, vt cœpiſti, in tuis perēnibus ſtudiis, & animum tuum

pul-

pulcherrimis, téque dignis cogitationibus exerce. Vides eam viam, qua pater tuus iuit, extant veſtigia, iſtac euntibus rectiſſimus eſt ad gloriam curſus, offenſio nulla, nullus error: quod feciſti, laudamus: ſunt enim magni, veréq; laudandi proceſſus in virtute tui: quod reliquũ eſt, quia te ſummũ illud ad decus, quod excellentibus ingeniis propoſitũ eſt, tanquam ad metam peruenire cupimus, &, quod cupimus, id in te ipſum poſitum videmus: fauemus animis, proſequimur ſtudiis, vocibus cohortamur. Atque ego quidem huiuſce animi mei non obſcurum, vt opinor, argumentum, hunc librum, qui me tacente apud omnes gentes loquetur, tibi inſcriptum, ad te mitto. Volo æternum exſtare monumentum, vnde homines, quid de te ſenſerim, quid iudicauerim, intelligant. Volo, habeas ipſe munus à me, vnde, quid tua cauſa velim, coniicias: & maiora, cùm ornandi tui maior aliqua facultas exiſtet, officia, ſtudiáque expectes. Venetiis, M. D. L V.

Ad Paulum Rhamnuſium Ioannis Baptiſtæ filium.

QVi magiſtram vitæ dixit eſſe hiſtoriã, næ ille, Paule Rhamnuſi, & dixiſſe verè, & præclarè ſenſiſſe mihi videri ſolet: facile enim vnus homo, quid multis hominibus euenerit, cùm intelligit, eruditur, atque ipſe ſibi normam componit actionum ſuarum, vitæque totius inter omnes errores, omniáque pericula ad veritatem, ac ſalutem dirigendæ: nec aliud eſt noſtra prudentia, quàm euentorum obſeruatio, rerúmque præſentiũ ac futurarum ex præteritis tanquam ex fonte ſcientia deriuata: quod ex vniuerſo litterarũ genere vel ſola, vel certè maximè præſtat hiſtoria, præſertim ſi quis eam ita tractet, vt euenta dum notat, animum referat ad cauſas, in eáſque attentè inſpiciat, & rationem quærat, cur hoc factum, illud omiſſum, cur ex illo calamitates, ex hoc optata contigerint. Atque hoc primum eſt de hiſtoriæ fructu: ſequitur dignitas. Res geſtæ narrantuř inter ſummos Reges, potentiſſimas ciuitates, bellicoſiſſimas nationes. Cauſſæ porrò bellorum ſunt, quæ ſunt humanarum rerum maximæ, imperiũ, ſalus, gloria: quæ

ponuntur

ponuntur in armis omnia, & à conſilio ducum, à virtute militum, ab ipſa fortuna pendent. Neque verò dignitatem quidem habet ac fructum, voluptatem autem hiſtoria deſiderat: nam, ſi voluptas eſt, quam magnarum variarúmque rerum aſpectus animis noſtris infundit: nulla pulchrior ſpecies, nulla gratior, nulla prorſus hiſtoria iucundior. Vides, vt in tabula picta, aduerſa ducum excellentium ſtratagemata, artes, inſidias, ſpem potiũdi, metum amittendi, cæſos exercitus, vrbes captas, imperia deleta: ago, fortuna commutata, cadere inſultantem, victum exſurgere: eodem penè momento lætitiam pelli mœrore ſuccedente, mærorémq; lætitia. Hæc dum legimus, haurit animus voluptatem incredibilem, alitúrque pabulo ſuauiſſimo, nec ſatiatur, donec ad exitum peruenerit. Cyrus ille, Perſarum rex, qui Orientem ſubegit, Pyrrhus Epirota, caſtrametandi laude præter cæteros inſignis, & duo illi, barbarorum omnium clariſſimi, Alexander Macedo, & Hannibal, præterea de Græcis Themiſtocles, Ageſilaus, Epaminõdas, quo modo, cùm eorum facta cõmemorantur, animos noſtros afficiunt? expectatione ſuſpendunt, paſcunt gaudio,

metu macerant. Verum hæc maximè Romana patent in hiſtoria, quæ vel diuturnitate, ac magnitudine bellorum, vel varietate fortunæ vbertimam exemplorum in omni genere copiam ſuppeditat. Romana porrò viri præſtantes multi cùm litterarũ monumentis tradiderint, quorum ingeniis, quæ cuique merces gloriæ pro cuiuſque facultate debebatur, ea poſteritatis iudicio perſoluta: eminet inter omnes, mea ſententia, (nec verò ſecus antiquitas ſenſit) primúmque ſibi dignitatis gradum C. Cæſar iure vindicat: nam & vixit qua plurimum ætate Romæ floruit eloquẽtia, & coluit ipſe eloquentiam præter cęteros: rebus verò gerendis non interfuit modò, verùm etiam præfuit: quo factum, vt vſum quoque, qui valet in ſcribenda hiſtoria multùm, cum doctrina coniunxerit: exſtãt bono quodam litterarum fato præclari illius de bellis ipſo duce geſtis Commentarij, qui ſe non ſolùm omnibus omnium hiſtoriis æquare, verùm, vt omnes fatẽtur, anteferre etiam videntur. Breuitatẽ ſcis in oratione magnam eſſe laudem, cum eo tamẽ, ſi vitetur obſcuritas: facile enim, dum illam ſequimur, in hãc incidimus: quod in Thucydide vitium Cicero notauit, cùm
eſſet

eſſet alioqui ſcriptor egregius. At verò C. Cæſar, cùm breuitatem maximè omnium adamauerit, ita tamē preſſus eſt, vt eodem nihil fieri poſſit illuſtrius. Propriè loquitur, & ſignificanter: ornamentorum tantum habet, quantum in exponenda re decet: nam elaboratam ſtudioſius orationē, nimiáque excultam elegantia prudentium aures non modò in Commentariis, verùm in hiſtoria quoque reſpuunt. Hic tibi eſt, Rhamnuſi optime, mihíque multis nominibus cariſſime, in manibus habendus, tractandus aſſiduè, obſeruandus, ediſcendus, vt eum penitùs, ſi fieri poteſt, aut certè quantum poteſt, imitatione exprimas: nam, cùm tibi Veneta Reſp. bellum illud memorabile, omniùmque difficillimum, quod Henrico Dandulo Duce aduerſus Byzantios geſtum eſt, latina oratione tradiderit explicandum, magníſque etiam tuam induſtriam præmiis honeſtādam decreto publico cenſuerit: debes eniti vehementer, ac omnes ingenij tui neruos contendere, ne quis tanto imparem oneri fuiſſe vnquam putet. Atque ego quidem, qui te fero in oculis, qui tuę gloriæ faueo, cùm in ipſam rem intueor, grauē ſanè, admodúmque difficilem, paululum cōmoueor:

rurſus, cùm ad ingenium tuum, ad induſtriam, ad illos animi tui præclaros ad laudem impetus mentem & cogitationem refero, facile confirmor, & huiuſce tibi commiſſi muneris eum, quem cupio, id eſt, planè glorioſum exitum expecto. Verùm, ne ſint in te ipſo, quæ ſunt, & ſic hæc, quæ tibi ineunda via eſt, quantumuis lubrica, incerta, impedita: an tu potes labi, potes errare, potes vſquam offendere, ducem ſecutus patrem tuum, Ioannem Baptiſtam Rhamnuſium, ſpectatæ ſapientiæ virum, cõſiliorum omnium ſummi Decemuirum Collegij participem, cuius elucent in vrbe noſtra virtutes eximiæ, nomen autem, æternis conſignatum atque impreſſum ingenij monumentis, per orbem terrarum fama diſſipauit. Is te ſua doctrina inſtruet, conſilio monebit, prudentia reget: at quo ſtudio? quo ſcilicet pater filiũ, & quo talis pater talem filium debet: nec ſane video, quem deceret magis, aut in quem hæc aptius, quàm in te, prouincia conueniret: nam, cùm eas res, quæ tibi ſunt latinis litteris tractandæ, magna ex parte liber, vt audio, contineat Gallica ſcriptus vetere lingua, tum ipſa perobſcura, tum multis præterea diuerſarum linguarum vocabulis permiſta,

permiſtà, atque cõfuſa: eum porrò librum pater tuus & vnicum habeat, & vnus ipſe (de noſtris quidem hominibus) optimè omnium intelligat: ſapiẽtiſſimè, vt in omni re ſemper, ita proximis menſibus decretum à decemuiris eſt, vt hæc tibi potiſſimũ Venetæ pars hiſtoriæ mandaretur, cuius haurire ſcientiam non aliunde, quàm ex tuis ædibus, licebat. Ego quidem, & ſi intelligo, qui ſis, quàm te delectet verus honor, quam tua ſponte incumbas ad decus, tamen hortor te, ſenſus huc omnes tuos, cogitationéſque conuertas, excites ipſe te, conſideres etiam atque etiam, quid ſuſceperis, à quibus cõmiſſum, qua tua ætate, qua omnium expectatione. Venetam ſcribis hiſtoriam, nec vniuerſam, ſed quod in ea maximè putatur excellere: ſcribis principium Reipub. decreto: ſcribis adoleſcens, qua ætate magnas res aggreſſos vel inſignis admodum manet gloria, vel temeritatis nota ſempiternæ. Quibus ex rebus, & quod ante ſtudiorũ tuorum præſtantes fructus edidiſti, & quod patris tui virtus tua virtus putatur, nec tibi ſunt petenda extrinſecus quæ domi tuæ naſcuntur: orta eſt inter homines opinio, hiſtoriam te nobis daturũ egregiam, in qua Ve-

netæ vrbis ita narres præclara facinora, vt
aliena cum laude tui nominis immortali-
tatem coniungas: quod ita futurum, mihi
perſuaſum eſt, ſi te ad legendos aſſiduè Cæ
ſaris Commentarios contuleris, eorúm-
que ad imitationem, & quaſi imaginem
totum effinxeris: hoc enim in genere nihil
habent perfectius latinę litterę, & eos, quò
tibi eſſent tui iuris quodammodò facti ca-
riores aliquantò, cùm hoc tempore noſtris
ex ædibus haud paulò, quàm antea: emen-
datiores exirent: volui in tuo nomine ap-
parere, multis in hanc mentem cauſis, iiſ-
que minimè vulgaribus adductus: nam, vt
omittam, quod hiſtoriam ſcribenti nihil
aptius, nihil omninò his Commentariis
vtilius quiſquam dixerit: valde me com-
mouit multorum annorum, ac penè ſæcu-
lorum in fouendis optimarum artium ſtu-
diis præclara tuæ gentis conſuetudo: ac
volo mihi, quod attinet ad illa vetuſtiora,
ſilentium imponere: venio ad ea, quæ pro-
piùs ad ætatem noſtram accedunt. Aut
tuo, cuius tu nomen, & vnà cum nomine
virtutem refers, quis in omni vita virtu-
tem amauit ardentius? qui cum in litteris
vſquequaque excelluerit, tum verò iuris
ciuilis cognitionē egregiè conſecutus eſt,

cuiúſque

cuiúſque rei teſtes habuit ampliſſimas Veneti Imperij ciuitates, in quibus tum ciuilium, tum capitalium rerum iudiciis, magna pariter & integritatis, & doctrinæ laude, pręfuit. Mitto Hieronymum patruum, medicinæ ac philoſophiæ ſtudiis præſtantem, qui cùm in Syriam eo conſilio eſſet profectus, vt Arabicis litteris imbueretur, paucis annis tãtum profecit, vt pleroſque Auicennæ libros in latinam linguam egregiè conuerterit. Alios quoque poſſum de tuis maioribus hac laude præſtantes minimè paucos inuenire, ſed parente tuo contentus vno eſſe poſſum, quo ſemper in hac ciuitate nõ ſolùm amico, verùm etiam patrono eruditi homines vſi ſunt, neque ſibi ornamenti, aut præſidij plus in eius amicitia atque auctoritate, quam commodi repoſitum in benignitate ſenſerunt. Accedit illud, quod idem pater tuus cùm in Gallia Reip. cauſa diu vixerit, eámque prouinciam Rege Ludouico X I I. vniuerſam ferè peragrauerit, magnam eorum locorum partem, de quibus mẽtionem in his Commentariis fieri vides, præſens ipſe nouit, eáque tibi in ſermone non ſecus ac in tabula picta diligenter veriſſiméque oſtendere ſolitus eſt. Itaque, cùm hunc librum

ad te ſtatui mittere, illud intellexi, magiſtrum te habere excellentem in hoc rerum ac locorum Gallicæ prouinciæ ſtudio parentem tuum, quo ſum aliquanto magis in ſuſcepto conſilio confirmatus. Tibi verò diſplicere meum erga te officium non exiſtimo: mihi quidem ipſi ob eam cauſam gratiſſimum fuit, vt ex tenui munere beneuolentiam in te meam perſpiceres: quæ cùm à parentum noſtrorum cõiunctione, qua nulla maior eſſe potuit, originem duxerit, quotidie tamen augetur ſtudiis erga me tuis maximè verò cauſis iis, vnde facile manat amor virtute ac probitate, quarum altera tuis in ſcriptis, altera in moribus elucet.

Ad Antonium Triuultiũ Cardinalem.

CVm omnes me litteræ, omníſque libero homine digna cognitio vehemẽter delectat, Antoni Triuulti Cardinalis ampliſſime: tum verò paſcor incredibili voluptate, & afficior maiorem quendam in modum ſenſibus intimis, dum hiſtoriã tracto: quid enim poteſt eſſe iucũdius? Rerum interitus obliuio eſt. At eæ reuiuiſcũt hiſtoria, cùm in noſtram memoriam reuocantur:

uocantur: quæque multorū annorum ſpatio, multis abhinc ſęculis geſta ſunt, ea nos exiguo volumine comprehenſa, & tanquā in conſpectu noſtro poſita, cognoſcimus. Si ſermonibus delectamur, reſonat in ſcriptis hominum vox eloquentiſſimorum, nihil temerè, nihil compoſitè narrantium, omnia grauiter ſuo quidque ordine & loco: ſi cōſuetudine clarorum virorum, verſamur vetera legentes, cum Regibus, cum Principibus viris, magnis in bello ducibus, ſapiētiſſimis Rerump. rectoribus: ora ipſa mehercule, lineamenta, & formam non tam corporis quàm animi eorum, quos nunquam vidimus, videmur tamen quaſi præſentes intueri. Quòd ſi rectæ inſtituendæ vitæ rationem ac doctrinam ſequimur, vſu maximè rerum quæritur prudentia: vſus eſt, vel cùm experimur ipſi, vel cùm, experientibus aliis, quid euenerit, obſeruamus: nobis ipſis, experiri multa ſi velimus, facile non licet: labore opus eſt, ac tempore, & fortuna tentanda, nec tentatur interdum ſine periculo: commodius ergo ac tutius euentis aliorū examinandis, prudētia comparatur: id autem profectò vides, Antoni doctiſſime ac ſapiētiſſime, proprium eſſe hiſtoriæ bonum

in qua patent fortunæ viciſſitudines, regnorum mutationes, hominum ſiue vitia, ſiue virtutes: ex quibus quæ vitanda nobis ſint, quæ expetēda, nullo noſtro periculo, nullo labore, ſedētes in otio docemur. Atque hoc in genere Polybius inter Græcos, de noſtris maximè is, cuius nunc libros tibi inſcriptos emitto, Salluſtius excellit: euēta enim ita narrat, vt cauſas ſimul aperiat: ex quo oritur illa omnium pulcherrima ſcientia, vt, malorum & calamitatum origine perſpecta, nihil agamus, niſi quod ratio pręſcribit, omniáque noſtra conſilia, omnes actiones veterum exemplorum regula metiamur. Quæ cùm ſit omnium, qui annales antiquorum euoluunt, communis vtilitas alia quædam tua conditio eſt, habes enim hiſtoriam in familia tua, neque tibi, ſi quid inuenire vis egregium, & imitatione dignum, confugere ad libros neceſſe eſt, neque longiùs euagari, & quaſi peregrinari animo ac mente, more multorum, domi petas, licet, omnium virtutum exēpla: perſequere maiores tuos, cogitando, quæ fuerit eorū in pace iuſtitia, in bello virtus, in omni fortuna moderatio, ſi attendes, nihil ad gloriam domeſticam requires: iuſtus Ariſtides, prudens Themiſtocles,

ſtocles, fortis Epaminondas: de Romanis multi, multis eximiíſque virtutibus inſignes: horum alij facta dum legunt, bonas artes eorum vita diſcunt, & ad eaſdem res, eadémq; ſtudia laudis cupiditate rapiũtur. At tu refer animum ad tuos maiores: eminere videbis inſtructum egregiis artibus Ioãnem illum Iacobum Triuultiũ magni animi, ſummi conſilij virum, ſcientia rei militaris ætate ſua facile principem: præterea iuſtum, liberalem, abſtinẽtem planè præter decus & gloriam, nihil in vita cogitantẽ: nam de laudibus Hieronymi parentis tui, quia tecum quaſi loquor, ne ſeruire tuis auribus videar, nolo multus eſſe: tantùm dicam, quàm diu vixerit, Gallicã rem in bello floruiſſe, poſtea quàm hoſtiũ multitudine oppreſſus, fortiter pugnãs in acie perierit, cõcidiſſe tantum in vno viro momenti fuit ac roboris. Age, ſint hæc vt ita dicam in campeſtri quadam luce poſita. quid? in vrbe Roma, id eſt, in omniũ gentium celeberrimo theatro, nónne ſpectata, probatáque vehementer eſt trium tuæ gentis Cardinalium doctrina, religio, ſapientia? vt Triuultiorum nomine multorum vocibus in multas partes diſſipato, non ipſa tantùm Roma, ſed omnis planè

Italia, omnis, vbi colitur humanitas, Europa perſonaret: omitto alios: ſunt enim multi, nec tu quemquam ignoras: non enim ſunt ex imaginibus, aut ex illa colorum inani ſpecie maiores tui cognoſcēdi, quærenda tibi facies tuorum non eſt, clari ſunt ex rectè factis, virtute diſtinguuntur, cùm alius in alia in omnibus ſimul omnes enituerint. Quæ tu quoniam à primis annis ad hanc ætatem non modò cogitaſti, verùm etiam vita ac moribus expreſſiſti, propterea te Epiſcopatu Tolonenſi iam antea inſignitum legationibus honeſtatũ, primùm Peruſina & Auenionenſi, in quibus miram iuſtitiæ laudem tuliſti, deinde ad Regem Galliæ, & ad Venetã Remp. vbi prudentiam, vbi grauitatem incredibilem præſtitiſti, proximis diebus Cardinalem creauit Paulus IIII. Pontifex omnium optimus, omniúmque maximus, iudicio præditus acerrimo in æſtimandis hominum ingeniis ac moribus, itaque animatus, vt quæ cuiuſque meritis præmia debentur, ea libẽtiſſimè ac liberaliſſimè perſoluat: in quo nemo eſt, qui tuã animi ſingularem æquitatem, ac moderationem vehementer non admiretur ac laudet, qui ſummæ nuncium dignitatis, cùm eſt ad te

multis

multis præſentibus allatus, ita acceperis, vt nemo te commotum, nemo ne leuiter quidem affectum ex vultu, aut oratione, aut vllo corporis geſtu potuit intelligere: ita patuit quod ab inſipientibus ambigi ac diſputari quandoq; ſolet, à bonis viris virtutem magis ipſam diligi, quàm virtutis inſignia, honorem eſſe præmium rectè agendi, finē non eſſe: magnos illos ac præſtantes eſſe homines, qui laudabiliter ita viuant quaſi laudem percupiant, ita laudē aut dignitatem excipiant, quaſi nihil minus antea cogitauerint, quod in te & animaduerſum eſt maximè, & obſeruatur quotidie magis: colere enim te quidē ſtudioſius quàm antea, omnes videntur: ipſe autem qui antea fueras, idem omnibus es, nemo excluditur ſermone tuo, nemo congreſſu, tui omnibus copiam facis, eandem omnibus humanitatē oſtēdis. Sequitur inſolentia fortunam: comes eſt rerum ſecundarum arrogantia: tu manſuetudinē amas: tu cōtinentiam, tu benignitatem perpetuò retines: iure ergo hoc etiā nomine Cardinalis es: iure habes hanc, quo tui te pro Petri Eccleſia ſuſcepti labores extulerūt, maximi ſacerdotij dignitatē: & nunc tu quidē comitatu ſtipatus honeſtiſſimo familiariū

tuorum, multò tamen inſignior atque ornatior cohorte tuarum virtutum, quæ tibi comites vbique ſunt, Romã redibis expectatus, expetitúſq; columẽ futurus Eccleſię Catholicę ſplẽdor ſacri Collegij, ornamentũ familiæ tuæ. I. decus Italiæ, amor ac deliciæ bonorũ omnium, diis benè iuuantibus, ad eam vrbem, quæ ſola peregrinam virtutẽ excipit, ſola ornat honoribus, ſola dominam facit rerum omniũ humanarum: nos autem quibus tuam iuſtitiam, tuam benignitatem oſtẽderas, læti tua dignitate, mœſti diſceſſu, te proſequimur abeuntem optimis omnibus: fauemus animis, precamur linguis: vota prorſus eadem, quæ pro parentibus ac liberis noſtris pro tua ſalute ſuſcipimus. Atque ego in hac omnium eximia lætitia pariter & moleſta, præcipuo quodam dolore diuellor, quia fato neſcio quo meo contigerit, vt, quàm diu Venetiis fuiſti, ego ſemper afflictus importuno morbo iacuerim, quo etiã nunc langueo, & ad morbum accedit ęgritudo, quoniam quidem, aliis ad te adeuntibus, déque iſta dignitate gratulantibus, ipſe excludor vnus, nec poſſum meæ ſummæ erga te obſeruantiæ præſenti officio ſatisfacere: hac tamen ſpe ſuſtentor, quod huma-

humanitas ac ſapientia tua facile fortunam à crimine ſeiunget conſilio aliquid peccatur, accuſes, iure feceris. culpam autem in iis rebus, quæ non à voluntate noſtra pendent, ſapiens nemo vnquam dixit eſſe. Quare nec tu mihi, quia nō valeo, vitio dandum putabis, & hoc ipſum, quia, me non valere, non tam corporis quàm officii cauſſa doleo, laudi etiam fortaſſe tribues. equidē habeo non voluntatis modò teſtem, verùm etiam ſtudii ac beneuolentiæ auctorem in te meæ, hominem honoratum, & cum omni virtute excellētem, tum verò omnium, quos ego in vita viderim, humaniſſimum, qui te amat egregiè, facítque plurimi, tuasque laudes vtraque manu ad aſtra ſæpè tollit, verùm ego non id ſolùm ſpecto, mea vt vni tibi pateat obſeruantia, illuſtrabo eam, ſi potero, meis aliquando ſcriptis, & patefaciam omnibus gentibus. Interim, vt hæc tibi noſtra ex aliquo ſigno voluntas illuceſcat, præclaram ego tuo cum nomine Saluſtii hiſtoriam (cui tu ſi locum dabis inter eos libros, qui ab oculis tuis abeſſe non ſolent, vigebit apud te noſtri memoria) quoties eam videbis, toties animo tibi occurram: adero tibi ſæpè abſens, tacitus ſæpè tecum

loquar, méque eſſe de tuis familiaribus vnum, de iis maximè, qui operam tibi aſſiduam præbẽt, qui tuo potiſſimùm honori ſeruiunt, exiſtimabis. quod vt ita ſit, vehementer opto, &, ſi aſſequor, feram in cælum iſtam humanitatem, colam animo, tuebor officiis, & imitabor quantum potero: ſtudio certè, ſi minus re licebit, tib vt ſatisfaciam, elaborabo. Venetiis, M. D LVII.

Ad Aloyſium Garzonium.

CONſtare tibi puto Aloyſi Garzoni cùm ad res præclaras homo natus ſit quippe qui ſolus ex omnibus animanti bus munere rationis ac mentis excella nullam tamen artem eodem tempore & inuentam ſimul eſſe, & abſolutam. Om nes humili tenuíque ab initio profecta paulatim quaſi per gradus adſcender tes ad id quod ſummum videtur eſſ peruenerunt. hoc & in litteris accidit, ma ximéque quibuſdã in libris, qui eiuſmo ſunt, vt ſemel atque iterũ aucti, locupleta tamẽ atq; ornari deinde poſſint, quo ex g

ne

nere bonum fatum CALEPINVS ſortitus eſt, cui quotidie ferè omnes homines de ſuo largiuntur: certè enim illius DICTIONARIVM, quod nunc emittimus, non tam ipſius induſtria, quàm aliorum labore ſtudioque in tantam altitudinem excreuit. vnum tamen deſidero, quod ii, quibus illud propoſitum fuit, vt in hũc librum quàmplurima congererent, id ipſum quod fecerunt, vt adderent, facere cõſideratiùs diligentiúſque potuerũt. Quorſum enim in herbarum montiumque nominibus colligendis diligentes ſumus? verba autem latinæ linguæ illuſtria maximè ac ſignificantia, quæ neſcire nemo vult in augendo Calepino negligimus? ergo ipſi hoc potiſſimum ſpectauimus, & , opinor, tantum præſtitimus, quantum qui hoc DICTIONARIO cum aliis Dictionariis conferendo, cognoſcet, non dubito, quin de hac opera nobis & faueat, & benè precetur: non enim licet hîc commemorare, quæ quibus in verbis ſint à nobis addita: nam ſexcenta ſunt, neque ſumpta ex apertis aliorum librorum Indicibus, ſed ex his latinæ linguæ fontibus, ad quos peruenire cuiuis non licet: vtrum autem ipſi peruenerimus, res ipſa indicet.

In eo etiam ab aliorum inſtituto diſcrepa-uimus, quod alii tantum, vt addant quæ v-tilia putant, elaborant: nos etiam quæ non vtilia ſunt, & diſcendi cupidis contraria, quæ ſcilicet Calepinus ipſe non rectè percepit, hæc in quam dedimus operam, vt de libro tanquam de tritico lolium, eximeremus. Addidimus, mutauimus, ſuſtulimus, prout res poſtulauit. Dictiones certè græcas ex multiplici lectione deprauatas, v est ferè, niſi diligenter caueas, corruptri librorum Typographia, tam multa corre ximus, vt quod fabuloſum eſt, nos dicet ἱϛορικῶς poſſimus, Augeę ſtabulum à nobi eſſe repurgatum. Noſtrum etiam in hoc o pere proprium illud putamus, quod cù alii in addendo ſupra modum curioſi fue rint, vt liber excreſceret: nos cõtrà, ne qui præter rem adderemus, ſuperſtitioſi fu mus. nec minus in exſecando diligente vt in dictionibus græcis, latinarum ordi inſertis, vel potiùs intruſis, multas quaſi alieno loco migrare coegimus. Exem gratia inter latinas dictiones quem locu habere potuit catabathynus, aut hodœd cus, aut pſeudonymus, & huiuſmodi, q à Latinis ſcriptoribus latinè pro exemp adducta minimè reperias, quæ propem

du

dum innumerabilia ſuſtulimus, eodem iure, quo Latina vocabula de Græco Dictionario tolleremus. Et quoniam hoc Volumen ob variam infinitamq́ue doctrinam multorum per manus circumfertur, facile futurum putaui, vt, ſi tibi à me inſcriptum exiret, ſignificationem multis daret amoris erga te mei: nam, vt omittam merita in me tua, quæ nulla vnquam delebit obliuio, tui me ſuauitates ingenii, tua incredibilis humanitas, ſingularis probitas, eximia ad colendam virtutem animi propenſio, ad amandum alliciunt. non enim ideo mihi carus es, quia ſis Venetæ Reip. omnium ampliſſimæ à ſecretis, aut quia nunc vnà cum viro clariſſimo, omnibuſq́ue virtutibus ornatiſſimo Michaele Suriano Legato particeps & miniſter conſiliorum omnium ad Philippum Hiſpaniæ Regem ſis profectus, ſed quia talem te præſtas, vt & hæc tibi admodum ampla atque honorifica munera iure deferantur, & egregiis animi tui bonis maiora quoque debeantur. Sit igitur hic liber & tibi, & reliquis argumentum beneuolentiæ meæ, teſtimonium iudicii, grati verò animi non omninò quale velim, ſed quale poſſum hoc tēpore, monumentum. Tu autem iſtam præ-

claram in nos voluntaeem conſerua, &, quo inſtituiſti curſu, per directam maximéque expetitam ac certam litterarum viam ad gloriam contende. quod ego quidem, qui tuos ſenſus, tuos ad laudem impetus optimè teneo, ita opto, vt ſpetem, ita ſpero, vt futurum mihi perſuadeam. idque etiam reliquis prædicare non deſino. Venetiis, M.D.LIIX.

Ad Michaëlem Ghiſleriū Cardinalem.

RErum humanarum exitus, quàm varia ſint hominum conſilia, declarant. Quòd ſi quis benè cogitat, ſequitur, vt idem laudabiliter agat. Rectè autem agentem nihil vnquam fruſtabitur, nihil fallet. Decet igitur nos optima ſpe niti, admodúmque firma, quibus in condenda atque inſtituenda Academia noſtra, nihil præter Dei gloriam, & communem hominum vtilitatem, propoſitum fuit. Neque verò actiones noſtræ, vt ſperamus, eiuſmodi erunt, vt hanc ad optimas res animorū noſtrorum incredibilem propenſionē ambiguè aliquis interpretari, aut in dubiū reuocare poſſit: apparātur quotidie ſumma cura, & edētur à nobis diuina doctrina refer-

t

ti, qui pietatem ac Religionē cōplectuntur, illuſtres libri. & interim quaſi ſpecimē quoddam, aut pignus noſtræ voluntatis egregia quædam de locutione DEI ab excellenti viro conſcripta, piis mentibus. ac ſacrarum litterarum, id eſt, veræ gloriæ, ſtudioſis communicanda cenſuimus, quæ duabus maximè de cauſſis, præſtantiſſime vir, tuo nomine decuit eſſe inſcripta. primùm, quòd, ſuſcepto Academię noſtrę patrocinio, nihil prætermittis, quod ad eam ornandam, augendámque pertineat: & nos quæ à te officia proficiſcuntur, quibus animis, quam libentibus, quam gratis excipiamus, aliquo item officio tum ipſi tibi, tum ceteris omnibus indicatum, maximéque perſpicuum eſſe cupimus: deinde, quæ de Deo loquuntur, ad quem potius mitti æquum fuit, quā ad eum, qui diuina ſtudia in omni ſuæ vitæ curſu cūctis & opibushono ribus antepoſuit? qui cùm vniuerſam de Deo diuiníſque rebus doctrinam accuratiſſimè quæſiuit, tum verò cum ipſa doctrina vitæ rationem coniunxit, & vt omnes rectam ſalutarémque viam tenerent, aut qui diuerterant, in eam reuocarentur ſtudio, conſilio, monitis, auctoritate contendit.

nihil obſcurè fama loquitur de tuis virtutibus. nihil de te aut exiguum, aut dubium affertur. patent multis ac certiſſimis argumentis eximia tua in Chriſti Eccleſiam merita. colunt te omnes ob doctrinam, imitantur multi ob integritatem, amant ob humanitatem, maximéque ob rectam ac ac ſimplicem naturam ab omni fuco, omníque faſtu longiſſimè remotam. præconem verò tuarum laudum omnibus horis audimus eum, qui ſumma ipſe laude dignus eſt, Federicum Baduarium auctorem & conditorem de duce Academiæ noſtræ, cui quidem viro tum vitæ probitas, tum ex aſſiduo ſtudio doctrina, & ex diuturno rerum vſu prudentia fidem atque auctoritatem in omni ſermone conſiliat: ipſo igitur non modò approbante, verùm etiam cohortante præclarum de Deo libellum grauem ſententiis, illuſtrem verbis, ad te mittit, tuoque dicatum nomini cum omnibus gentibus Academia noſtra communicat: quæ cùm ſe tibi tuo primùm iudicio commota, tuis deinde meritis impulſa, penitùs addixerit, eandem obſeruantiam in omni vita præſtabit, &, vt eam futuræ quoque gentes intelligant, ipſo, ad quam omnia referimus, ſummo Deo opem ferente,

rente, aliquo merito conſequemur. Tu interim quando iam hoc tribuiſti humanitati tuæ, vt nos ſuſciperes, tribuo idem conſtantiæ, vt ſuſceptos tuearis ac foueas. ita tamen, ſi nos tuo præſidio ac ſtudio dignos, id eſt, noſtra ingenia in optimis artibus exercentes, noſtráſque voluntates ad vnam virtutem dirigentes & audies, & re ipſa cognoſces. Venetiis, M.D.L I X.

Ad Antonium Carlonem Allifarum Principem.

VT eſt præclarum, ornatiſſime Princeps, in arte poetica excellere: ſic ea cognoſcere, quibus ad illam laudem perueniatur, maximum quiddam ac difficillimum eſt, fallitur enim, ſi quis abſoluti poetæ partes in eo poſitas arbitratur, vt cùm metiendi carminis rationem optimè perceperit, cùm elegantiſſimarum vocum ſupellectilem quaſi quandam ſibi comparatit, addo etiam cùm materiem animo comprehenſam ordine quodam atque artificio diſtinxerit, hiſce rebus tanquam egregiè munitus ad ſcribendum ſe conferat. grauiora ſunt quæ requiruntur, & ex

abditis plurimarum artium ac doctrinarum fontibus haurienda: nam, cùm eius consilium qui hoc in genere elaborat, vel in primis id ſpectare debeat, vt voluptati verſuum vtilitate ſententiarum admiſcenda, nihilominus lectorem moneat, quàm oblectet: monita verò illa plerumque neceſſaria ſint, vt in vitiis ſummam turpitudinem ineſſe, in virtutibus ſummam gloriam, oſtendatur: quomodo hoc ſine philoſophiæ cognitione prudenter ac peritè poterit efficere? Iam, ſi res exigat, vt aut de cęli ſtellarũque ratione, aut de regionum terreſtrium ac maritimarum ſitu dicendum ſit: certè hos locos non potuerit niſi qui Aſtrologiam & Geographiam attigerit, commodè tractare. Itaque, ſi quis huius facultatis ſtudium eo complexus animo eſt, vt aliquando, quæ litteris mandare ſtuduerit, ea ſe ſperet, veluti pictorem egregium, omnibus artis coloribus illuſtraturum: is omnium ferè diſciplinarum ſcientiam, quæ ad benè beatéque viuendum pertinent, ne prorſus ignoret, neceſſe eſt. Quòd ſi ad aſſequendum poetæ nomen vbertatem illam ingenii à natura datam ſatis eſſe putat, atque hac vna inſtructus, facilè audet canoros illos quidem,

rerum

rerum tamen inanes verſus vel domi pangere, vel in triuiis ad populi aures effundere, ſtatim ab intelligentibus explodetur, neque ſolùm imprudens aut parum verecundus, ſed etiam planè ſtultus ac temerarius habebitur Quò minus eſt mirandum, ſi vt hac arte præſtarent, quàm pauciſſimis contigit, cùm in omni præterea liberalium doctrinarum genere plurimi ſemper floruerunt, Sed egregiorum poetarum multò etiam maiorem hac noſtra tempeſtate, quàm priſcis temporibus penuriam eſſe conſtat, ſiue quod ſæculi felicitas illa fuit, ſiue quod equidem magis exiſtimo , quia non iiſdem, quibus olim, præmiis ad virtutem nunc homines excitantur . Eorum autem, quos in hoc genere præſtantes cognouimus, ſine controuerſia primum locum obtinuit vir eximius , & omni laude cumulatus, Iacobus Sannazarius, cuius ingenii monumenta non vetuſtas, non obliuio delebit vlla , vt ex tot Regum triumphis haud paulò clarior , quàm ex vnius hominis doctrina atque ingenio Parthenope ſit futura. Hoc autẽ, Princeps egregie tui muneris ferè totum eſt, qui, cùm ad ſummā generis nobilitatem etiā optimarū

diſciplinarum ſcientiam adiunxeris: tamen hæc per ſe niſi accederet, ſtudium de poſteris benè merendi, quaſi minima iudicans, quæcunque à doctis viris mandata litteris, digna, quæ inter manus verſentur, exiſtimas, in apertum vt referantur, maximoperè contendis. Quo nomine ipſi profectò Sannazarii manes tibi non vulgares gratias habent, cùm eos libros, quos ille moriens tuæ fidei commendarat, peruulgandos diligentiſſimè curas. Qui verò ingenuarum artium ſtudiis dediti ſunt, ii ſe tibi tantum debere profitentur, quantum perſolui nullo modo poſſit. itaque à me, qui eodem in ære ſum, petere videntur, vniuerſorum cauſſam vt ſuſcipiam, tibíque propter hoc officium, quid omnes de te & ſentiant, & loquantur, aliqua ratione ſignificem. Ego, licet ipſa te rectè factorum conſcientia contentum eſſe, nihil præterea requirere, exploratum habeam: tamen vt eorum honeſtiſſimo deſiderio ne deſim, do me libenter in eam partem, in quam etiam mea ſponte propendebam, & ad oſtēdendum non eorum modò animum, ſed etiam obſeruātiam & pietatem in te meam hæc ipſa Sannazarii poemata, quæ noſtris typis edenda curaſti, nomini tuo dicata ad

te mitto. Leges hic omnia quæcunque ab eo latinè ſcripta nunc exſtant. Primum autem erit diuinum illud, quod ipſe de partu Virginis inſcripſit opuſculum, dein Chriſti lamentatio: mox eclogæ quinque, quas tamen decem ſcripſerat. ſed è Gallia reuerſus, has tantum, quas emiſimus, & fragmẽtum illud, quod poſt Salices collocauimus, inuenit, reliquis aut furto ſurreptis, aut per incuriam ſuorum, quibus eas diſcedens crediderat, amiſſis. ſequuntur elegiarum libri tres, epigrammatum totidem, quæ omnia tuo inſcripta nomini apparebunt, vt eius beneuolentia, quam Sannazario & viuo, & mortuo præſtitiſti, hunc ſaltem fructum percipias, Venetiis, M.D.XXXV.

FINIS.

Summa Priuilegij.

HEnrici Valeſij Galliarum huius nominis Regis tertij lege ſancitum eſt, ne quis typographus librũ, cui titulus eſt, (*Trium diſſertiſsimorum virorum præfationes ac Epiſtolæ familiares aliquot: Mureti, Lambini, & Regii. Quibus propter argumenti ſimilitudinem doctiſsimi ac eloquentiſsimi viri Pauli Manutii præfationes adiunximus.*) Item alium, cui hic titulus eſt, (*Orationes aliquot elegantes, à variis variarum ciuitatum Imperio Veneto ſubiectarum Legatis pronunciatæ: quibus Venetis ducibus recẽs creatis, gratulantur.* Præter Ioannem de Heuqueuille, & Ægidium Maugier generum, qui hæc omnia ſumma diligentia colligẽda, ac emendanda curarunt, in Gallia imprimere audeat: néue quis bibliopola, néue quis alius alibi impreſſum hic diuendere ante ſexennium. Qui ſecus faxit, pœna litteris regiis declarata multabitur.

B74.

XLII
A 5